BIBLIOTHECA LVBECENSIS.



Vol. V.



LVBECAE

SVMTV IO. CHRIST. SCHMIDII

TIPIS KOOPIANIS, A. MDCCXXVII.

Jo. Died. Winckleri. Lipsiae. 1736.

VIRO.

ILLUSTRI. MAGNIFICO. CONSULTISSIMO.

JOACHIMO. LOTHARIO. CARSTENS.

CONSULI.

REIPUBLICAE. LUBECENSIS.

UTRORUMQVE. CIVIUM.

LITERIS.

ET. COMMERCIIS.

OPERAM. DANTIUM.

PRAESIDIO.

ORNAMENTO.

DELICIO.

QVOD.

QVOD.

REMPUBLICAM. PRUDENTER.
MODERATUR.

RES. PATRIAE.

FELICITER. GERIT.

HUMANIORES. LITERAS.
BENIGNE. FOVET.

VOLUMEN. HOC.

PRO.

MONUMENTO.

PONIMUS.

EDITORES.



Con-

Contenta.

I. בגה

I.

בגה

Dissertatio Philologico-Historica
de
Veterum Ebræorum
RATIONE COENANDI
& eo spectantibus; (*)

Qvam

indulgente inclyta Facult. philos. in alma Lipsiensi, placido examini submittit

M. MARTINUS GEIER, Lips. (**)
Prof. LingvæS. publ. designatus;

RESPONDENTE

HEINRICO MEYERO Lips. (***)
Art. & Phil. Baccal.

Ad diem 6. Julii horis locoqve solitis.

(*) Dignam judicavimus hanc dissertationem qvæ recuderetur, cum neqve in *opusculis* neque in *operibus B.* viri extet.

(**) Magni hujus Philologi & Theologi eruditionem, merita & opera enarrarunt, WITTE *in memor. Theol.* p. 2053 CASP. ZIEGLERUS *in monumento memoriae Geierianae posito*, qvod dedicationis loco præ-

PRÆLOQVIUM.

Cum non parum ad hiſtoriæ intellectum faciat prævia rituum morumqve cujusqve gentis cognitio; non, reor, vertetur nobis vitio, ſi, ob meliorem hiſtoriæ ſacræ cognitionem,

præfixum eſt Tractatui *de clerico renitente*. CHRISTOPH. SONNTAGIUS *de præcipuis qvibusdam Theologis Lutheranis ſeculi* XVI & XVII. c. VII. p. 161. ſq. Qvanti fecerint ſcripta Beati Geieri exegetica exteri, loqvitur operum Ejus editio Amſtelodami anno 1696 publicata, & duobus voluminibus in folio impreſſa.

(***) B. *Heinricus Meyerus* ſacro officio in Patria ad ædem Nicolaitanam functus eſt & a. 1668 obiit anno ætatis qvinqvageſimo. Itinera per Belgium Angliam & Germaniam non ſine inſigni ſtudiorum ſuorum fructu inſtituit, freqvens etiam ipſi cum eruditisſimis iſtorum temporum viris commercium epiſtolicum intercesſit, inprimis *Dannhauero*, *Bœclero* & *Conringio*. Scriptis pariter clarus fuit. Præter enim præſentem qvam ventilavit diſputationem *Helmæſtadii* publice pro roſtris defendit diſputationem *de Tempore*, præſide *Scheurelio* moralium Profeſſore, *Lipſiæ* Præſes evulgavit diſputationem *de Viſu*. Lateri qvoqve B. *Hülſemanni* adhæſit in itinere ad colloqvium *Thorunii* a. 1645 habitum. Inprimis vero famam ſibi conciliavit non perituram, collectione præſtantisſimorum Numismatum, qvæ poſtea Bibliothecæ ſenatoriæ Lipſienſi cesſit, & initium numophylacii dedit qvod ibidem aſſervatur.

tionem, tales qvasdam Ebræorum circa capiendum cibum consvetudines, rudi Minervâ delineatas, exponamus eruditorum examini; ut sicubi fortè in hoc minùs navigatô æqvore aberremus, in rectam deducamur viam; pro qvô sanè benevolæ emendationis officiô nemo nos deprehendet ingratos. Sicut verò Agellius l. 13. c. 11 ad convivium *qvatuor* reqvirit præcipuè; *si belli homunculi collecti sint, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus:* ita & nos circa qvatuor jam erimus occupati; acturi (1.) de PERSONIS *instruentibus*, herô sc. seu dominô convivii;

 paran-

vatur. Vid. vitæ curriculum verbis B. D. ELIÆ SIGISMUNDI REINHARTI conceptum. Conferatur elegantissimum scriptum â B. GOTTFRIDO CHRISTIANO GOETZIO Prætore qvondam & bibliothecario eruditissimo editum, cum Bibliotheca publico usui dedicaretur. De numis enim ibi adservatis ait p. 34. *Debentur ii indefesso ardori multorumqve annorum curæ atqve investigationi clariss. virorum paris* HEINRICI MEYERI, *nec non* CHRISTOPH. DAN. FINDEKELLERI, *qvorum integræ collectiones, haud mediocri pretio coemtæ egregia statim initia copiis hisce parandis suppeditarunt.*

parantibus, coqvis; *ministrantibus*, servis, & *utentibus*, convivis vel domesticis. (2.) De REBUS, h. e. apparatu cibi ac potus, (3.) de Loco, vel *communiori*, ædibus, tricliniô, &c. vel *propriô*, (ut sic dicam,) h. e. mensâ, lectis, &c. (4.) de TEMPORE, matutino, meridiano, &c. *DIRIGE nos, ô Sancte Spiritus, in Veritate; ad nominis Divini gloriam, per Christum. Amen.*

I. PERSONÆ.

I. Uti Rex Paterque Cœnæ dicebatur olim herus convivium instruens; ita non immeritò eidem qvoqve principem in hac nostra dissertatiuncula tribuemus locum. Hujus verò *ante accubitum* partes erant, dignè convivas invitatos excipere, præbitô nimirum osculô, allata ad lavandum pedes manusqve aqva, infusis capiti ungventis odoriferis, &c. *Osculi* sanè freqvens olim apud Orientales usus, uti jam hodiè qvoqve apud occidentales Belgas, Anglos, Gallos &c. & Persæ qvidem salutis vice, qvam ultrò citròqve dicere non solebant, mutuò ferebant oscula; *&* si pares erant, *ore* se osculabantur; sin alter paulò inferior, ei *genas* deosculandas præbebat is, qvi *dignitate* superior; dicente

cente *Brissoniô in Persic. p.* 241. Tali igitur blandô osculô se non exceptum esse Christus exprobrat hospiti Simoni, *Luc.* 7. 44. qvod æqvè incivile tum fuit, ac si jam, invitato hospiti non porrigas manum. Plura si cupis de osculis hujusmodi, adi Cl. *Dilberrum* l. 2. elect. c. 4. & Dial. p. 56. *Drus.* in pentatev. p. 170. *Stuck.* ant. conv. l. 2. c. 32. *Gerh.* hist. pass. p. m. 139. *Stegm.* icon. piet. l. 1. p. 324. seq. & *Herrenschmidii* osculologiam.

II. Porrò Hospitis etiam munus erat, curare de apportanda convivis aqva, præsertim peregrè venientibus, *qvibus pedes fessi ac dolentes ex labore itineris, & lutosi seu pulverisati, eò qvod sine calceamentis incedebant*; uti ait *Lyra* ad *Luc.* 7, 44. ubi exponit, cur Christus aqvam ab hospite sibi non datam esse culpet: sc. qvia istud reqvirebat mos publicus, non aliter ac hodiè convivis datur aqva manibus abluendis. Confer. *Gen.* 18, 4. 19. 2. *Judic.* 19, 21. Et rationem hujus eruditè, ut solet, reddit *Scal.* l. 6. de emend. temp. *qvod lotio non solùm Judæis, sed & Gentibus ipsis usitata; qvia enim in lectis discumbentes epulabantur, propterea prius depositis soleis lavabant, ne sc. pulverosis pedibus strata inqvinarent.* Sic lotio manuum valdè qvoqve necessaria, ita, ut tenelli & sanctuli Pharisæi nimis offenderentur ejus intermissione: *Matth.* 15, 2. 20.

Luc. 11, 38. Eandem verò diſtingvebant in מים אחרונים & ראשונים *aqvas priores*, (ſc. ante cibum,) *& poſteriores* (poſt cibum:) prioribus exemti erant verſantes in caſtris, uti oſtendit verſatiſſimus in hiſce rebus *Gaulmyn* in notis ad *l. de vita & morte Moſis. pag.* 320. *(edit. Pariſ. an.* 1619.) & ante hunc *Schick.* in Jure reg. p. 152. Standum verò erat, cum ſic lavarent manus, nec innitendum parieti aliivè ſuſtentaculo. Aſſumenda etiam erat aqva, non ſalſa nec corrupta, qvam canis dedignatur bibere. Fundenda erat aqva tribus vicibus ſuper manus; digitis in primâ fuſione lavatis ſurſum, demiſſis verò in poſteriori; &c. manus ſiniſtra, tanqvam famula, ſubſervire debebat dextræ; &c. qvæ annotata vide apud *Münſterum* ad *Deut.* 8. In lotione ante cibum opus erat, manus elevare ſurſum; (צריך שיגביה ידו למעלה) poſt coenam verò צריך שישפיל למטה *oportebat eas deprimi*: Uti notat *Gaulm.* l. d. Nemo hîc honoratur prærogativâ lotionis, qvi noſtrorum aliàs contentioſus ſolet eſſe honor, &c. qvæ omnia copioſius reperies apud *Schick. l. de jure reg.* p. 150 ſeq. Et ſi hodiernorum Judæorum hac in re deſideras ceremonias plures, uti deponant annulos, patrifa-

trifamilias ultimum in lotione relinqvant locum, manus nec non os apud mensam super malluvio abluant peracta cœna, priusqvam gratias agant, & qvæ hujus sunt generis, adire potes *Synag. Jud. Buxt.* cap. 6. & 7. p. 192. 198. 215. Eandem apud Persas qvoqve receptam esse puritatem, docet *Briss.* in *Pers. p.* 228. Sic & Græci sudorem abluebant aqva, oleoqve uncti mox cœnabant; dicente *Sardô de morib. gent. p.* 60. *cap.* 21. Confer. *Stuckii ant. conv. l.* 2. *c.* 33.

III. Post aqvam affusum qvoqve convivarum capitibus fuisse oleum, aut unguenta potius odorata, colligitur apertè satis ex culpata Simonis negligentia minus civili, *Luc.* 7, 44. Et morem istum, qvo convivator præbebat oleum, qvod fundebatur super caput convivarum tangere Davidem, *Ps.* 23, 5. dicit *Drusius præter. ad Luc.* 7, 44. Sic etiam *Möllerus* in illa verba Psalmi: (pingvefacis oleô caput meum,) ait: *qvoties Judæi excipiebant convivas honoratiores, qvos splendidè tractare volebant, eos perfundebant vel balsamo, vel aliis unguentis fragrantibus, ut ita exhilararentur: nam cerebrum & spiritus svavi odore mirabiliter reficiuntur & excitantur.* Hinc lucem capiet istud Christi *Matth.* 6, 17 *tu verò cum jejunas, unge* (tanqvam lætitiam convivæ præter te ferens) *caput tuum.* Atqve ad

eundem morem alludebat etjam mulier, Bethaniæ inungens Christum, *Matth.26.6 seq.* Hinc etiam capere potes, qvid sibi velit illud *Ecclesiastis, c. 9, 7. 8. comede in gaudio panem tuum &c. & oleum super caput tuum ne deficiat:* scil. ut in hodiernis conviviis aqva uti solemus rosaria, ob svavem fragrantiam; sic illi olim balsamis, &c. Huc illud *Amos 6, 6 bibunt in phialis vinum & electis unguentis ungunt se*, & Sap. 2, 7. *vinô pretiosô & unguentis* (*καὶ μύρων*) *repleamus nos, &c.* His fortasse lucem faciet illud *Posidonii philos. l. 28 histor.* qvi sic ait: *In Syria in conviviis regiis, ubi coronæ datæ fuerunt convivis, qvidam Babyloniorum unguentorum utres parvos habentes, ingrediuntur, & circumeuntes, coronas ex his accumbentium aspergunt, & irrorant unguentis, nihilque aliud externum rigant.* De pedibus Christo perunctis *Luc. 7, 38. & Joh. 12, 3.* consulere poteris *Gerh.* p. 1. contin. har. c. 143. *Casau.* ex. 14. cap. 12. Et in genere de ungventis, etiam apud Persas receptis, *Brisson.* Pers. l. 2. p. 227. item *Cæl. Rhodig.* l. 27. ant. c. 24 & 26. *Plin.* l. 13. hist. cap. 1. & 3. *Demster.* ad Ros. l. 5. antiq. p. 867. seq. *Stuck.* ant. conv. l. 2, c. 25. & l. 3. c. 15. (qvi postremus rationem qvoqve dat ex Athenæô hanc, qvod sic capite madefactô, minus ascendant fuligines, uti febricitantium humectari solent tempora,

ra, ne ſc. fercula in caput aridum, vacuum ſiccumque impetu ſuo ferantur, &c.)

IV. Convivæ igitur his aliisve modis decenter excepti, *ordinandi* etiam porrò ad accubitum. Idqve faciebat qvandoqve ipſe convivator, uti Joſeph locum dabat cuiqve fratrum juxta ætatis annos vel majores vel minores; *Gen.* 43,33. & ſicut Samuel primam dat ſedem convivæ ſuo Sauli 1. *Sam.* 9, 22 qvandoqve vt ipſi convivæ eligebant πρωτοκλισίας; *Luc.* 14,7 anteqvam convivator ita diſponeret; *Matt.* 22, 11. & *Luc.* 14,9.

V. Porro herorum qvoqve fuit, ut, ubi convivæ eſſent aliqvantò ſplendidiores, ipſi vel miniſtrantes adſtarent; uti fecit Abraham, *Gen.* 18, 8. vel una cum iisdem diſcumberent, piisque *precibus* præirent: ſicuti populus non ſolebat prius comedere, qvam Samuel cibis benedixisſet, 1 *Sam.* 9,13. qvem morem Judæi referunt inter tria præclara Moſis inventa, trahentes huc *Deut.* 8, 10 uti obſervat *Caſaub.* exer. 16. cap. 63. hîc etiam reperies, paganis id precum menſalium inſtitutum non fuiſſe ignotum ſicuti Naucratitæ, poſtqvam jam diſcubuiſſent, ſurgebant rurſus in genua, ſacrorum miniſtro preces patrias recitante: &c. id generis plura de Calecutanis, Lituanis &c. dat *Stuckius l.* 2. *ant. conv. c.* 36. & de Turcis dicit *Georgieviz*

(*p.m.66.*) eosdem anteqvam cibum ſumant, orationem præmittere, &c. qvorſum etiam primitiæ ciborum Diis libatæ, apud *Sardum, de mor. gent. l. 1. c. 21.* & *Lipſ. l. 3. ant. lect. p. 153.* Sic in hiſtoria Evangelica hinc inde legimus, ſtudioſe hoc obſervatum eſſe ab ipſo Benedictionis fonte Chriſto, qvi panibus in manus ſumtis oculisque in cœlum ſublatis, menſæ benedixit devotè, ut *Marc. 8,6. Matth. 14,19. &c.* qvem Magiſtrum poſtea imitatus Paulus *Act.* 27,35. &c. cæteraque Chriſtianorum cohors: *non enim diſcumbitur*, (ait *Tertull.* apol. c. 39.) *priusquam oratio ad Deum prægustetur.* Videre hîc poteris *Chemn. Exa.* C.T. par. 4. f. m. 108. Apud hodiernos Judæos, qvomodo *Baal Habbajith* ſeu herus aſſidensve Rabbi benedicat, manibus pani impoſitis, vino elevato, reliqvis adjicientibus *Amen*, imò, qvomodo ferè nihil ſumatur in manus, ubi non ſit comes hæc precatiuncula: *Benedictus eſto Deus, Domine noſter, Domine mundi univerſi, qvi cibos creaſti multiplices.* vel, *qvi fructus hoſce arboreos produxiſti, &c.* ea copioſe docet *Buxt* ſyn. Jud. c. 7. & 10. *Scal.* l. 6. de emen. tem. p. 273. *Dilh.* l. 1. elect. c. 12. *Stuck.* l. 2. c. 36.

VI. Cibis itaque per verbum precesq; ritè conſecratis, (1 *Tim.* 4, 5.) conſeqvens eosdem qvoqve *diſtribui.* Mos autem ut anti-

antiqvus ita & pluribus gentibus communis fuit, ciborum poculentorumque certas portiones ſingulis convivis apponi: cujus moris meminit etiam *Plut. l. 2. ſymp.* qvod in convivio Demophontidarum, Oreſti exhibito, unicuique calix peculiaris & ſcutarium vino plenum nec non propria menſa appoſita, ipſeqvę Oreſtes juſſus ſit pro ſe bibere, nec alios obſervare. Sic itaque in convivio Joſephi apponunt ipſi ſeorſim, & fratribus ſeorſim; & Joſeph accepit משאות *partes ſive fercula* à conſpectu ſuo ad illos, & multiplicavit partem Benjamin ſupra partes omnium qvinqve partibus: *Gen.* 43, 32. 34. ubi *Lutherus* (in comm. aureo) hunc conjicit fuiſſe morem, ut cibus primum ad principem deferretur, cujus arbitrio & voluntate diſtribueretur reliquis; laudatque morem hunc Orientalium, (ut & Romanorum & Græcorum) qvo ſingulis cibus potusqve olim dabatur demenſus. Cujus moris meminit etiam *Druſius* ad *Cohel.* 5, 17. & ad *Jobi* 20, 29. 18. & c. 11, 2. Sic Samuel mandat coqvo, ut המנה *portionem illam* ſive armum apponeret unico Sauli convivæ, 1. *Sam.* 9, 23. Ita Elkanah in convivio ſacro, Peninnæ filiisqve ejus dat partes, Hannæ vero dat *partem unam* 1. *Sam.* 1, 4. 5. (anne huc alludit Chriſtus, *Luc.* 10. 42. Mariam elegiſſe partem

tem optimam dicens; aut David, Deum hinc inde appellans ſuam portionem &c.) Sic Chriſtus ipſe & panes & piſces ἐμέρισε *Marc.* 6, 41. *&c.* Huc fortè referres אשפר qvod (juxta *Schindl.*) eſt *portio carnis, qvæ viro ſufficiat ad refectionem, & ſingulis convivis dabatur*: 2. *Sam.* 6, 19. 1. *Chron.* 16, 3. (in publieo iſto Davidis convivio, populò dato.) eandemq; vocem *Eſchpar* Rabini dixerunt eſſe compoſitam ex tribus: אחד *unum* מששה *è ſex* כפר *de juvenco*: h. e. (juxta *Kimchium*, R. *Levi* & *Rabboni Jeſchajah*, qvi ultimus in Bibl. Buxt. ad marginem adjectus eſt 2 *Sam.* 6, 19.) ſex partes fecerunt ex juvenco, & cuiq; dederunt partem unam. Huc qvoq; *Manoth*, ſeu fercula iſta, (beſcheiden eſſen/) è conviviis miſſa egenis, *Nehem.* 8, 10. & *Eſth.* 9, 22. Patet hinc, reor, munus hoc chironomantæ, (uti ſciſſorem aut carptorem appellat *Juven. ſat.* 5. *v.* 121. *qvi ad ſymphoniam, aves & reliqva obſonia gladio ſciſſorio dividebat*, ſicut ibid. annotat *Grangæus*,) obiiſſe partim cocos, partim ipſos convivii Dominos. Hodie vero qvomodo paterfamilias panem ac reliqva dividat apud Judæos, cognoſces ex *Buxt. ſyn. c.* 7. Et qvomodo Romani olim fercula diviſerint in certas partes, vel per ſervos, vel Tapullam aut convivii magiſtrum; qvas partes, qvandoqve ſorte diviſas,

vel

vel famulo donare, vel domum mittere poterant, &c. iſtud docet *Demſter.* ad Roſ. ant. p. 822. ſeq.

VII. Qvomodo porrò Convivii Dominus, cujus oculus non eſſet invidus, *Prov.* 23, 6. incitarit hoſpites ad hilaritatem, *ut epulis indulgentes, præſens convivii tempus impenſe cohoneſtando darent hilaritati,* (uti Rex iſte ait 3 *Macc.* 5, 14.) qvomodo etiam diutius eosdem retardaverint; (uti iſte *Judic.* 19, 5. 9.) id, cum communis doceat humanitatis ratio, non faciet nobis moras.

VIII. Affinis Convivaturi perſona erat *Architriclinus; qvi lecticis qvæ tres circa qvamlibet menſam, (unde vox eſt triclinium) & reliqvis ad convivium nuptiale neceſſariis, qvalia ſunt, cibus, potus, rectè adornandis & diſtribuendis præerat;* uti dicit *Tarnovius* ad *Joh.* 2. 8. (hîc n. & fortaſſe non ampliùs, reperies iſtam vocem.) Notatqve Alcuinus (citante *Chem. in harm. h. l.*) ſemper aliqvem ex ſacerdotibus præfectum fuiſſe huic officio, qvi curaret, ne hilaritas nuptialis degeneraret in beluinam ebrietatem. Num verò Architriclinus hic idem ſit, qvod ſympoſiarcha, modimperator aut arbiter in conviviis gentilium, (de qvo poſteriore *Lipſ.* l. 3. ant. lect. p. 149. *Roſin.* l. 5. ant. c. 30. aliiqve;) videbimus in congreſſu. Nobis ſanè cum *Bezâ* id non videtur. Conf. Caſaub. ex. 13. c. 19.

IX. Vi-

IX. Vidimus hucusque convivii autorem Herum; opus nunc diſpicere de COQVIS, idem parantibus. *Hæc verò officia* (ait *Schick.* de jur. reg. p. 68.) *olim erant curæ maſculinæ, qvando Pharaonis piſtor ſuſpenſus eſſe legitur, Gen.* 40.22. *poſtea cum viri virilius agere h. e. ſtudiis militaribus ſe dedere cœpiſſent, ad fœminas devoluta ſunt: ſicut dicitur* 1. *Sam.* 8. 13. *filias veſtras accipiet in coqvas & paniſicas.* Sic Abraham puero committit mactandum parandumque vitulum, *Gen.* 18, 7. (ſicut & hodierni qvoqve Judæi ferè ſinguli informantur in hoc mactandi opere, teſtibus *D. Heſſo* converſo Judæo *in flag. Jud. l.* 2. *c.* 11. Buxt. *ſyn. c.* 27. & *Ant. Margaritha Profeſſ. Lipſ. Judæoq; converſo in fide Jud. edit. Lipſ. anno* 1544.) ita Jacob parat pulmentum *Gen.* 25, 29. atque Eſau ferinam, *cap.* 27, 4. 31. Sic apud Perſas quoque virorum fuiſſe hoc opus, patet ex 277. illis cocis Darii, & 29. mediaſtinis, ollas perfricantibus & abſtergentibus qvorum meminit *Briſſon* in Perſ. p. 67. Huc trahes forte ſervum illum rure redeuntem, cui herus dicit: *para qvod cœnem*; *Luc.* 17, 8. ſic Eliſa mandat famulo, ut paret pulmentum, 2 *Reg.* 4, 38. qui ipſemet antehac mactaverat coxeratqve 1. *Reg.* 19, 21. ut & Gideon *Jud.* 6, 19. Mulieres tamen ab hoc opere non penitus excluſas fuiſſe, patet non ſolum ex citato

1 *Sam.*

1 *Sam.* 8, 13. loco; ſed & ex Sarâ *Gen.* 18, 6. ex Thamar, fratri parante pulmentum; 2 *Sam.* 13. 5. itemque ex Martha curioſa, *Luc.* 10, 40. & Petri ſocru miniſtrante, *Matt.* 8, 15. (niſi hæc poſteriora trahere malis ad miniſteria menſalia, diſtincta à culinaribus; qvomodo vox διακονεῖν apertè ſumitur *Luc.* 17, 8. & 22, 27.) Hoc interim noto, coctionem panis, (qvæ denotatur verbo אפה) plerumqve tribui mulieribus: Saræ qvidem, l. c. ſagæ à Saule conſultæ 1 *Sam.* 28, 24. decem mulieribus in furno uno coqventibus *Lev.* 26, 26. fœminæ, fermentum in tria lata farinæ abſcondenti, *Matt.* 13, 13. adeoqve alia ipſis ſors, qvam mulieribus olim Romanis, qvibus, dicente *Plutarcho* in probl. neqve pinſere neqve coqvere licuit. Attamen piſtores viros interea non plane excludo; horum enim meminit *Oſeas c.* 7, 4. imò integra ipſis platea aſſignatur, *Jer.* 37, 21. Sicut verò אפה ſemper notat coctionem panis, ita צלה eſt asſare aliqvid igni, opponiturqve verbo, בשל qvod eſt in aqvâ coqvere aut elixare, *Exod.* 12. 9. conſule, ſi vacat, *Concordantias.* De diverſis inſtrumentis culinariis, ollis, tam æneis qvàm figulinis, lebetibus &c. vide *Lev.* 6, 28. 1. *Sam.* 2, 13. *Num.* 11, 8. &c. deqve hodiernis Judæis, vaſa diverſa pro carne, cibisq; è lacte conficiendis habentibus,

tibus,

tibus, lac & carnem eôdem tempore super focô sibi è regione opposita non coqventibus, &c. Consule *Buxt. syn. c.* 26.

X. Hisce coqvis subjungemus jam MINISTROS reliqvos, mensæ subservientes. Heros verò qvandoqve ipsos hoc officii exhibuisse convivis honoratis, meminimus jam supra ad mentionem Abrahæ, *Gen.* 18, 8. Huc, qvod B. Virgo negotiosa est in nuptiis Cananæis, *Joh.* 2, 3. itemqve Martha, *Luc.* 10, 42. Post hoc seqvuntur alii, digniores infimis, uti sunt Pharaonis pincerna, *Gen.* 40. Nehemias Artasastæ, *Neh.* 2, 1. (de qvorum munere decentissimè fundendi vinum, phialam tribus summis digitis offerendi, &c. *Briss.* in Pers. p. 66.) nobiles illi pueri, *Dan.* 1, 4. septem Eunuchi, *Esth.* 1, 10. διάκονοι in nuptiis Cananæis, vinum haurientes, *Joh.* 2, 5. (fortè qvi similes erant iis, qvos hodiè dicimus Auffwärter) discipuli dapiferi, *Matth.* 14, 19. iidemque obsonantes, *Joh.* 4, 8. Reliqva viliora officia, ut sunt mundare pocula, parare sedilia, invitare hospites, manibus aquam affundere, &c. obibant נערים *pueri* tàm ratione ætatis quam servitii sic dicti; (uti & nobis Germanis ein Jung & juvenem & servum notat;) qvi adstabant præcincti, *Luc.* 17, 8. qvippe quos alias prolixæ fluctuantesqve Orientalium vestes poterant impe-

impedire; ferè ut apud nos fœminæ lotrices laborantesve, tunicas ſolent ſuccingere. Sic *Juven. puer altê cinctus acernam Gauſape purpureo menſam perterſit,&c.* Talium meminit qvoqve *Philo de vitâ contem.* qvod præſto fuerint *formoſa mancipia, non tam ad præſens miniſterium qvæſita, qvam ad exhilarandos aſpectu convivarum oculos. Ex qvibus minores pueri pincernas agunt, grandiores aqvam afferunt, loti & nitidi ſucatiq; ac cincinnati, &c. tenuiſſimas candidasq; præcincti tunicas, anteriori parte ad genua demiſſas, poſteriori ad poplites, utrinqve mollibus tæniis adſtricti commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus, &c.* Hoc addo, puellas quoque ad miniſterium ejusmodi fuiſſe apud gentes adhibitas, præſertim nefandæ libidinis cauſa; quomodo de Tyrrhenis ex Timæô refert *Athen. l.* 4. nudas iisdem diſcumbentibus ſervas miniſtraſſe; & ſimile quid de Tiberio refert *Svetonius*, (Vide etiam *Demſt.* ad Roſ. ant. p. 832.) Verum an hoc fœminarum miniſterium in populo Dei receptum fuerit dubito, niſi velis eò referre puellam, Davidi ſeniori ſubſervientem, 1. *Reg.* 1, 2.

XI. Tandem devenimus etiam ad CONVIVAS ipſos; qvi partim convictores qvotidiani ac domeſtici, partim invitati. Hi verò ut jam meminimus lavabant pedes

manusqve, imò nonnunqvam totum corpus, anteqvam accumberent. Omitto filiam Pharaonis; *Exod.* 2, 5. Bathſaba ſanè, lavans circa veſperam, morem hunc videtur probare: 2. *Sam.* 11, 2. ut & Suſanna; *Dan.* 13, 15. non tamen pro certo vendito. De ungventis itidem jam vidimus. Coronas verò qvod attinet, qvæ alias in epulis gentilium ſatis freqventes, teſte *Lipſio l.* 3. *Ant. lect.p.*157. Cæl.Rhod. *l.*27. *ant. lect.c.*26. Stuk. *l.*3. *c.*16. *&c.* idq; tum ob humorum ex nimio potu aſcendentium repreſſionem, cum aliàs faſciis ſaltem vincire ſolerent tempora; tum ob calefacti cranii refrigerium; has inquam ſertas (uti Lipſio vox hæc probatur l. c.) non videtur receptas fuiſſe in Ebræorum conviviis, niſi poſtquam Græcorum fortè moribus ſummo cum ſuo damno eſſent aſſveti. Hoc haurio ex 2. *Macc.* 6, 7. ubi dicitur, Judæos hedera redimitos Bacchanalia celebraſſe, *eosqve, qvi in hos Græcorum ritus ac mores tranſire abnuebant, eſſe interfectos, p.* 9. Huc ergò referimus iſtas quoque epulonum acclamationes, *Sap.* 2, 8. (hunc namque librum Salomoni vendicare ac pro tam antiqvo habere, nondum perſvaſum eſt Orthodoxis.) *vino pretioſo ungventisqve repleamus nos, baccis roſarum, priusqvam marceſcant, coronemur.* (Roſas volunt, qvippe qvæ, teſte *Athenæo*, aliqvantulum

tulum refrigerandi, capitisq; dolores mitigandi vim obtinent.) Conf. *Judith*. 3, 9. 3. *Mac*. 7, 15. Qvapropter & hic gentilis ritus minus probatur Tertulliano, *de coron. mil.* & Minut. Fel. *apol. adv. Cæcil.*

XII. Minus adhuc certa est *vestis cœnatoria* probatio, extructa à *Baronio* ann. ad an. 34. num. 39. ex *Joh*. 13. 4. & *Matth*. 22, 12. cujus infirmum robur, cum satis monstrarit *Casaub*. ex. 16. c. 25. & *Gerh*. b. m. *cont. har. p. 2. p. 1352.* nos hic non moramur. Vestem externam sive togam à discumbente Christo retentam esse, ferè ut nos retinemus pallia in nuptiis, tutò colligitur ex *Joh*. 13, 4. eademque cum aliàs ob fluxam suam capacitatem adstringeretur cingulo, relaxata tunc procul dubio fuit; qvid n. alias opus fuisset peculiari præcepto, de cinctura lumborum in esu paschalis agni, si hæc accinctio alias usitata? (*Exod*. 12, 11.) Qvod si tamen de speciosis convivantium vestibus aliqvid addendum est, non male accommodabitur huc istud *Cohel*. 9, 8. (*omni tempore sint vestimenta tua candida*;) scil. opposita pullis istis lugentium, uti hic annotat *Drusius*; & notanter dicit *Lutherus* in comm. ad h. l. *pro ritu illius regionis loqvitur; Romani & Græci purpuram, Orientales & maximè Judæi, candidam vestem commendant propter lotiones & munditiem, qvam*

illi studiose colebant; sicut & Turca lineis vestibus pro splendidissimis utitur, &c. qvod ipsum qvoqve firmat Philo *de vitâ contem.* Judæos *olim dierum festorum convivia* λευχειμονοῦντας, h. e. albatos s. candidatos *agitare fuisse solitos.* Inde etiam candidarum vestium hinc inde *in Apocalypsi* fit mentio.

XIII. *Calceos* porrò inter cœnandum fuisse depositos, præcipuè ut pedes sic lavari poterint, colligit *R. Levi* & cum hoc *Drusius* (*in loc. pentat. c.* 20.) ex *Exo.* 12, 11. (*calceamenta vestra in pedibus vestris,*) sc. in paschate comedendo, ubi ritus alii ac diversi planè à consvetis. Imo reqvirebat hoc mundities qvoqve, ne sc. soleis suis impuris conspurcarent lectum; quam rationem suppeditat *Lipsius l.* 3. *ant. lect. p.* 145. ubi latius probat hanc apud gentes deponendorum calceorum consvetudinem. Non autem vero videtur simile, calceos undiqvaq; tegentes pedem fuisse usitatos in gente Ebræa; potius gestarunt soleas, qvæ describente *Gelliô l.*13.*c.*20. plantarum calces tantum infime tegebant, (hinc ὑποδήματα Græcis dicta,) cæteris propè nudis, & teretibus habenis junctis. Non vero formam habuerunt crepidarum nostri temporis; quorsum enim corrigiæ, sive ligulæ, aliqvoties circumeuntes calceum? (uti *Schindl.* describit שרוך.) qvarum fit

mentio

mentio *Gen.* 14, 23. *Joh.* 1, 27. *&c.* Sed satis de vestitu.

XIV. De *numerô* convivarum vulgatum alias est illud; eundem non debere excedere numerum Musarum, nec minorem esse Gratiarum numero; sed triginta convivarum in sacris fit mentio. 1. *Sam.* 9, 22. Apud Græcos itidem non moris erat, ut in conviviô virorum accumberent *mulieres*, probante *Demstero*, ad Ros. ant. *l.* 5. *c.* 26. ut nec apud Persas, sicuti *Josephus* l. 11. ant. c. 6 de Vasthi dicit, eam non abiisse ad Ahasverum τῇ φυλακῇ τῶν παρὰ πέρσαις νόμων, οἱ τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπηγορεύκασιν; qvod ipsum qvoqve *Lyra* dicit ad *Esth.* 1, 12. Verum alius hic mos Judæis; (ut & Romanis, ubi *cum viris cubantibus, sedentes cœnitabant fœminæ*, Valer. l. 2. c. 1.) de illis enim tradit *Philo*, qvod mulieres senes in conviviis festivis unà cum viris fuerint epulatæ: διανενέμηται δε ἡ κατάκλησις χωρὶς ἀνδράσιν ἐπὶ δεξιὰ, χωρὶς δε γυναιξὶν ἐπὶ εὐώνυμα, h. e. *discubitus ita distribuitur, ut seorsim viri dextrum latus, seorsim mulieres sinistrum teneant.* Ita sorores suas semper in conviviis secum habent filii *Jobi c.* 1, 4. Præterea *aulicorum* cum Rege comedentium peculiarem quisque habebat sedem, ita ut ejus-

dem mox deprehenderetur abſentia; 1. *Sam.* 20, 24. confer etiam 2. *Sam.* 12, 17. aliter ac apud Perſas, ubi Rex cœnabat ſolus, *Briſs.* pag. 71. l.c. Annectere hic placet illud *Jobi* 42, 11. ubi cognati Jobi dicuntur ad eum conveniſſe comediſſe, & *pecudem unam, inauremq; auream, qvemlibet ipſorum eidem donaſſe;* non ſanè ſtudiô ditandi, (uti addit hîc *Merterus.*) ſed in ſignum amicitiæ ac congratulationis. De *ſymbolâ* aliàs conferri ſolita, (cujus nos admonet hæc convivarum Jobi collatio,) videri poteſt Sardus, *de mor. gent. l.* 1. *c.* 21. & Cœl. Rhod. *l.* 27. *c.* 24. Itemque de modô, moratè capiendi cibum, manum non extendendi inciviliter, (uti monet *Ovid. Carpe cibos digitis, eſt qvidam geſtus edendi, Ora nec immunda tota perunge manu:*) &c. conſulatur *Sirac. c.* 31, 12 *ſeq. & cap.* 32. *cap.* 41, 24. *Proverb.* 23, 1 *ſeq.* & *Buxt. ſyn. c.* 7. *p.* 205. (ubi non ſpernanda videbis, de modeſtiâ, ceu in conſpectu Dei &c.) De hodiernis verò Judæis, qvorum qvivis duos ſecum geſtat cultros; unum pro carnibus, alterum pro caſeô & piſcibus &c. vide eandem *Buxt. ſyn. c.* 26. Sed ſatis de Perſonis convivantibus: nunc etiam ad

II. DE REBUS, ſive CIBO POTUQVE.

XV. Primum cibi genus, cujus ſacer Codex

Codex meminit, ſunt *herbæ* ferentes ſemen, fructusque arborum; *Gen.* 1, 29. *c.* 2, 16. *c.* 3, 18. Ex quibus locis *Lutherus* (in comm. ad eadem) Chemnit. *p.* 4. *Exa. c.* 1. *f. m*, 99. Lyra, Toſtatus aliique colligunt, carnis eſum ante diluvium licitum non fuiſſe, præſertim cum de hôc demum agatur *Gen.* 9, 3. h. m. *omne reptile, qvod qvidem vivum eſt, vobis erit in eſcam*; hoc verbum (dicente Lutherô) *affigit verubus lepores, gallinas, anſeres, & omni genere ferculorum replet menſas.* (Vide, ſi lubet D. *Brochm.* *t.* 1. *LL. pag.* 293.) Hi igitur fructus arborum herbarumque, ut & ipſa olera, comedebantur vel ita cruda, vel aqva igniqve apparata. De pomis, piris, aliisqve ſimilibus ab arbore ſtatim comeſtis, non credo ullum dubitare. Ita Chriſtus ipſe eſuriens, qværit ex ficu fructus, *Marc.* 11, 13. Nonnunquam tamen hæ ipſæ ficus, ſimul collectæ compreſſæque, in maſſam unam redigebantur, dictæ דבלה, uti R. *Kimchi in l. rad.* hanc vocem exponit: ut & R. *Sal. Jarchi* ad 1. *Sam.* 25, 18. qvi ſic ait: Debhela ſunt *theenim deruſoth uchebhuſoth bakkeli*: hoc eſt *ſunt ficus calcatæ & ſubactæ in vaſe.* Hinc 1. *Sam.* 30, 11. dicitur, fragmen ejusmodi maſſæ porrectum eſſe defagitato. Eôdem modô *uvæ* qvoqve comeſtæ ſunt, partim ſucculentæ adhûc, partim arefactæ; atqve hæ dicebantur צמוקים qvam vocem

Targum exponit אתכלין יבישין דעכבין *hoc est: botros sive baccas uvarum siccatarum;* talium passularum ligaturas centum Abigail offert Davidi, 1. *Sam.* 25, 18. ut & Ziba, 2. *Sam.* 16,1. earumque binas comedere poterat unâ vice lassatus ille 1. *Sam.* 30, 12. (ne fortasse nimiam concipias earum qvantitatem.) Qvod si enormem botri magnitudinem descriptam videre gestis, consule *Försteri Lex. in* (אשכל) Eodem modo alii quoque fructus arefacti Ebræis olim in usu, uti apud nos jam pira, poma, cerasa, pruna &c. sic enim R. *Kimchi* exponit vocem קיץ 2. *Sam.* 16, 1. qvod בכללו hoc est *generaliter* designet *fructus æstivos arefactos,* (פירות היבשים) cui consentit *R. Levi Ben Gerson* ibid. (*Targum* verò & *Lekah Tob*, qvod est Lexicon ebræo. germ. juxta seriem libror. biblicorum, exponunt in specie: gedürrte Feigen.) Huc referimus fabas, lentes, pisa, orizam, & id genus alia; qvæ generali titulo vocabantur מזון uti hanc vocem exponit *Aben Esra Gen.* 45, 23. Sic igitur Barsillai afferebat Davidi lentes & פול qvod *Lekah tob* reddit: Erbeis oder Bonen/ ita & Lutherus, Bonen/ 2. *Sam.* 17, 28. Porro talium qvoqve fit mentio *Ezech.* 4, 9. ubi Propheta jubetur sumere *hordeum, triticum, fabas, lentes, milium, & viciam;* (Luth. Hirß vnd Spelte: *Lekach tobh* Hirß vnd Dunckel/) atq;

atq; ex iis sibi panem facere, qvia sc. in obsidione ex omni frumentô ac leguminibus panis parari solet; annotante hîc *Marianâ*. Eodem pertinent & ptisana, vel ut Lutherus reddit Grütz/ 2. *Sam*. 17, 19. qvam vocem הרפות *Rabbenu Jeschajah*, *Kimchi & Rasche* exponunt de triticô contusô; *qvod deinde solent explicare, ut exsiccetur*, addente R. *Levi*: generalius vero reddit *Pagninus* per grana contusa. Huc polenta, קלי dicta, cujus significationem vide in *Pagn. Lexico*. Huc etiam porrum, qvod qvovis die Jovis à viris mandi præcepit Ezras in captivitate Babylonicâ, (si credere fas est) referente *Buxt. syn. Jud.* p. 228. qvæ res non caret mysterio; qvippe porrum repræsentat ipsorum inimicos; hinc ubi manderunt istud adjiciunt: *lichretu seneenu*, hoc est, excindantur osores nostri: referente eôdem *Buxt. cap. 19. pag. 395.* Tale secretum delitescit qvoqve in lentibus, qvas comedere tantum solent circa tempora luctuosa, qvod huc describam ex *Zenorenna*, (qvi est Pentateuchus Judæorum ebræo germanus, nimium qvantum fabulosus:) Ita verò dicitur ibidem *Gen*. 25, 29. qvod Jacob propterea paraverit è lentibus pulmentum, qvia eodem die mortuus erat Abraham: & porrò, und darumb kocht man Linsen/ wenn einer stirbt/ gleich als ein Lins/ die ist kåuligt:

 also

also ist auch der Todt / gehet herumb / und weigert sich von einem Menschen zum andern Menschen. Nonne satis acutè? Alia adhuc ejus farinæ videbis de his apud *Buxt. p. 456. l. c.*

XVI. Hæc de fructibus, nunc etiam de *oleribus*. Illa verò in luctu cruda comedit Esras inter flores agri desidens, 3. *Esræ*; 9, 24. 26. *cap*. 12. 51. & Judas Maccabæus in deserto, 2. *Macc*. 5, 27. qvorsum etiam spectat lactucæ comestio, à qvâ apud Romanos initium sumsit cœna, teste Lipsio, *l*. 3. *ant. lect. p*. 143. ut qvæ cibi faceret appetentiam; &c. vide *Clar. Dilh. dial*. 2. *p*. 115. Simile qvid de Judæis profert *Buxt. syn. c*. 13. *pag*. 329. Qvandoque verò in ollam conscindebantur olera, ut inde fieret pulmentum, qvale nos fortasse vocamus Grünkraut; 2. *Reg*. 4, 39. ubi tamen per collectoris ignorantiam deprehensæ fuerant colocynthides, de qvibus videre poteris *Valesf. philos. sacr. c*. 36. Ejusmodi convivii terrestris, qvod opponitur escæ bovis saginati, meminit qvoqve Salomo, *Prov*. 15, 17. & Paulus ait, eum qvi minùs in fide adhuc firmatus est, vesci oleribus, *Rom*. 14, 2. qvod faciebat qvoqve Daniel cum sociis, qvi qvò minùs carne vetitâ aliisve cibis, qvi ex mensa Regis residui dabantur ejusmodi nobilibus, (teste *Briss. in Pers. p*. 229.) polluerentur, vesci volebant leguminibus, *Dan*. 1, 12.

XVII.

XVII. Poſt ſimpliciſſimam hanc Antiqvitatis frugalitatem proximè ſubjiciendus *panis*, ut qvi eadem cum præcedentibus, matre terra gaudet. Non vero prolixi erimus in enarrandis triturationum variis generibus, qvalia reperies in Fulleri *miſc. l. 6. cap.* 12. Zehneri *adag. ſac. pag.* 245. *ſeq.* nec in ratione comminuendi frumenta ſeu molendi, qvod mulierum fuiſſe, patet ex *Exo.* 11. 5. *Eſa.* 47, 2. *Matth.* 24, 41. cum portatiles ſcil. adeſſent molæ, verbi gratia in deſerto, *Num.* 11, 8. (confer etiam *Deut.* 24, 6.) nec deſudabimus in modo coqvendi ſive pinſendi, cujus jam aliqva præceſſit mentio, qvomodo item differat clibanus à furnô, (qvod docet *Druſ.* ad *pentat. c.* 33. & Scult. *exer. ev. l.* 2. *c.* 36.) &c. Hoc tamen adſcribo ex D. *Paul. Tarn. com. in Joh.* 6. *p.* 503. *frumenti genus in terra Canaan, panibus coqvendis aptum fuiſſe duplex; triticum & hordeum*, *Deut.* 8, 8. 2. *Sam.* 17, 28. *Joel.* 1, 11. *ex hoc parabatur cibarius & ſecundarius pro vulgo & pauperibus; ex illo primarius & ſimilagineus, pro ditioribus & primatibus.* Panis hordeacei fit mentio 2. *Reg.* 4, 42. *Joh.* 6, 9. triticei v. ſive ſimilaginei, ebraicè סלת dicti, hinc inde in Levitico ad ſacras oblationes; itemque *Ezech.* 16, 13. 19. ubi ponitur inter nutrimenta puellæ molliter enutritæ. Adjiciam verò hîc locum ejuſdem Prophetæ, *c.* 4, 12. (*come-*

(*comedes cibum ut placentam hordeaceam, & ad orbes excrementi humani eam parabis:*) cui lucem facere videtur illud, qvod vidit *Schvveiggerus* (*in itin. l. 3. c.* 40.) circa Damascum; homines ſcil. ob ligni penuriam ſolere fimum bovinum conjicere ad domuum parietes, qvô à Sole exſiccato utuntur dein vice ligni, & ad eum incenſum coqvunt & panem & alia. Sic quoque fecit Ezechiel, uti hîc exponunt *Mariana*, *Piſcator*, alii. Adhuc aliud ex eodem *Schvveiggero p.* 283. qvi circa Joppen uſum ſe eſſe dicit pane hordeaceo, ſub cinere fervente parato, figura ac craſſitie orbis lignei, (wie ein runder Teller/) qui, dum calet adhuc, boni qvidem ſaporis eſt, poſtea vero ingratus nimium fit atque difficilis. Cum hoc vero pane confert illos ſubcinericios Iſraelitarum in deſerto, ut & hordeaceos eos à Chriſto diſtributos, *Joh.* 6, 9. Hujusmodi panis, inter prunas coctus, apponitur etiam Eliæ, 1 *Reg.* 19, 6. Et de hodierno pane Judæorum infermentato circa paſcha parando, late agit *Buxt. ſyn. c.* 12. *p.* 322. ſeq. qvi placentas illas plerumque ait eſſe *rotundas, foraminulis plenas, ut aeri undiquaq; obviæ non fermenteſcant; imo & ſalſedinis & pingvedinis omnis expertes, vulgò è ſola aqva confectas, adeoq; eſui ſatis ingratas &c.* ex qva figura facilius etiam intelliges conſvetam eam

Ebræis

Ebræis fractionem; qvia ſcil. *Orientales olim non habebant panes, uti nos jam, elevatos, ita ut ad ſcindendum gladio eſſet opus; ſed pinſebant latos atq; ſubtiles inſtar placentæ, adeoq; facile manu frangebant*; uti obſervat *Stuck. l. 3. ant. conv. c. 3.* Imò non adeò grandes eos fuiſſe colligitur etiam ex 2. *Sam.* 16, 1. ubi par aſinorum præter alia onera portat panes *ducentos*; & unus David, ut & unica uxor Jeroboami, præter alia, portant panes denos, 1. *Sam.* 17, 17. & 1. *Reg.* 14, 3. (De *Mazâ* Perſarum vide *Briſs.* p. 214.)

XVIII. Pani congeneres ſunt *Placentæ*, qvarum in ſacris etiam oblationibus freqvens hinc inde mentio; quod ſc. infermentatæ fuerint, miſtæ oleô, &c. *Exod.* 29, 2. *Lev.* 8, 26. & *c.* 1 *Reg.* 17, 12. Tale quid Ammoni parat quoq; ſoror in ſartagine, 2. *Sam.* 13, 6. 8. & uxor Jeroboami offert donarii locô prophetæ, 1. *Reg.* 14. 3. (ubi vocem *nikkudim* Lekach tob reddit zwierbacken / meliùs verò piſcator, Stopffkuchen: ut qvæ punctulis ita qvaſi inſignitæ ſunt à R. *nakad.*) De hodiernis v. Judæorum placentis, triplicibus qvidem in feſtô paſchatos, ſeptuplici verò pentecoſtali in ſeſe implicitâ, ſeptemque cœlos deſignante, conſule Buxt. *ſyn. c.* 13. & 15. *p.* 327. 354. Et ſi qværatur, unde apud nos Chriſtianos ortum traxerit illa conſve-

tudo,

tudo, placentis honorandi festum paschale ac pentecostes, atq; hoc posterius ornandi etiam betulis ac ramis viridibus; non absimile videtur, Papatum hoc ad se derivasse ex Judaismo, ut & alia qvamplurima. Ita verò Judæos fenestris passim apponere ramos virides tempore pentecostali, placentasq; pinsere in memoriam albæ, puræ, dulcisque legis, testatur *Buxt.* p.354. l. c.

XIX. Hactenus de terræ nascentibus. Nunc etiam de animatis, & ortum ab iis habentibus, qvalia sunt lac, butyrum, casei, mel, ova, &c. De carnis verò speciebus variis, earumque qvalitatibus &c. eleganter scripsit *Petrus Castellanus* in sua *κρεωφαγία s. de esu carnium*; qvem poteris consulere. Non verò curabimus hîc varias eas species immundas, *Lev.* 11. enumeratas, & qvæ sunt alia ceremonialia, ad Scholam potius Theologicam spectantia. Hoc verò notandum inter cætera, qvod B. Gerhardus *p.* 1. *cont. harm. c.* 153. *p. m.* 1004. colligit ex *Matt.* 22. 4. *Gen.* 18, 7. 1. *Sam.* 28, 24. *Luc.* 15, 23. *tauros, hoc est, vitulos vel juvencos, qvi castrati qvidem essent, nondum tamen traxissent aratra, in delitiis fuisse ap. Jud.* Illos igitur, ut & carnes alias, (qvibus in conviviô deficientibus, nulla adest voluptas, juxta illud Rabb. *En Simcha belo basar*:) legimus modò coctas, modò assatas fuisse;

fuisse; v. g. *Judic.* 6,19. *Exod.* 12,8. *Esa.* 44, 16.19.&c. Ita carnes hœdulorum de capris tam concinnè paravit Rebecca, ut ferinæ saporem mentirentur, *Gen.* 27,4.*seq.* De suilla verò carne, cur præ cæteris tam exosa sit Judæis, vide *Scult.exer.ev.l.2, pag.* 129. qvæ tamen in castris iisdem fit licita, teste *Schick. de jure reg. pag.* 149. & quomodo sues alere potuerint Gadareni, docebit *Casaub. ex.* 12, *cap.* 34. Qvomodo verò hodiè circa carnem versentur Judæi, quàm studiosè eandem separent à piscibus, ut & lacte, ita ut inter utriusque esum lotio oris manuumque, ut & dentium accurata à carnibus purgatio intercedat, qvomodo etiam quovis sabbatho comedant tuceta, (Pasteten/) in recordationem mannæ, quæ pruinâ tàm infra quàm supra involuta quasi; & quæ sunt hujus generis secreta plura, consule sæpiùs laudatam *Buxtorfii synagogam, pag.* 209. 464. 257. ut & Ant. *Margaritæ fid. Jud. lit. c.* 3.

XX. *Aves* porrò fuisse inter Ebræorum cibos, non est qui dubitet. Hinc edunt coturnices, *Schelav* quæ vox notat *genus avium pingvissimum, & juxta Ebræos comprehendebat coturnices, perdices, attagenes & phasianos;* uti notat *Schindl.* in Lex. *Sic Zenorenna* quoque reddit hanc vocem *Exod.* 16,13. gar viel gute Vögel: Lutherus a. & *Leckab tob.* reddunt

Wach-

Wachteln: Autor l. *Sapient. c.* 16, 2. *c.* 19, 11. 12. utitur voce ὀρ]υγομήτρα. Confer *Num.* 11, 31.32. *Psal.* 105. 40. Inter cibaria Salomonis etiam numerantur *barbyrim*, quod nonnulli exponunt de avibus castratis saginatisque, ut sunt capones. *Targum* verò simpliciter reddit aves: (1. *Reg.* 4, 22.) De avium mactatarum sangvine operiendô pulvere, vide *Lev.* 17, 13.

XXI. De *piscibus* itidem comestis inter Ebræos, (modò non è speciebus prohibitis,) ambigendum non est. Non enim hac in parte senserunt cum Syris, qui (teste *Sardo l.* 1. *de morib. gent. c.* 20. *p. m.* 53.) piscibus abstinent: recordantur enim piscium in Ægypto gratis comestorum, *Num.* 11, 8. sic pisces venduntur, *Nehem.* 13, 16. &c. Imò iidem familiares penè fuerunt nostro Salvatori; qui pisciculos (procul dubio frigidos ad iter comportatos) distribuit, *Matth.* 14, 17. *cap.* 15, 36. & resuscitatus, comedit partem piscis assi, *Luc.* 24, 42. discipulisque piscantibus curavit piscem prunis imponi &c. *Joh.* 21, 9. Hodierni verô Judæi, qvàm superstitiosè distingvant pisces à carne, jam dictum.

XXII. Post animata seqvuntur & illa, quæ ex animatis ortum habent, uti sunt *Lac*: quod hospitibus apponit Abraham unà cum butyrô, *Gen.* 18, 8. & Jael Siseræ, *Judic.* 4, 19.

qu

quapropter à *Siracide* quoque *cap.* 39, 31. refertur inter vitæ necessaria. Ex lacte verò agitato oritur *butyrum*, juxta *Proverb.* 30, 33. quod eodem modo cum lacte apponunt jam dicti Abraham & Jael, l. cit. *Judic.* 5, 25. & ille quidem (ut hodie Belgæ aliique) prius apponit butyrum, quam alia fercula vel carnem. Butyrum vero & mel plerique ex *Esai.* 7, 15. 22. colligunt fuisse cibum infantum, pani videlicet illita; quomodo & *Plin. l.* 28. *cap.* 19. ait *infantibus butyrô nihil esse utilius, per se & cum melle; privatim & in dentitione, & ad gingivas, & ad oris ulcera.* Cui consentit *Galenus l.* 10, *de medic. simpl. c.* 10. Ex lacte etiam *Casei*: quorum fit mentio 1. *Sam.* 17, 18. 2. *Sam.* 17, 28. De istis autem hodierno Judæo non licitum comedere, si carnem vel de carne jus comederit, nisi interposita hora integra: teste *Buxt. syn. c.* 26. *p.* 463.

XXIII. Ex animatis porro volantibus sunt *Ova*. Hæc infantibus olim data esse, testatur Christus, *Luc.* 11, 12. Jobus quoque meminit albuminis vitelli, absque sale insipidi, *cap.* 6, 6. Hodie vero quomodo Judæi ova bulliant, in acumine ipsorum aperiant, iis tostis vescantur in signum tristitiæ, cruda verò apponant sponsæ, ceu sine dolore, facileque instar Gallinæ parituræ, &c. hæc te docebit *Buxt.* p. 363. 464. 456. 481. &c.

XXIV. Ex apibus denique est etiam *Mel*; cujus freqvens itidem usus apud Judæos. Hoc muneris loco offertur, *Genes.* 43, 11. 1. *Reg.* 14, 3. hoc inter delicatos puellæ cibos ponitur, *Ezechiel.* 16, 13. 19. hoc ita, ut reperit, comedit Simson; *Judic.* 14, 9. & Jonathan, 1. *Sam.* 14, 27 ne tamen isto nimis oppleatur stomachus, hortatur Salomon, *Proverb.* 25, 16. 27. Imo de favo apiario comedit jam redivivus *JEsus*, *Luc.* 24, 42. Sed quis referret omnia? à cibis ergo deveniamus tandem.

XXV. Ad *potum*. Communissimus ut & antiquissimus est *aqva*, imo in conviviis etiam adhibita; ut 1. *Reg.* 13, 19. de qva re porro vide *Drus. l.* 12. *obs. c.* 15. & *ad Esth.* 7, 2. Hinc qvidam, ceu peculiare aliquid addi dicunt in descriptione convivii *Job.* 1, 13. comedebant & *bibebant vinum*. Alias cœna ejusmodi, vino destituta, dicebatur *Canina* (de qua & *Lips. l.* 3. *ant. lect.*) quam fere cœnabant ii, qui in luctu versabantur. *Dan.* 10, 3. aut qui studebant temperantiæ; *Dan.* 1, 12.

XXVI. Post aquam succedit *vinum*, quod apud Persas tantum in apothecis asservabatur, exigua quantitate; publici autem usus factum à Rege Gamschid, non multo post Noæ tempora, uti meminit *Schickardus* in suo *Tarich*, p. 38. Hujus porro encomium

vide

vide *Psalm.* 104, 15. *Sirac.* 32, 30. *seq.* Inventorem plerique putant Noam, ex *Gen.* 9, 21. ita ut eidem primus vini usus ad bibendum à Deo sit ostensus, uti & carnis ad vescendum: (uti habet *Pelargus* ad h. l.) Hinc eo porro usus est Melchisedeck, *cap.* 14, 18. Lothus *c.* 19, 32 aliique. Imo nec fœminis adeo improbatus ejus usus, alias *n.* gravior fuisset Hannæ increpatio, 1. *Sam.* 1, 14. huc *Judith*, 10, 5. Pari modo nec Regibus plane vetitum est *Prov.* 31, 4. nam de nimio vini abusu textum loqui, docet contextus ac ratio: ne sc. impingant in judicio, *Esa.* 28, 7. 8. In nuptiis habita quoque esse vina, quæ pro more ab initio erant præstantiora, substitutis sub finem vilioribus, patet ex *Ioh.* 2, 10. Porro nec Ebræos adeo immunes fuisse à temulentiæ vitio, uti forte de se gloriantur Itali ac Galli, culpatis (& jure quidem merito) nobis Germanis; id docet Esaias, c. 5, 11. 22. quem vide. Imo debacchantes atque in plateis vociferantes non adeo raros ibidem fuisse, patet ex simili, inde sumto, *Ps.* 78, 65. Apud Persas alias, tanquam peculiare aliquod, notatur, in convivio regio non adfuisse cogentes ad potum, sed pro libitu quemque bibisse, *Esth.* 1, 8. confer *Briss. Pers. pag.* 215. Qvantum v. vini ad ebrietatem præscribat *R. Levi*,

 vide

vide ap. *Druſ. ad pent. c.* 29. Qvod etiam, pro more calidarum Regionum, vinum ſæpius aqva diluerint, patet ex 2. *Macc.* 15, 40. confer præterea *B. Gerh. t.* 5. *LL. p.* 33. Quomodo porro vinum in utribus ſervarint coriaceis, pluribus declarat *Scult. l.* 2. *ex. c.* 52 (de Luc. 5, 37.) ſic Judith ſecum fert vinum *ἐν ἀσκοπυτίνῃ*, *c.* 10. 5. Qvomodo v. è phialis iſtud potarint, docet *Amos c.* 6, 4. Et hodiè qvidem; cum Judæi ſibi propinant, dicere ſolent *lechajim tobhim*, *ad bonam vitam*, teſte *Buxt. ſyn. p.* 482 fere ut Romani olim: *Benè vivas.* (apud *Lipſ. l.* 3. *ant. p.* 159.)

XXVII. Nec v. prætermittenda eſt *ſicera*, שכר dicta, quæ dicente *Hier. ad Nepot.* eſt *omnis potio, qvæ inebriare poteſt, ſive illa, quæ frumento conficitur, ſive pomorum ſucco: aut cum favi coqvuntur in dulcem potionem; aut palmarum fructus exprimuntur in liqvorem, coctisq; frugibus aqva pingvior coloratur.* Huic conſentit *AbenEſra* ad Lev. 10, 9. Sic in l. *Muſar* habetur ſicera ex palmis, ex hordeo, &c. citante *Druſio ad l. Num. p.* 366 & de ejusmodi vinis factitiis videre poteris *Plin. l.* 14, *c.* 16. Scultetus (*l.* 1. *ex. ev. c.* 16.) ſiceram habet pro genere potus inebriantis; cujus ſpecies, vinum uvarum, & ex fructibus arborum; ut eſt ſuccus pirorum, pomorum, palmarum; itemque potus

com-

compositus ex melle & aqva, (Meth) ex melle & vino, ex aqua & frumentis, hordeo, tritico: qvorsum nostra & vetus Gallorum cerevisia. Expende jam, si lubet, *Lev.*10,9. *Num.*6,3. *Deut.*14,26. *Esa.*5,11.22.28.7. *Luc.* 1,15. & *Cant.* 8,2. (ubi mentio fit *vini aromatici & musti malogranatorum.*)

III. DE LOCO.

XXVIII. Locus communis (ut sic dicam in relatione ad mensam;) varius est; quandoque n. esitatum sub arbore umbrifera, ut *Gen.* 18,4. *Iud.*5,19. quorsum phrasis: considere sub vite & ficu sua; *Mich.*4,4. 1. *Macc.*14.12. *Zach.*3,10. (vide *Flac. p.* 2. *Cl. f.* 587.) qvorsum etiam idololatricæ in montanis umbrosisque lucis commessationes *Ezech.* 18. &c. Qvandoque post sacrificia in locis quoque sanctis peragebantur epulæ, ubi præsens Levita vel Sacerdos instituebat offerentes de sacrificii significatione &c. uti docet *Franzius in schol. sacrific. ex Lev.* 10, 13. c. 24, 9. &c. qvomodo & Samuel introduxit Saulem *lisckkátah* in *conclave ejusmodi* 1. *Sam.* 9, 22. Sic B. *Chem. Harm. c.* 26. eleganter qvoqve colligit, domos, in quibus celebrabantur nuptiæ, fuisse publicas, & forte non procul à synagogâ; qvem vide.

XXIX. Sed propius ad rem. Peculiares in ædibus fuisse locos, cibo capiendo desti-

ſtinatos, qvi dicuntur alias *cœnacula*, *triclinia*, ὑπερῶα, &c. patet ex multis locis. Erant v. in ſuperiore ædium parte, ita ut ſcalis eò aſcendendum fuerit; qvapropter & nomen iis datum *alyah* ab *alah* aſcendit, qvemadmodum & Græci ab altitudine dixerunt ὑπερῶα, quam vocem Syrus in N. T. reddit itidem per *elithó* ut *Act.* 20, 8. Talis cœnaculi ſpacioſi, ventisque pervii, & amplis feneſtris, (ob caloris æſtivi ſc. repreſſionem, uti *Kimchi* addit) mentio fit Jer. 22, 13. 14. & Jud. 3, 20. 23. ſeq. (ubi habes etiam de ejus veſtibulo & ſera;) ſuperius erat contectum, ita ut ſupra tectum erigi potuerint aræ, 2. *Reg.* 23, 12. qvamvis & cancelli in eodem fuerint, ita ut lux tanto melius penetrarit; ceu patet ex Achazia, per ejusmodi cancellos in cœnaculum decidente 2. *Reg.* 1, 2. (ubi videſis *Kimchium* & *R. Levi.*) In tali cœnaculo aderant menſa, lectus, ſella, candelabrum 2. *Reg.* 4, 10. Confer etiam *Act.* 1, 13. 9, 37. 20, 8. Hic locus aliqvando dicitur ἀνώγεον, ut *Marc.* 14, 15. *Luc.* 22, 12. de quo porro vide B. *Gerh. harm. con.* 2. *c.* 169. *p.* 1250.

XXX. Proxime jam ad *menſam lectosque*. De menſæ a. apud gentes variis figuris, materia, pedibus, &c. conſule *Stuck. l.* 2. *ant. con. c.* 16. 17. 18. *ſeq.* Roſin. *l.* 5. *ant. c.* 26. & Dempſteri

steri *notas ad eund.* Lipſ. *l.3. Ant. lect. p.* 144 *ſeq.* Turcarum quidem menſæ, teſte *Georgieviz. p.* 66. *de Turc.* à terra parumper erant elevatæ, aliter tamen menſæ erant apud Ebræos, ita ut locus ſub iis eſſet canibus, *Marc.* 7, 28. imo & regibus devictis, *Iudic.* 1, 7. Et ſi menſæ profanæ, cum ſacra templi, fuerunt uniformes, noſtris ſane menſis multo fuerunt humiliores. Nam menſa ſacra alta erat 1. cum dimidio cubitum, *Exod.* 25, 23. jam cubitus ſacer conſtabat 6. palmis, h. e. 24. digitis, uti docet *Ar. Mont. in antiq, Iud. l. Thubalc. p.* 14. 115.

XXXI. *Sellas* fuiſſe in uſu apud gentem Ebræam, non eſt qui dubitet. Hoc tamen controvertitur adhuc, num Judæi antiqviores, antè deletam à Rom. politiam, iisdem ſint uſi inter cœnandum, uti jam nos. Affirmat hoc *Ciacconus*; refellitur tamen à *Baron. an.* 34. *n.* 36. & *Caſaub. ex.* 16. *c.* 22. Sanè vetuſtisſimos gentium heroas ſedentes comediſſe, probant *Lipſ. l.* 3. *ant. lect.* Cœl. *l.* 27. *c.* 26. aliique. Sic de Ebræis ſentit qvoqve Druſius *ad Gen.* 57, 25. & confirmat porrò ex *Gen.* 27, 19. *Iud.* 19, 6. 1. *Sam.* 20, 18. 25. 34. & 1. *Reg.* 13. 20. Qvibus adjici etiam poſſet Philonis authoritas apud *Caſaub. ex.* 16. *c.* 22. qui expreſſe a fratribus Joſephi accubitum removet, *Gen.* 43, 33. Atque h. m. cum Dru-

ſio facit qvoqve *Villalpandus*, *ad Ezech.* 23, 41. Verum abit hîc in diverſam ſententiamCaſaub. l. c. partim objecta diluens, partim probans, accubitum in gente Dei viguiſſe, ex *Amos* 2, 8. (ſuper veſtimenta juxta qvodvis altare (jattu) *diſcumbunt*;) ubi *Raſche*, *vox* jattu ait, *accipienda notione* meſibha, *accubitus: qvia omnis accubatio ad epulas fit cum inclinatione; accumbens n. innititur ſiniſtræ ſuæ*: cui addit *Ezech.* 23, 41. Qvibus Caſ. probationibus adjici poſſet *Prov.* 7, 14. 16. it. *Eſth.* 1, 6. *ubi de mittoth*, *reclinatoriis* aureis; item c. 7, 7. & 1. *Sam.* 28, 23: ita *Amos* 6, 4. *væ dicitur accumbentibus in lectis eburneis, qvi extendunt ſe, vel veſtibus qv. diffluunt ſuper ſpondis ſuis, comeduntque agnos pingves &c.* (vid. Tarn. h. l.) ſic Judith ſuper pellib. humi ſtratis recumbit: *c.* 12, 15. Nos inter tantos viros arbitri non erimus, niſi forte dicatur, accubitum in gente ſancta ſub Regum imperio paulatim ſumſiſſe initia. Hoc interim certum eſt, Chriſti tempore eundem jam ſatis fuiſſe receptum; uti probant verba ἀνακλίνειν (qvod eſt jacere protenſo corpore, ceu infans in præſepi, *Luc*, 2, 7.) *Matth.* 14, 19. *Luc.* 7, 36. ἀνακεῖσθαι (inſtar mortuæ puellæ *Marc.* 5, 40.) *Matth.* 9, 10. 22, 10. 11. 26, 7. 20. 3. *Eſd.* 4, 10. ἀναπίπτειν, *Matth.* 15, 35. *Luc.* 11, 37. *&c.* Hinc etiam Phari-

Pharisæis in scholis tribuitur affectatio πρωτοκαθεδρίας, πρωτοκλισίας in conviviis, *Marc.* 12, 39. Imo si Christus ita sedisset, ut jam nos, pedibus sub mensa occultatis, quomodo eosdem unxisset mulier? *Luc.* 7, 38. qvomodo etiam Johannes ad pectus Christi potuisset recumbere, (nisi delirium pictorum perplaceat,) *Joh.* 13, 23. 25. Qvapropter audiamus *Flacium*, qvi *p.* 1. *Cla. f.* 1174. sic describit accubitum: *in sumendo cibo, protensi recumbebant humi, seu in pavimento lectis instrato, ita ut circulum qvendam facerent; capitibus quidem semper introrsum ad epulas, pedibus v. extrorsum porrectis. Qvare semper seqvens in prioris sinu recumbere videbatur, dum caput ejus qvasi incumbebat pectori superius accumbentis.* Sic ferè Lipsius, *l.* 3. *ant. lect. p.* 145. *Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente: capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto*, & paulò post: *primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorsum secundi: secundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto;* &c. eundem jam vide porro; ut & *Rosinum l.* 5. *ant. c.* 28. *p.* 804. *seq.* Stuck. *l.* 2. *ant. con. c.* 34. His jam consonat *Schindl. f.* 11, 2. *Lex.* qvi discubitum hunc super latere sinistro dicit appellari *basibbath schmol* sic & *f.* 1190.

Conf. *B. Chemn. har. c. 26. p. 104.* item *Villalpandi comm. in Eze. f. 297.* ubi elegantes hanc in rem reperies picturas. De digniori inter accumbentes loco, (qvem extitisse paret ex 1. *Sam. 9, 22. Luc. 14, 8. 20, 46. &c.*) si qvis ex sacris demonstret, qvalis ille fuerit, & ubi, gratiam habebimus.

IV. DE TEMPORE.

XXXII. Non eadem apud gentes observata esse circa sumendos cibos tempora, patet hinc inde ex historiis. Persæn. in die semel, (*Briss. Pers. p. 63. & 220.*) Græci ter aut qvater, Arabes in tribus diebus tantum bis, Calecutienses octies & decies, Sarmatæ tertio demum die, cibis vacare scribuntur: docente Sardô *l. 1. de ritib. gent. c. 20.* & Stuckio *l. 1. ant. con. c. 11.* præcipue tamen ad qvatuor reduci posset capita ista ciborum sumtio: *jentaculum sc. prandium, merendam, cœnam.* (de qvibus vide sis *Rosin. l. 5. ant. c. 26. 27.*)

XXXIII. *Jentaculum* v. ap. Ebræos in usu communi fuisse verisimile non est, nisi excipias forte pueros, item mercenarios ac servos, quibus summo mane dispertiri cibum dicitur materfam. *Prov. 31, 15.* it. laborantes per noctem discipulos piscantes, qvibus diluculo Christus paraverat pisces, *Joh. 21, 3. 9. 12.* Alias, si fuisset in usu, non

tam

tam bene sobrietatem ex matutinô tempore probasset Petrus, *Act.* 2, 15. imo non tam cupidus fuisset circa horam sextam γεύσασθαι (anzubeissen: unde & Ger. Imbiß/ qvasi ein- vel An-biß) *Act.* 10,10. Hinc adeò taxantur matutini isti potationum redintegratores, *Esa.* 5,11. & principes manè comedentes, *Cohel.* 10, 16. Interea tamen hodierni Judæi valde salubre ducunt, edere aliqvid prius qvam matutino tempore suum aggrediantur opus; sic n. panis frustulo ac haustulo vini 63. morbos fellis persanari posse putant, referente Buxt. syn. c. 6. p. 188.

XXXIV. *Prandium*, qvod populis quibusdam inusitatum, eliminandum hic non est. Ita namque ad prandium invitat Josephus fratres; *Gen.* 43, 16. 25. Et si prandia non fuissent in usu, qvomodo dicerentur Judæi jejunasse ad vesperam? *Jud.* 20, 26. 2. *Sam.* 3, 35. Hinc Targum, illud *Cohel.* 10, 16. (*væ terræ, cujus principes mane comedunt*) sic Paraphrazei: *Principes tui anteqvam offerant juge sacrificium matutinum, comedunt panem*; & postea v. 17. (beata terra, cujus principes in tempore comedunt,) sic ait: *postquam obtulissent juge sacrificium, in tempore edebant panem, qvatuor horas post labores manuum ipsorum.* Ita prandii destinatum fuisse tempus, patet ex *Frag. Dan. c.* 1, 13. qvod ipsum

ipſum confirmat Joſephus *in vita ſua*: qvi exortam procul dubio, dicit, fuiſſe ſeditionem, *niſi concionem ſolviſſet ſexta hora ſuperveniens, qvæ noſtros ad prandium vocare ſolet Sabbathô.* Ita hodieque in *Talmud. de Sabbathô* traditum dicit Buxt. (*ſyn. c. 6. p. 188.*) *ut cum horarum qvinqve ſpatio luxit dies*, qvod circiter horam eſt undecimam *prandium ſumatur.* (*vid. ib. p. 324.*) In N. T. ſatis manifeſta ἀρίϛȣ & δείπνȣ habetur diſtinctio, *Luc.* 14, 12. confer *c.* 11, 37. & *Act.* 10. 9. 10.

XXXV. *Merenda* (qvaſi poſt meridiem edenda, juxta *Iſid.*) à qvibusdam appellatur *ſeuda benonith, refectio intermedia*, ſc. inter cœnam & prandium. Utrum v. hæc, exceptis pueris ac operariis, magis apud Ebræos, qvam apud nos jam recepta fuerit, fortaſſe non probabitur. Reſtat igitur *Cœna.* Ejus hora ap. Rom. erat *nona*, probante *Lipſ. l. 3. Ant. lect. p.* 144. Stuck. *l. 1. ant. conv. c.* 11. Eadem ferè fuit qvoqve ap. Ebræos; nam hora nona deſtinata erat juge ſacrificio veſpertino, ſicuti Joſeph *l. 7. bell. Jud.* ait, illud fieri ſolitum fuiſſe ἀπὸ ἐννεάτης ὥρας, h. e. *horâ nonâ*, vel tertiâ poſt meridiem, *exactâ*; qvapropter & hæc nona dicitur hora precum, *Act.* 3, 1. & 10, 3. 30. A ſacris itaque redeuntes, cœnæ dein vacabant; cui ferè conſonat, 3. *Macc.* 5, 12. ubi dicitur,

mediâ

mediâ horâ decimâ adfuisse invitatos. De horarum v. distinctione & cum nostris convenientia, videre poteris inter alios Walth. *harm. Script. l. 1. parag.* 77. *& offic. bibl. p.* 878. Neque v. ad hanc horam adstrictos putamus operarios: nam sic rure demum rediens servus, cœnat, *Luc.* 17, 8. imò circa undecimam adhuc conducti, laborant unam horam *Matt.* 20, 9. *seq.* Sufficiant hæc exigua, pro exiguitate & ingenii & chartæ, qvamvis addi posset de conviviorum temporibus aliis, v. g. in natalitiis, *Marc.* 6, 21. *Ose.* 7, 5. 2. *Macc.* 6, 7. (vide *Briss. Pers. p.* 64. 220.) in ablactationibus, *Gen.* 21. *&* 43. in nuptiis, *Joh.* 2, 1. *Jud.* 14, 11. 12. *Tob.* 8, 12. 11, 21. *Matt.* 22, 3. in Regum initiationibus, 1. *Par.* 13, 39. 30, 22. in fœderibus, *Gen.* 26, 30. 31, 54. in festis ac sabbathis, *Luc.* 14, 1. *Neh.* 8, 10. *Tob.* 2. 2. in vindemiis, *Jud.* 9, 27. in tonsurâ gregis, 2. *Sam.* 13, 23. in Valedictionibus, 1. *Reg.* 19, 21. in funeribus, 2. *Sam.* 3, 35. *Jer.* 16, 7. 8. *Ezech.* 24, 17. Addi etiam posset de Musicâ, ludis, saltationibus. Verum dicta hæc sufficiant. *Laus Ter sancto DEO nostro, à qvo omne, qvod bonum ac verum, unicè est profectum; is defectus omnes porrò emendet, atque ad meliora subinde nos deducat, usque tandem ad optima, per JEsum, Amen.*

EPI-

EPIDORPIDES.

1. *Prandendumne an cœnandum largius?* D. 2. *An, more qvarundam gentium, inter pocula consultandum vel disputandum?* N. 3. *An certa cibi hora præstet illi, qvam esuriens diversimodè præscribit stomachus?* A. 4. *An neglectâ diætâ decurtari posſit vitæ terminus?* A. 5. *An studia felicius tractantur ab ebriis qvàm sobriis?* N.

II.

GVSTAVI CHRISTOPHORI HOSMANNI

Eccleſ. Woldehorn. in Stormaria Paſt.

Diſſertatio exegetica

ad Gal. III. 19 ſeq.

Conſpectus.

Occaſio §. 1. *Rev. Gerdeſii explicatio* §. 2. *quæ expenditur* §. 3. 4. *tranſitio* §. 5. *ſcopus Apoſtoli* §. 6. *analyſis capitis* §. 7. *ſumma oraculi ex anteced. & conſequentibus* §. 8. 9. 10. *de qua lege hic diſputetur?*

tetur? §. 11. quis mediator h. l? §. 12. mediatorii officii ratio. §. 13. verba: τῶν παραβάσεων χάριν &c. explicantur. §. 14. ὁ δὲ μεσίτης —— εἷς ἐστιν §. 15. vtriusque comm. paraphrasis §. 16. ratiocinationis Apostolicæ neruus §. 17. 18. 19. quæstionis. ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν &c. occasio & responsionis sensus. §. 20. conclusio. §. 21.

§. I.

QVi varias de hoc oraculo, omnium interpretum consensu in obscurioribus numerando, sententias ex instituto recensuit, & sub examinis limam reuocauit, Vir Reu. Henricus Walth. Gerdes (*) nouam eius explicationem proposuit, ingenii quo floret acerrimi, & eruditionis perfectæ specimen clarissimum. Sed neque in illa demum, cæteris licet omnibus ad scopum Apostoli propius accedat, acquiescendum esse existimo: eo potissimum, qvod argumentum inde, pro thesi,

(*) S. T. D. & Eccl. Euang. Luther. Lond. in Anglia Pastor. in dissert. inaug. *de Christo unico Abrahami semine* &c. Giessæ 1723. add. Biblioth. Hist. Philol. Theol. Class. VII. p. 585. seqq. & V. Cl. Henr. Bened. Starckii Not. sel. ad loca dub. & diffic. N. T. p. 142 &

theſi, ex doctiſſimi authoris ſententia, heic probanda, emergens, tanti mihi roboris non eſſe videtur, vt vtramque paginam facere, ac omne prorſus dubium dispellere poſſit.

§. II. Etenim, ex mente doctisſimi authoris, argumentum utroqve commate ſiſtitur, qvo teſtamentum, legis promulgatione, non eſſe reſcisſum, probetur, cujus fundamentum ſit: qvod Deus ad ferendam legem mediatoris opera uſus fuerit, ut nervus ratiocinationis in eo lateat, qvod mediatorium officium partes ſupponat litigantes; hîc autem, non per unitatem tantum ſeminis, ſive hæredis, numericam, ſed & per eſſentiae hæredis atqve teſtatoris, adeoqve voluntatis, unitatem, liti, qvae mediatoris reqvirat curam atqve induſtriam, locus omnino ſit nullus. Unde facile ſit deprehendere, legem non niſi Judæis ſancitam eſſe, ac proinde teſtamento, qvo Chriſtus ſaltem hæres fuerit ſcriptus, neutiqvam detrahere vel obeſſe. Verba itaqve, ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, viro doctisſimo idem ſignificant atqve: *Hic mediator*, qvi legem promulgauit, *unius*, qvem hæredem Deus nuncupavit, mediator non eſt, propterea qvod fieri neqvit, ut *unius* hæres contentionis ſecum ſerram reciprocet, mediato-

diatoris opera dirimendae. Verbis autem: ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν, hunc sensum inesse credit: Deus autem unus est, *essentia sive voluntate*, utpote qvae ipsa est ejus essentia, cum ipso semine hærede, ut itaqve *modus non sit possibilis externae mediationis* inter Patrem testatorem & Filium hæredem.

§. III. Non autrem citra rationem a viro doctissimo, cujus eruditionem magni facio justoqve pretio veneror, qvod ad hanc explicationem attinet, dissentio; qvod ut planum faciam, neruum saltem, & ipsum ratiocinationis fundamentum, brevibus attingam, qvod a viro Rev. ægre non iri latum confido; cum in more id positum sit iis qvi novas moliuntur explicationes, ut in aliorum sententiis qvid sibi displiceat, & adsensum prohibere videatur, exponant; & præter æqvitatem ac modestiam, qva nil mihi prius est, in examine sententiarum qvibus calculum negamus haud qviqvam a nobis exigatur.

§. IV. Qvod si igitur qvem sensum verbis subiicit curatius paulo libramus & expendimus, quod argumenti hanc in rem vicem sustineat, nihil in illo offendimus; propterea quod duæ heic propositiones, non omni prorsus exceptione maiores, pro fundamento ponuntur, ex qvibus velut

ex concessis, vel facile concedendis, secundum hanc explicationem ab Apostolo disputaretur, qvarum altera sic se habet: *Tale mediatorium, quo Moses legem promulgando defunctus est, officium, partes supponit litigantes;* altera hæc est: *Tale testamentum, qvo, mediante unico, plures scripti sunt hæredes, quamvis testatorem inter & illos, quos mediate nuncupauit hæredes, exoriantur lites; ab ipso tamen testatore, (vt vt hærede immediate scripto propter voluntatis unitatem necessario consentiente,) quatenus ad plures illos mediate hactenus nuncupatos spectat, mutari vel rescindi non potest.* De priori propositione quid sentiendum sit §. 13 exponam; ad posteriorem autem quod attinet: testamenti Diuini, nisi me omnia fallunt, hanc esse summam, manifestum est: *Vnicum ex tuis, Abrahame, posteris indiuiduum omnis benedictionis, secundum eam, qua semen tuum erit, naturam, hæredem nuncupo; &, vt per mortem demum huius hæredis vnici ad omnes ista benedictio gentes pertingat, iubeo.* Neque enim alium promissionis verba, siquidem testamenti loco habenda, sensum admittunt. Fingamus itaque, κατ' ἄνθρωπον enim hic disputari existimat vir doctissimus, fingamus inquam, Caium testamento hæredem scripsisse Titium, ea lege, vt, mortuo demum Titio tota hæ-

redi-

reditatis ſubſtantia ad Seji familiam tranſeat. Sed Caius tandem, & verbis & re læſus, teſtamentum mutare, & indignæ Seji familiæ hæreditatis ſpem omnem præcidere conſtituit. Ego profecto, quid obſtet, quo minus teſtamentum, quatenus ad Seji familiam ſpectat, reſcindatur, non intelligo; fieri enim non poſſe, vt Titius a Caio diſſentiat, & mediationis, Caium inter & Titium, nullam prorſus rationem fingi poſſe, concedo: ſed inde potius colligo, neqve in eo, vt teſtamentum reſcindatur a Caio diſſentire poſſe Titium; pro negatiua vero ſententia quod faciat, nihil deprehendo.

§. V. Genuinum itaque ſenſum oraculi in lucem hactenus non eſſe protractum exiſtimo; in quem idcirco, poſthabitis tantisper aliorum erudite cogitatis, inquirendi periculum feci. Non enim ingenii ſemper ac eruditionis eſt, interpretis partibus ſatis, qvod ſit, facere; neque dubito fore, vt plerisque duntaxat, ſacrarum rerum peritis, operae heic pretium feciſſe videar.

§. VI. De ſcopo quidem conſtat: in eo totum eſſe virum Divinum, vt iuſtitiam, non legis operibus acquirendam, ſed verum eius fundamentum in Chriſti morte

ponendum esse, confirmet, & ab aduersariorum strophis vindicet. Argumentorum quibus hanc in rem vtitur, adeoque totius capitis, antequam de commate 19 & sequenti sigillatim dicamus, breuem dare analysin, ab instituto non erit alienum.

§. VII. *Primum* hanc in rem argumentum inde petit, quod ἐξ ἀκοῆς πίστεως, non ἐξ ἔργων νόμου, spiritum illum acceperint, cui ἐνέργειαι præstantissimarum virtutum, quin & miraculorum debeant, queis ecclesia primæua fulsit. v. 2—5. add. 14. cap. IV. 6. &c.

Secundum, ab exemplo Abrahami v. 6. 7.

Tertium, ex euangelio Abrahamo prædicato v. 8. 9.

Quartum, ex comminatione legi adspersa; vbi pro fundamento ponit, legem moralem, de qua sermonem hic esse manifestum est, obedientia omnibus numeris absolutissima, seruari non posse.

Quintum ex testimonio Prophetæ, v. 11. 12.

Sextum ex mortis Christi ratione, v. 13.

Septimum inde, qvod benedictio Abrahami ad gentes, legi non subiectas, pertingat in Christo Jesu. Acceperant enim spiritum promissum, E. benedictionem; acceperant, quibus lex non fuit lata, E. sine operibus

peribus legis; acceperant per fidem, E. in Christo Jesu. Perinde ac si dixisset: Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται. (*) Gentibus enim neque cæremonialis neque forensis lata fuit; vt vt autem moralis, quam cordibus inscriptam esse constat, naturalis sit; quoad Judæos tamen positiuæ simul legis χέσιν ex solemni promulgatione obtinuerat. In eo autem πρῶτον Judæorum ψεῦδος latebat, non quod legem moralem naturalem adeoqve vniuersalem esse prorsus ignorarent; sed quod iustificandi vim illi tribuerent, ex quo in positiuam abierit: quo sensu gentes *legem non habebant*, & *ἀνόμως peccarant*, (**) vnde Spiritus in gentibus ἐνέργειαν, vtpote quæ iustificationem supponebat, fortissimum hanc in rem argumentum suppeditare liquet. Sed, ne quis obuerteret: Benedictionem Abrahami perperam heic pro fundamento charismatum haberi, vtpote quae ad solos Abrahami posteros respiciat; ad ipsa testamenti verba, & vnitatem seminis numericam provocat v. 15. 16. obiectionem ex mente adversariorum sibi nectens: κατ' ἄνθρωπον λέγω, i. e. ex aduersariorum sen-

(*) Rom. III. 21.
(**) Rom. II. 12. 14.

sententia: (*) ὅμως ἀνθρώπυ —— καὶ τῷ σπέρματι αὐτῦ, & respondens: ὐ λέγει τοῖς σπέρμασιν &c. Vtrumque comma sequentem in modum παραφράζω: Dixi: Gentes benedictionis Abrahami participes esse. *obiicient* aduersarii: Quid gentibus, vtpote qvarum nulla exstat in verbis promissionis mentio, cum benedictione Abrahami? ne hominis quidem testamentum, rite confirmatum, abrogare vel mutare fas est; Abrahamo autem & semini Abrahami, non gentibus dictæ sunt promissiones. Sed *respondeo*: Haec meum quidem adsertum adeo non feriunt, vt egregie potius pro illo faciant: Quod si enim premenda sunt verba testamenti, sunt autem omnino, neque omnes in universum posteri patriarchæ hæredes scripti sunt; non enim Deus haeredes nuncupauit multos, sed semen, adeoque unicum saltem indiuiduum, quod Christum esse, sine oppositi formidine pronuntio: in quo gentes, eodem ac Judaei ad promissiones iure accedunt. Etenim, qui ad immutabilitatem hic testamenti ab Apostolo prouocari credunt, argumentum in obscurissimis profecto censendum, nisi robore prorsus destitutum, tanto

(*) conf. Rom. III, 5. 1 Cor. IX, 8. &c.

tanto doctori tribuunt. Testamentum enim a testatore rescindi posse, & legem, de qua disputatur ab ipso profectam esse, negari nequit. Mortis autem repraesentatiuae ratio, nisi aduersarios latuisset, nulla prorsus fuisset iustificationis controversia. Quid quod ab aliis saltem fieri id posse negetur; illi autem qui legis promulgatione antiqvatam esse promissionem praecipiebant, a DEo factum id esse contenderent. Qvam ob rem iis accedere nequeo qui comm. 15. & 16. ad argumentum comm. 19. & 20. illustrandum pertinere existimant.

Octavum pro thesi sua principali argumentum ex *gratiae & meriti differentia* arcessit v. 17. 18. (*) Et ne omnem legis usum euertere prorsus videretur, ad quaestionem: *τί οὖν ὁ νόμος*; verum & primarium legis finem & usum evoluit; & quam bene huic cum promissione conueniat v. 19. & 20 exponit: qui cum ita sit comparatus, vt per ipsam indolem suam testamentum abolere, frivolis quidem aduersariis videri posset; nouo huic dubio satis qvod est facit, simulque

Nonum, quod instar omnium est, pro thesi sua principali, argumentum addit, inde desumtum, quod lex peccata nequeat auferre. Usum deinde legis paedagogicum

(*) conf. Rom. IV. 4. XI. 6.

v. 23. 24. ſubiungit, & ad finem vſque capitis cauſſam ediſſerit, quam ob rem paedagogia ſimul legis ac obligatio euanuerit & exſpirauerit, eo quod additam fuiſſe legem, *donec* ſemen illud veniret, v. 19 dixerat.

§. VIII. Ex argumentorum, quam hactenus exhibui, diſpoſitione atque delineatione, manifeſtum eſſe arbitror: comm. 19. & 20, quibus perſpicuitatem lucemque conciliatum eo, & verum legis uſum exponi, & promiſſioni legem obeſſe, *argumento* fortiſſimo, & *a gratiae potisſimum ac meriti differentia*, petito, negari; id quod non ex *συναφείᾳ* textus tantum veri fit ſimile, ſed ex ipſa ſimul quaeſtione: *τί οὖν ὁ νόμος*; certiſſimum eſt, & ab omni dubio remotum.

§. IX. Quodſi ad eam porro quam ſubiicit quaeſtionem, atque reſponſionem, attendimus: vel finem legis, vel argumentum quo hanc in rem vtitur, eo comparatum eſſe ſuſpicamur, vt in ſuam potius rem alterutrum, vel vtrumque, ab aduerſario verti poſſet, quia theſis adeo principalis praeiudicii nonnihil inde caperet, niſi ὄντως ex lege iuſtitiam non eſſe, ſimul evinceretur.

§. X.

§. X. Verum itaqve legis vſum, in verbis: τῶν παραβάσεων χάριν — ἐπήγγελται, quaerendum eſſe reor; argumentum autem quo legem promiſſioni non officere, id eſt, meritum gratiae non eſſe ſurrogatum, comprobat, in verbis: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτȣ, eiusque nervum in μεσίτȣ potiſſimum denominatione latere, ſequentia vero verba argumentum hoc illuſtrare, eiusque vim ulterius exponere, certum eſt. Hanc denique concluſionem inde petendam eſſe: *Promisſioni, legis promulgatione, detractum non eſt*, vno fere omnes fatentur ore interpretes.

§. XI. Ut autem intelligatur quid id ſit de quo diſputatur; ante omnia diſpiciendum eſt, *qvid legis hic nomine veniat*, cuius notionem conſtat eſſe ambiguam. Ego hic non de morali, ſed de ſola *caeremoniali*, quam vocamus, lege ſermonem eſſe credo. Reſpondet huic ſententiæ, non totius tantum epiſtolæ ſcopus & argumentum, *ſed utraque* potiſſimum huius legis *deſcriptio*: *altera* quidem *temporis quo cæperit*, v. 17. *& qvo* uſus eius ac obligatio *deſierit*: ἄχρις ȣ̃ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται. Etenim, cum ſignificantia haec eſſe verba neceſſe ſit, moralis autem eadem ſub no-

vo, ac ſub veteri, teſtamento ſit obligatio & vſus: illam in controverſia hic non verſari, niſi me omnia fallunt, euidentiſſimum eſt. Licet enim me non prætereat, pro prioris teſtamenti oeconomia, ſenſiſſe magis fideles ἐνέργειαν Sanctioris Spiritus ad δυλείαν & φίβου, (*) id tamen non ita capiendum atque intelligendum eſſe, ac ſi legis ad excitandum metum, cultumque ſeruilem, maior fuerit efficacia; ſed minori πίςεως πληροφορίᾳ (cuius ſub V. T. niſi ſingularis accederet gratia, eadem ac ſub novo, per rerum quidem naturam, & ipſius fidei indolem, non potuit eſſe ratio) multo rectius tribui, qui harum rerum non ignari ſunt, facile mecum conſentient. Neque nos a metu prorſus vacamus, ab eadem lege incuſſo; quod autem minori, vel nullo interdum laborare videamur, maiori profecto euangelii ἐνεργείᾳ debemus, & teſtimonio υἱοθεσίας viuidiori, etenim, ἡ τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φίβον, — ὁ δὲ φοβȣ́μενος ȣ̓ τελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ (**) neque deſunt tamen ex V.T. ad fiduciam & παῤῥησίαν quod attinet,

qui

(*) Rom. IIX. 15. conf. Georg. Phil. Olearii diſſert. inaug. de Spiritu Servitutis &c. Lipſiæ 1714.

(**) 1. Io. IV. 18.

qvi cum multis, quin plerisque, huius qvidem qvod viuimus temporis, fidelibus facile comparari possent. Quae cum ita sint, neque nisi tale possit admitti subiectum, quale praedicatum hic innuit, qvod caeremoniali quidem aptissimum est, de morali hoc loco non disputari, persuasum habeo. *Sic altera* quoque *descriptio*, cuius usus euoluitur, *legis*, nostrae, pro sola caeremoniali, sententiae fauet: *qvod per angelos ordinata sit atque disposita.* Ubi per angelos Spiritus quidem coelestes, per διαταγὰς autem typos & imagines quas Moses in monte vidit (*) denotari credo, quam quidem sententiam pridem ingressi sunt viri doctissimi. Disputationum autem illarum atque ordinationum, ideo subinde mentionem fecisse viros Diuinos, vt de caeremoniali se lege loqui, indicarent, eiusque darent περίφρασιν, vel ex loco Actor. VII. 44. 53. coniicio; vbi grauior profecto foret inobedientiae exprobratio, si dixisset: Legem accepistis *ab ipso DEo pronuntiatam*, neque seruastis, quin adeo loci Ebr. II. 2. συνάφεια, cum nostra hac suspicione quam amicissime conspirat, vbi verbo λαλεῖν quin eandem subiiciamus notionem,

(*) Exod. XXV. 9. 40. Act. VII. 44. Ebr. VIII. 5.

nem, quid obstet, non peruideo; cuius significationem latissime patere, & mysticas nonnunquam ac adumbratiuas Prophetarum actiones complecti, notum est. Quamuis autem huic, quod ex posteriori legis descriptione petimus, argumento, parum inesse roboris videri posset; illud tamen, quod priori debemus, euidentissimum est, & tantum non inexpugnabile, vt itaque vel pronuntiare sustineam; de sola lege τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, Christi tandem morte abroganda (*) sermonem hic esse; maxime cum de morali lege, argumento a maledictione ducto, vel verbum addere, superuacaneum fuisset.

§. XII. Deinde qui mediatorem hic Mosen (**) esse credunt, me sibi consentientem habent; in eo saltem diuersum, quod ad officii potius rationem atque σχέσιν μεσίτου sub qua legem cæremonialem promulgandam accepit, quam ad personam eius attendendum esse existimem; vt itaque perinde sit, quis mediatorio heic munere defunctus fuerit, modo id concedatur, legem non sine mediatore promulgatam

(*) Ephes. II. 15.
(**) Deut. V. 5. Leuit. XXVI. 46. Exod. XIX. 5. XX. 19. XXIV. 2. 3. 8. Deut. V. 23. -- 32. Ebr. VIII. 22. IX. 5. &c.

tam esse. Qvod tamen de argumenti saltem neruo intelligendum; non enim nego, utrumque comma de Mose accipiendum esse, & articulo demonstratiuum hic pronomen respondere.

§. XIII. Sed de mediatorio nunc officio ut dicam qvod res est, arctius illud ac par est a plerisqve commentatoribus constringitur, utpote qvi partes id litigantes supponere præcipiunt; qvod ipsum, si qvid judicare possum, fraudi fuit acerrimis cæteroqvi mentibus, nebulamqve offudit, qvo minus verum oraculi sensum eruerent. Qvamvis enim Christus eo sensu, mediatoris officium sustinuerit; alia tamen, ubi de Mose prædicatur, μεσίτυ voci substernenda notio. & aliud illi *genus* constituendum est, qvod *obligationum contrahendarum ministerium* esse persuasum habeo. Deus enim, pro absoluta potestate, legislatorem agere noluit, sed *fœderale* hic rebus adspersit *schema*, qvod *consensum* alterius partis reqvirit: Consensus autem ab Jsraelitis non declaratus est immediate, sed *per ministrum* obligationem sibi hanc in rem contraxerunt, qvem Mosen fuisse constat. (*) Sed qvo loco ministerium illud Mosis habendum

(*) Exod. XIX, 5. XX, 19. XXIV, 2. 3. 8. Deut. V, 23-32.

bendum sit, obscurum esse neqvit. Non enim tabellarii, vel nuntii saltem vices sustinuit, sed in *mandatariis*, & iis qvidem qvos MEDIATORES nominamus, censendus est; utpote qvorum fidei, prudentiæ & judicio rem omnem committimus, eosqve *destinamus ad paciscendum loco nostri, sub generali formula, ut statuant, qvicqvid ipsis maxime ex re nostra videbitur esse.* (*) *Multum enim interest utrum qvis interueniat aliorum negotiis, tanqvam purus nuntius, & perlator sententiæ, ab alio conceptæ, an vero tanqvam MEDIATOR, & qvi judicium suum aliqvo modo interponat.* (**) Eam autem mediatorii qvo Moses defunctus est officii rationem fuisse, argumentis comprobare supervacaneum foret. Notandum porro, non Israelitis saltem, sed Deo qvoqve sic visum fuisse, ut mediatoria hanc in rem potestate instructus ad se mitteretur legatus: qvin ipsum, in Israelitarum gratiam, hunc adspersisse Mosi characterem. Qvid autem ab ejuscemodi mandatario, qvi mediator audit, exspectari debeat, Ciceronis nunc verbis (***) adscribere iuuat: *Credo, qvod qvibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his,*

(*) Pufend. de J. N. & G. Lib. III. c. 9. §. 2.
(**) Pufend. l. c. §. 4.
(***) ex orat. pro Sexto Roscio.

his, operæ nostræ vicariu fides amicorum supponitur. —— —— Non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia re magis utilis, idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Qvid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers? ac meis commodis, officio simulato officis & obstas? recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officii qvod te putas sustinere posse —— neqve mandat qvisqvam fere nisi amico, neqve credit, nisi ei qvem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum qvi læsus non esset, nisi credidisset.

XIV. Deniqve verissimum est, duplicem potissimum legis cæremonialis usum fuisse, & finem: *legalem* (*) minusqve principalem, & *evangelicum eumq; principalem & primarium* (**) ut itaqve in re non obscura & extra litem posita argumentis uti necessum non sit. Qvamvis enim sacrificia κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα non potuerint; (***) instrumenta tamen fuere, qvibus conscientiæ consuleretur, &

(*) Ebr. X. 3. &c.
(**) Coloss. II. 17. Ephes. V. 2. Ebr. IX. 22. XI. 1. Leu. IV. 26. V. 10. &c.
(***) Ebr. IX. 9.

& vel maximum in iis solatium qvæsiverunt fideles (*), ut itaqve lex cæremonialis *non incommode evangelium V. T. appellari possit.* (**) *Erudiebat enim* Judæos *de mysterio redemptionis, qvod peragendum erat in morte Messiæ venturi.* (***) Ergo *doctrina de sacrificiis non pertinet ad legem, sed ad evangelium, fuere enim sacrificia conciones propheticæ de Messia passuro* (*) Et *qvicqvid pavidas mentes consolatur, qvicqvid favorem & gratiam Dei transgressoribus legis offert hoc proprie est, & recte dicitur evangelion, hoc est lætissimum nuntium, qvod Dominus Deus peccata nostra nolit punire, sed propter Christum condonare* (**) Qvamobrem verba; τῶν παραβάσεων χάριν &c. *de principe huius legis usu* intelligere, nullus dubito, donec a propria verborum significatione recedendum hic esse edoctus fuero. Addo, qvod veri prorsus dissimile sit, ubi legis usus exponendus, ubi, irritam huius promulgatione non esse factam promissionem, probandum erat; virum

(*) Ps. XXVI. 8. XXVII. 4. LXXXIV. 2. 11. CXXII. 1. &c.

(**) Pet. v. Mastricht Theol. Theor. Pract. p. 995. conf. Calouii Systema. Tom. IIX. p. 73. s.

(***) Jo. Piscat. Thes. Theol. Vol. III. p. 20.

(*) Franzius in Leuit.

(**) F. C. p. 715.

virum Divinum legalem ſaltem, minusq; principalem eius uſum, ἁμαρτιῶν ἀνάμνησι, allegaturum fuisſe, cui primarius eius finis, ἄφεσις nimirum ἁμαρτιῶν, non ſine aliqua ſpecie opponi potuisſet: vereor ne illum de induſtria intactum hic reliqvisſe, minusqve candide egisſe viſus fuisſet adverſariis.

§. XV. Maximam autem, & inſuperabilem fere difficultatem verbis: ὁ δὲ μεσίτης —— εἷς ἐστιν, inesſe conſtat. Nolo nunc in eo deſudare, ut incommoda qvæ ſingulæ, qvas habemus, explicationes ſecum vehunt, exponam, qvandoqvidem vel ipſis ea doctisſimis authoribus ſatis eſſe perſpecta credo; ſed meam ſententiam, qva par eſt modeſtia, eruditorum examini ac judicio ſubmittam. Id pro fundamento nunc pono, qvod neminem, in litteris Paulinis vel mediocriter verſatum præterire, adeoqve negari non poſſe exiſtimo: Ea ſubinde Paulum docendi diſputandique methodo vti, vt obiectiones orationi immiſceat, ab ipſis authoris poſitionibus curate diſcernendas. Sunt loca bene multa, ubi facile, & primo fere intuitu dignoscentur: Sunt ubi vel Lynceis opus eſt oculis, eo qvod omnes ac ſingulas, qvibus

 Judæi

Judæi laborarunt opiniones, cognitas atqve perſpectas hodie non habemus. Fateor qvidem, lubricam hanc eſſe explicandi rationem, & violentam qvodammodo videri; ſed hoc illam loco neceſſario adhibendam eſſe, facile concedent, qvi ad qvatuor duntaxat, qvæ pro me faciunt, rationum momenta animum advertunt: *Principio*, nullam hactenus interpretationem omni prorſus difficultate, incommodo, vel ſuppletione caruiſſe; *ſecundo*, particulam aduerſatiuam, *δὲ*, bis hoc loco obuiam, tantum non flagitare talem interpretationem illi fortaſſe non abs re praeferendam, quæ particulæ, poſteriori loco poſitæ, cauſſalis notionem ſubiicit; *tertio*, neque ordinem turbari, neque a propria verborum & particularum ſignificatione ſic recedi; & *quarto*, rationem ſimul obiectionis & reſponſionis, non tantum non contemnendam, ſed vel euidentiſſimam reddi poſſe, ex ipſo mediatoris nomine, atqve adeo immediate antecedentibus petitam, quam in paraphraſi textus, paragrapho ſequenti, ſubiungam. Sic itaque prius membrum aduerſarii ſiſteret obiectiunculam: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ὐκ ἔςιν*, *Hic* autem mediator, qui legem accepit promulgandam, quem Moſen fuiſſe conſtat, *non vnius*,

non

non populi solius, sed Dei simul est mandatarius & minister: & Apostoli ad hanc obiectionem responsio, totidem fere verbis, quemadmodum quæ nullius momenti sunt breuibus conficimus, concepta foret: *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν*; *Deus autem* cui ex tua sententia soli addictus fuisset, *unus est*, quamobrem, qui negat Mosen vnius fuisse mandatarium, negat simul solius illum DEI fuisse, & populi curam habuisse nullam.

§. XVI. Quod si verborum significationibus euolutis, & animo sic bene præparato, locum, natiua profecto luce non destitutum, penitius paulo consideramus, quot verba, tot emphases, tot pondera rationum offendimus: *ὁ νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου*, lex inquam cæremonialis (de morali quam ipse Deus clara & articulata voce pronuntiauit (*) nunc non disputamus) lex, quae accessit *ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται*; non successit in locum *διαθήκης*, non detraxit promissioni, *addita* potius est, veritatem promissionis confirmatum. Etenim, si successisset, atque adeo irritam reddidisset promissionem; maiorem vtique, & gratuitam prorsus gratiam, minor, & quae ne gratiae quidem denomina-

(*) Exod. XIX. 16. XX. 1. seqq.

minationem ſuſtinere poſſet, ſuſtuliſſet, atque abſorbuiſſet: (*) At enim vero, illum in finem non eſſe latam hanc legem, ex officii, quo functus dicitur Moſes, ratione tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Non eo tempore legislatoris illi, non legati, ſed μεσίτυ character, antequam legem promulgaret, adfuſus erat. Mediatoris autem hæc ipſa χέσις, omni nos dubio heic liberat, omnemque ſuſpicionem funditus euertit: Mediatoris enim eſt, deficiente, vel neceſſitate prorſus inſuperabili, vel expreſſo & ſpeciali ad id conſenſu, proſpicere, ne deſcendat ad conditiones quæ fraudi ſint iuri, quo citra illam mediationem altera pars gaudet. Deus enim, cum cæremonialem ſanciret legem, non pro abſoluta & infinita, qua fulget, poteſtate conſtituere voluit, ſed liberum mediatori arbitrium permiſit. Integrum itaque fuit Moſi decernere, vtrum e re ſit populi, legi huic, non niſi nominetenus tantiſper tali, ſe ſubmittere, nec ne? ex quo demum conſenſu veræ, & proprie dictæ legis indolem ac naturam induit. Quam ob rem nil magis eſt extra fidem, quam Moſen in eo fuiſſe conſenſurum, ut ea benedictio, ea iuſti-

(*) conf. v. 18.

iustitia *operibus acquirenda* esset Israelitis, ad quam ipsis citra mediationem *gratis* patebat aditus in Christo; necessitate profecto cogente nulla: μεσίτȣ enim characterem, ab ipso Deo non minus ac a Judæis illi adspersum, eiuscemodi instituto & proposito ex diametro obstare nemo non intelligit. Mosen, inquam, ἠγαπημένου ὑπὸ θεȣ̃ καὶ ἀνθρώπων, Μωυσῆν, ȣ̃ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, Mosen, tanta prudentia, tanta fide, & amoris erga populum abundantiâ conspicuum, omnem prorsus populi sui curam heic obiecisse, ab omni fide, ab omni vel specie veritatis procul remotum esse existimo. *Obiicis*: Sed hic mediator *non fuit unius* partis mandatarius, vtpote Dei simul hanc in rem legatus & minister. Sed *respondeo*: Benè, non fuit vnius, ergo non solius Dei, cui ex tua sententia soli fuisset addictus: *Deus enim unus est*, & qui solius Dei mandata exsequitur populiqve curam non gerit, non duorum *sed unius* mediator est, qualem fuisse Mosen negas. Esto, tantisper, esto, Deum voluisse testamentum rescindere, meritumque illi operum surrogare; mediatoris erat non consentire; sed mediator hic non erat vnius partis; quid inde? ergo populi rebus non prospe-

it? nego, hac enim ratione vnius fuiſſet: Deo videlicet qui ſoli addictus eſt, quin vnius dici poſſit non intelligo: Sed vnius hunc mediatorem non fuiſſe, tecum conſentio, inde enim vel maximum ſententiæ meæ præſidium accedit. *Addita* proinde lex cæremonialis, & in ſingulare felicitatis augmentum, donec Chriſtus veniret *acceſſit, τῶν παραβάσεων χάριν*: Vt his qui legem moralem non identidem migrare non poterant, quo minus tantæ promiſſioni, ex peccatorum conſcientia pauidi diffiderent, donec morte ratum foret id teſtamentum, adſpectabile quoddam & efficaciſſimum ſiſteretur *euangelium. Erant enim ſacrificia V.T. perpetua concio viſibilis de filii Dei incarnatione & immolatione.* (*)

XVII. Prima qvidem fronte, probandi hæc ratio longius petita videtur, cum vel ad ipſam Dei veracitatem provocari, vel a typica ſanguinis profuſione argumentum duci potuisſet. At enim vero, teſtamentum, ubi κατ᾽ ἄνθρωπον conſideratur, poterat utiq; reſcindi ſalva teſtatoris veracitate (**) *Jus enim hæredis teſtamentarii* non tantum *a morte demum teſtatoris incipit, & ab*

euentu

(*) Quenſt. Syſt. Part. IV. p. 13.

(**) Ebr. IX. 16. 17.

eventu mortis suspensum est; sed hanc qvoqve promissionis summam esse ac indolem constat: *Habebis aliqvando rem meam, nisi interea mihi displicuerit, qvo minus autem qvolibet tempore, & nullam qvoqve ob caussam displicere qveat, prohibendi ius non habebis.* (*) Neqve *humanitatis* hic *leges* obtendendæ, qvæ exigant, *ne qvis, præter meritum, inani spe lactetur, aut ludibrio habeatur.* (**) propterea qvod gravissimis, procul dubio, rationibus hic non caruisse Deum, responderi posset. Ut ut autem ex typica sanguinis profusione, certo fuerit certius, non posse fieri ut testamentum rescindatur; typicam tamen mortem heic allegare, doctoris fuisset non disputatoris: eas autem partes sibi sumserat Paulus ut argumentis convinceret. Probaturus enim, legem, ut de testamenti immutabilitate constaret, accessisse potius qvam derogasse promissioni, si sanguinis profusionem typicam, lege præceptam, thesi suæ pro fundamento substernit, idem qvod in principio est, & qvod probandum erat repetere videtur. Neqve tamen negaverim, verbis: τῶν παραβάσεων χάριν — ἐπήγγελται,

 ad

(*) Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. c. X. §. 2.
(**) id. ib. §. 3.

ad typicam simul sanguinis profusionem, quæ ratum id fore testamentum, identidem inculcabat, & peccatoris conscientiæ quam efficacissime sic consulebat, digitum simul intendere virum θεόπνευστον; eo tutius, quo fortius aduersariorum error, ex μεσίτου charactere simul refellebatur.

§. XVIII. Sensum, quem oraculo substerno, aptius, & verbis tanto viro dignioribus, hoc saltem loco, exprimi non potuisse persuasum habeo; id quod praecipuum est genuinae interpretationis κριτήριον, cum Christianum hominem non deceat credere, *Deum, & mentis, & vocis, & linguae artificem, diserte loqui non posse.* Argumentum autem nostra suppeditat explicatio, quo thesis, quam probandam sibi sumserat Apostolus, *legem non derogare promissioni*, non indirecte, non κατ' ἄνθρωπων, non confirmatur tantum, sed immediate, sed fortissime. Vt enim, quæ fusius hactenus disseruimus, in summam contrahamus, & neruum ratiocinationis Apostolicae in forma exhibeamus; thesis probanda haec est: ὁ νόμος προσετέθη, vel, qua idem dicitur negatiua: ὁ νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν (*) pro-

(*) v. 17.

promiſſioni legis caeremonialis promulgatione detractum non eſt, ea enim ratione non *accesſiſſet*, ſed *ſucceſſiſſet*. Argumentamur ſequentem in modum.

Si promiſſioni, legis caeremonialis promulgatione, detractum eſt; factum id, vel per legis naturam, vel ab angelis, vel a Moſe, vel a Deo.

Sed, neque per legis &c.

Ergo promiſſioni, legis caeremonialis promulgatione, detractum non eſt.

Maior propoſitio probationis non eſt indiga.

Minor autem probatur

Quoad I. inde, quod officium legis caeremonialis primarium fuit, promiſſionis veritatem confirmare, & per typicam ſanguinis profuſionem, cultumque Leuitarum repraeſentativum ac adumbratiuum, ipſam promiſſionem in mentes peccatorum revocare; nec minus veram aliquando mortem acceſſuram eſſe teſtamento inculcare, &, fide vel excitata vel corroborata, quin & ſacramentis eum in finem ordinatis, ipſa bona, teſtamento promiſſa, impertire; &, quantum per V. T. indolem ac oeconomiam fieri potuit, ſenſu huius gratiae & veritatis ſpirituali, pauida caeteroquin corda per-

fundere atqve erigere. *Non enim habebant se sacrificia vt nuda signa σημαντικὰ, sed vt organa, diuinitus ordinata, quae Messiam —— peccatoribus proponerent, ipsiusque obedientiae cruentae fructus iis offerrent, applicarent & obsignarent.* (*) Quae cum ita sint, atque principem hunc legis caeremonialis vsum fuisse in aperto positum, quid quod ab aduersariis iusto potius plus extollatur, legis hanc in rem vsus, tantum absit, in dubium vt vocetur; neque contradictoria simul possint esse vera, in promptu est: Legis caeremonialis naturam eo non fuisse comparatam, vt eius promulgatione promissioni detractum sit. Vnde simul emergit: Vsum ac obligationem huius legis non esse perpetuam; (**) promissiones enim in perpetuum differri nequeunt, impletae vero promissiones in dubium non vocantur.

Quoad II. quod angelorum heic saltem partes fuere; cultum Leuiticum disponere, adumbrare, & voluntatem hanc in rem Diuinam mediatori interpretari.

Quoad III. inde, quod Moses mediatoris hic

(*) Quenst. Syst. Part. IV. p 14.
(**) add. Gen XLIX. 10. Es. XIX. 18 seq. Dan. IX. 27. Ps. CX. 4. Mal. I. 11. Es. LXVI. 20. 21. Jer. XXXI. 32. &c.

hic officio defunctus fuit. Siue enim ad *perſonam*, ſiue ad *officium* eius reſpiciamus; nil, niſi quod egregium eſſet & populo ſalutare, ab ipſo potuit exſpectari: *Mediator* enim niſi proſpiciat, ne ſtatus ſuorum, citra neceſſitatem vel conſenſum, in deterius mutetur, officio ſuo non recte, non probe defungitur: *Hic* autem mediator in imprudentiae vel infidelitatis ſuſpicionem adduci nequit. Nec obſtat, quod Dei ſimul miniſter ac legatus fuerit, modo concedatur, non ſolius Dei, adeoqve non vnius fuiſſe.

Quoad IV. quod Deus pro ſingulari *συγκαταβάσει* & *ἐπιεικείᾳ*, ex mediatoris arbitrio rem omnem pendere voluit; quo ipſo, teſtamentum ſe reſciſſurum & operum illi meritum ſurrogaturum eſſe, fortiſſime negavit. *Leges enim caeremoniales Deus ſecreto Moſi ſeruo ſuo in amico quaſi colloquio expoſuit, ac per eundem toti populo promulgandas curauit.* (*) Vt itaque legale Leuitici cultus ſchema ex ſolo mediatoris conſenſu arceſſendum ſit.

§. XIX. Hactenus, quanta vis vel in ſingulis vocibus pro theſi probanda lateat, expoſui: Neruum tamen probationis *μεσίτυ* po-

(*) Quenſt. Syſt. P. IV. p. 11.

potissimum denominationi inesse, ex iis quae antecedunt intelligitur. Dixerat v.17 irritam non esse factam promissionem per legis caeremonialis promulgationem; cuius v. 18. rationem reddiderat: quod gratia dici nequeat quicquid operibus acquiritur. Vlterius autem probandum erat, legis promulgatione testatum a Deo factum, nolle se gratiam & promissionem abolere, & operum illi meritum surrogare, sed gratiae se potius gratiam additurum esse. Quod ex mediatoris χρήσει, hac ratione, demonstrari poterit:

Quicunque, ante legis promulgationem, subdito cuidam, prudenti satis & amore erga suos flagranti, mediatoris adspergi characterem permittit, quin ipse in gratiam populi adspergit, & ex eius arbitrio ac consensu promulgationem legis suspendit; *illi* promissionem & testamentum, ante 430 annos confirmatum, non abrogare, neqve subditorum conditionem in deterius mutare, sed gratiæ potius gratiam addere, constitutum est.
Atqui Deus &c. E.

§. XX. Reliqum est vt planum faciam, quam subiciit quæstionem itemqve responsionem, huic explicationi vel maxime suffragari. Dixerat, τῶν παραβάσεων χάριν addi-

additam hanc esse legem: Jnde, licet non obscurum sit, *ex intentione* quidem *Dei* testamento illam non obesse; nouae tamen obiectionis ansam arripere poterat aduersarius: quod *ipso tamen effectu suo*, promissionem tollat, quae idem reuera exhibere atque largiri videatur. Etenim, cum θυσίαι & sacrificia, vt conscientiis mederentur, atque τῶν παραβάσεων χάριν eo sensu, sancita fuerint; pronum satis erat, in eam tandem opinionem delabi quod ipsam benedictionem & iustitiam, ex sua virtute, conferant & impertiant. Qua demum ratione testamentum non irritum ac inane fieri non potuisset. Hanc itaqve obiectionem occupat: Ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ; μὴ γένοιτο. Quid autem lege fieri neget, ex addita ratione colligimus: Non negat legem caeremonialem, mediante fide atque relativè iustitiam contulisse, sed ὄντως, i. e. ἀληθῶς (*) iustitiam esse ex lege. Quod si enim ὄντως ex lege esset iustitia, promissioni subordinari non posset, sed κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν foret. Enimuero, legem hanc,

(*) 1 Tim. V. 3. 5. 16. 1 Cor. XIV. 25. Jo. VIII. 36. Marc. XI. 32. Luc. XXIII. 47. XXIV. 34. &c.

hanc, nullo prorſus modo & reſpectu, iuſtitiam contuliſſe, nemo facile dixerit; idem id foret, ac euangelicum eius vſum negatum ire. Quod argvmentum recentiores inprimis Theologi diligentius excuſſere, & contra Spencerum, Marshamum, aliosque, ſatis euictum dedere (*) Non itaque negat Apoſtolus, iuſtitiam ea ratione ex lege cæremoniali fuiſſe; neque *veram* peccatorum ἄφεσιν, *veramque* iuſtitiam ac υἱοθεσίαν V. T. fidelibus obtigiſſe: ſed legem, eiusque opera, cultumque adeo Leuiticum *veram* iuſtificationis *cauſſam* fuiſſe, & ſacrificiis quatenus opera legis fuere, citra reſpectum ad Chriſtum remisſionem peccatorum tribuendam eſſe, eiusque fundamentum, vel in Jſraelitarum *obedientia*, vel in ſanguinis, typice profuſi, *pretio* ponendum eſſe, id ſaltem negat, & pernegat. Quamuis enim certum ſit, non niſi

(*) Quos inter ex noſtratibus conſulendi, B. Gottfr. Olearius in Obſeru. ad Matth. ven. Buddeus, de Praerogat. fidel. N T. & Hiſt. Eccl. V. T. Per. II. p. 667. ſeqq. cel. Carpzovius Introd. ad Lib. V. T. Part. I. p. 114. add. Melch. Leidekkerus in vi verit. L. V. controu. V. p. 131. ſeqq. Herm. Witſius de oecon. foeder. L. IV. c. XII. §. 50. vt ſyſtematicos nunc taceam, & qui de foederibus Diuinis teſtamentorumque oeconomia ex inſtituto ſcripſerunt.

nisi vmbras rerum futurarum in cultu Leuitico quaerendas esse; minime tamen de remissione, sed de *expiatione* saltem peccatorum intelligendum id erit. Aduersarios autem Apostoli insignis latebat differentia inter *collationis* iustitiae *organa*, & *caussam* eius fundamentalem, adeo vt expiationem peccatorum, ex qua ὄντως est iustitia, sacrificiis referret in acceptis, & rotundis miscerent quadrata. Justitiam itaq; docet ex legis operibus, non nisi mediante fide; ex fide, vtpote quae organon est ληπτικόν, relatiue saltem; at ex Christi demum morte ὄντως esse & originaliter. Neque per rationem quam subiungit, de veritate huius interpretationis dubitari potest: *Legem non posse* ζωοποιεῖν; licet enim sensus huius verbi late pateat, quid hoc tamen loco significet ambiguum non est: quandoquidem ex opposito: ΑΛΛΑ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, liquet, *viuificare*, & *sub peccato relinquere* contradictoria hic esse. Negat itaque, sanguinem taurorum & hicorum peccata potuisse ἀφαιρεῖν; (*) verè sic ex operibus legis fuisset iustitia: scriptura vero, quin ipsa lex

(*) Ebr. X. 4.

lex caeremonialis identidem omnes de peccatis arguit; non tam per ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν, sed eo potissimum, quod sacrificia praecepit *saepius* facienda & repetenda. (*) Christus autem ἀθέτησιν ἁμαρτίας perfecit; (**) ergo ex Christi morte ὄντως est iustitia, & datur credentibus.

§. XXI. Equidem difficultate vel minima hanc explicationem laborare non sentio; cum a genuina verborum significatione nec recedat, nec supponat, de quibus in vtramque partem disputari posset, suppletiones: quo nomine omnium videtur simplicissima, & a me, perperam fortasse, caeteris praefertur: De errore tamen vbi monitus, & meliora edoctus fuero, a me ipso me dissensurum esse polliceor.

III.

(*) Ebr. X. 1. 2. 3. 11. 12. ex quo loco coniicio ζωοποιεῖν & τελειῶν Apostolo hanc in rem esse synonyma.

(**) Zach. III. 9. Ebr. IX. 26. X. 14. 1 Petr. III. 18. &c.

III.

HENRICI SCHARBAU
Exercitatio De ΑΝΑΘΗΜΑΣΙ Templi ad Luc: XXI. 5.

Conspectus.

§. I. *Lucas hic loquitur de ἀναθήμασι templi.* II.) *Diversa lectio. Josephus aliquoties negat, fuisse in Templo ἀναθήματα.* III.) *Diversa sunt ἀνάθεμα & ἀνάθημα.* IV.) *An recte à B. Luthero translatum per* Kleinodien. *Vocis hujus natales ab od, odhe, öhd & odi ut in Allod, versiones syriaca, gallica, anglicana consuluntur.* V.) *Quæ fuerint hæc ἀναθήματα? Homeri ἀγάλματα, Luciani ἀνακείμενα. An ipsa externa templi facies? ἀναθήματα Pronai, ἀποστολαὶ κράτισται, lampas aurea, aurea vitis, coronæ, mensa. Reliqua in templo & sancto sanctorum.* VI.) *De ἀναθήμασι in sacris genti-*

gentilium, in urbe Galatiæ primaria, Chio, Templo Achillis, & reliqua. VII.) *Josephus cum Luca & secum ipso conciliatus.* IIX.) *De mysterio ἀναθημάτων tum in Christo tum in Christianis relucente.*

§. I.

OCcasio elegantissimorum Christi oraculorum de excidio Templi, de signo præsentiæ Christi & de consummatione mundi â Matthæo, Marco & Luca consignatorum erat contemplatio Templi, & qvæstio discipulorum de mole & elegantia tanti tamqve splendidi ædificii. Qvi in re ipsa consentiunt divini sacrarum historiarum scriptores in verbis differunt. Nam apud Matthæum non extat, qvid dixerint discipuli, satis ipsi erat retulisse, qvod venerint atqve ostenderint Magistro suo domum sacram. ἦλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ. *Cap.* XXIV. 1. Marcus non solum intentum ad templum oculum & digitum refert sed & verba: Διδάσκαλε ἴδε ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί. Cap. XIII. 1. Istud reticet Lucas, in relatione autem verborum â Marco discrepat. Refert enim dixisse

disci-

discipulos: ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ΑΝΑΘΗΜΑΣΙ κεκόσμηται. Hæc diverſa ſed neqvicqvam ſibi contraria ſacrorum ſcriptorum relatio ſatis docet, voluiſſe eos non tam verba curioſorum & qværentium hominum exhibere, qvam ſummam eorum, qvæ prolixis forte verbis propoſita fuerunt, & occaſionem dederunt Soſpitatori, de rebus diſſerendi, & populi & mundi excidium concernentibus. Cum vero illi non ſolum ἀναθημάτων mentionem fecerint, ſed Lucas etiam idem verbum adhibuerit, ſatis apparet, & habuiſſe eos cauſam ita diſſerendi, & adfuiſſe omnino in templo ἀναθήματα. Qvid hæc ſibi velint, & qvæ in templo fuerint ἀναθήματα, ad ornatum magnificentiamqve Templi facientia, diſcutiam.

II. In lectione conſentiunt omnes codices, in Alexandrino tamen codice MILLIUS ad h. l. ſe legiſſe annotat ἀναθέμασιν contra uſum vocis & conſenſum codicum & editionum omnium. Sed non conſentire cum ſacro ſcriptore & illis qvi ſermones ſuos Chriſto proponebant videtur αὐτόπτης, fide dignus & coævus templi adhuc ſuperbientis ſcriptor JOSEPHUS, qvi non ſolum ornamentis deſtitutum fuiſ-

ſe templum, ſed ipſa ἀναθήματα templo defuiſſe, ait, qvaſi divo Lucæ in os contradicere velit. Ita enim de B. J. *Lib.* VI. c. VI. p. m. 918 de intima templi parte, qvam ſanctum ſanctorum appellare ſolebant, ſcribit: ΕΚΕΙΤΟ ΔΕ ΟΥΔΕΝ ΟΛΩΣ ΕΝ ΑΥΤΩι. Si nihil in eodem, ſi vacuum iſtud fuit, neqve ἀναθήματα tam ſacro loco concedenda ſunt. Qvin imo expresſis verbis negat: Fuiſſe in Templo ἀναθήματα. Nam de ſacro hoc Dei domicilio diſſerens ait: ΑΓΑΛΜΑ ΔΕ ΟΥΚ ΕΣΤΙΝ ΟΥΔΕ ΑΝΑΘΗΜΑ ΠΑΡΑΠΑΝ, contra Appionem L: I. p. m. 1049. Gravisſimus ſane ſcriptor Joſephus, qvi in ipſo librorum adverſus Appionem ſcriptorum initio ea nobis argumenta proponit, qvæ fidem hiſtoricam Lectori extorqvere poterunt; oculatus præterea teſtis, cui multum omnino tribuendum; Et merito nobis gratulamur de iſto ſcriptore hodie ſuperſtite. Eſt enim teſtis Judæorum domeſticus, qvi ea confirmat qvæ â Chriſto prædicta & â discipulis confirmata in excidio gentis & urbis divinitus contigerunt. Illuſtrabimus nos hæc â Luca ſcripta, & apparebit, nullo modo aut negare potuiſſe aut voluiſſe Joſephum: ἀναθήματα fuiſſe in templo Hieroſolymitano.

III. Di-

III. Diverſa iſta lectio, qvam codex Alexandrinus, incomparabilis iſte Angliæ theſaurus habet, *ἀνάθεμα*, invitat nos, ut referamus, qvæ jam ab eruditisſimis viris de discrimine, qvod inter *ἀνάθημα* atqve *ἀνάθεμα* eſt, obſervata ſunt. Agit de eodem SALMASIUS *in exercitationibus Plinianis ad Solinum* p. 1089. ſq, J. C. SVICERUS in pretioſo *theſauro eccleſiaſtico.* J. C. SVICERUS in (*) expoſitione Symboli Niceno-conſtantinopolitani, p. m. 387. Taceo Lexica BUDÆI, STEPHANI, etymologicum VOSSII. SVICERUS in theſauro omnium accuratisſime rem perſeqvitur. Docet enim aliqvos vocabula hæc *ἀνάθημα* & *ἀνάθεμα* confundere, qvos inter THEODORETUM inprimis nominat, qvi voce *ἀναθήματος* ait comprehendi ea, tum qvæ Deo offeruntur, tum eos, qvi ob delictum aliqvod ab Eccleſia expelluntur. Recte tamen eadem diſtingvi & ex HESYCHIO, & CHRYSOSTOMO, ZONARA, BALSAMONE

(*) Miror ego viros eruditos, qvi hunc librum vel citarunt vel recenſuerunt non obſervaſſe, illum verbotenus ex theſauro Eccleſiaſtico eſſe conſarcinatum, vix verbulo immutato. Solus conſpectus ſola diſpoſitio nova ſunt, reliqva elegantis iſtius theſauri.

MONE aliisqve docet. HESYCHIUS certe ἀνάθεμα esse ait: ἐπάρατον, ἀκοινώνητον, maledictum, excommunicatum, ἀνάθημα autem esse κόσμημα, ornamentum, donarium. In eo tamen SVICERUS non sine ratione â SALMASIO recedit, qvod non necessarium esse putet, ea suspendi debuisse, qvæ ἀναθήματα dicuntur. SALMASIUS l. c. p. 1089 ita: *Ανάθημα non dicitur de omni re qvæ Diis consecratur, sed de illo tantum genere donorum, qvæ suspendi poterant, aut in excelso & conspicuo loco statui, ut essent templis ornamento;* (ubi ad locum POLLUCIS & nostrum Divi Lucæ provocat,) *Nam de terra aut agro, aut ædificio, aut pecore, vel etiam homine Diis consecratis aut dedicatis, nemo apud græcum ullum scriptorem ἀνάθημα positum legit.* Sed recte SVICERUS contra *Salmasium* contrarium tuetur. ZONARAM producit, qvi de virgine, qvæ virginitatem profitetur ad *Canon.* XVIII *Basilii M.* scribit: Ἥτις νύμφη λογίζεται τοῦ χριστοῦ καὶ ἀνάθημα τῷ θεῷ ὡς ἱερὸν σκεῦος. Imo ait: *Existimem, ἀνάθημα de qvibusvis rebus, non qvidem proprie sed late sumta voce Deo consecratis usurpari. Nec impedit, qvod â suspendendi significatione ἀνάθημα dictum, ac proinde id demum ita vocandum esse volunt, qvod ad*

Templi

Templi ornamentum offeratur & appendatur. Ipsum ἀνάθεμα ab eadem origine & significatione descendit. &c. Hic vero etiam, qvem præ manibus habemus, locus contrarium evincit. Neqve pro Salmasio sed contra eum facit. Cum hæc ἀναθήματα non præcise ea intelligi possint qvæ suspensa fuerint, sed ea omnia qvæ templo dicata, sive suspensa sive deposita ea essent, faciebant ad ejusdem magnificentiam atqve ornamentum. Conferri meretur ER. SCHMIDII *epistola ad Christophorum Schvvartzbachium*, qvam inseruit notis suis in N. T. ad: 1. *Cor.* XII. v. 3. p. 1082.

IV. Non est igitur, cur â recepta lectione recedamus Alexandrinum codicem secuti, aut vim vocis ἀναθημάτων arctius constringamus. B. LUTHERUS transtulit: *Kleinodien.* Bene omnino, si vim vocis germanicæ spectes. Est enim apud antiqvos *od, odhc öhde, odi*, ultimum hoc PALTHENIUS ad Tat. p. 298 per possibilē, facile, exponit. Vox hæc substantivè posita facultates denotat, e.g. in *Alod*, Allodium, qvod est bonum hæreditarium, omni jure ad possessorem pertinens; *Kleinod* autem rem pretiosam mole exiguam significat. Hæc derivatio est B. J. DIECMANNI; vindicat hanc contra VOSSIUM qvi vocem â

Noth derivat, qvod exiguæ necesſitatis eſt, contra *du* FRESNE qvi vocabulum pro græco habet, qvoniam græci inferiores κλεινώδιον dixerunt, & contra GUDM. ANDRÆÆ qvi clenodium â κλίνος, ſeu â declinando derivat. Conf. B. DIEDERICI â STADE *Illuſtrationem & explicationem præcipuarum vocum germanicarum in vernacula lingva adhibita â Luthero in verſione Bibliorum* ad vocem *Kleinod.* ECCARDUM *in præfatione ad collect: Etymol. Leibnitii*, p. 7. & præ reliqvis B. JOH. DIECMANNUM *in ſpecimine gloſſarii MSCti Latino Theotisci Rabani Mauri*, p. 89. Vi vocis igitur vocabulum hoc denotat eas facultates, qvæ jure ad posſesſorem pertinent, & pretioſæ qvidem at non magnæ molis ſunt. Vix igitur potuiſſet B. Lutherus commodiori vocabulo uti in exprimenda voce ἀναθήματος templi, cum eas res deſignet, qvæ ita templo erant conſecratæ, ut ad iſtud ſolum pertinerent, præſertim qvæ alicujus erant pretii. J. H. REITZIUS in verſione N. G. Offenbachii A. 1703 ſubſtituit loco *Kleinodien*, *auffgeſtellte Geſchencke*, eidem hypotheſi, qvam antea indicavimus inſerviens. Syrus per קרבן vertit, vocabulo Chaldæis & Hebræis non ignoto & in ipſo Novi Fœderis codice obvio, *Marc.* VII. 11. qvod apud *Matthæum Cap.* XV. 5. eſt

δῶρον.

δῶρον. Eadem vox apud Syrum occurrit Matth. II. 11. in exponendis θησαυροῖς, qvos Magi ex oriente venientes in Jeſum recens natum conferebant. Intelligi igitur ſine dubio vult amplos illos templi theſauros, qvos liberali manu in ejus uſum ornatumqve contulerant Judæi, de qvibus verſu eo qvi noſtrum antecedit dicitur, v. 4. & v. 1. Habebat enim templum δῶρα Dei, qvibus divites ſua addebant. Et coincidunt omnino cum Syro cogitata & anglicæ & gallicæ verſionis, in qvibus eſt *gifts*, *dons*. Omnium optime ἀναθήματα translata ſunt in lingva græca vulgari, qvæ ad h. l. habet ἀφιερώματα. Hæc enim vox non id ſolum exprimit, qvod ἀναθήματα hæc donata fuerint templo, ſed illud pariter, qvod conſecrata & dedicata fuerint uſui & ornamento templi. Audiamus hic SVIDAM ad vocem ἀνάθημα: πᾶν τὸ ἀφιέρωμα θεῶ. αἰτῦντι τῷ πέλοπι ἀνάθημα τὴν ἄρναν τὴν χρυσῆν, ἕτερα παρέχοντι κειμήλια, ἔχρησεν. ὁ Βύλομαι δὸς, μὴ δίδυ δ' ὃ μη θέλω. ÆMILIUS PORTUS ad h. l. p. 231 ſuſpicatur τὸ ἀφιερωμένον ſcribendum. Si codex, ait: ſanus, τὸ ἀφιέρωμα verbale nomen erit, idem ſignificans ac τὸ ἀφιερωμένον δῶρον & ſui

verbi constructionem servabit. LXX bis voce ἀναθήματος utuntur *Levit.* XXVII.27.28. pro ebræorum חרם, ubi sermo est de rebus qvæ devota & consecrata DEo erant. J: CLERICUS suspendendi significatum includi vult, nam in paraphrasi addit: *Donaria in templum allata ibiqve ornatus causa adpensa.*

V. Paucis: Intelligo ego hæc ἀναθήματα de iis omnibus, qvæ vel ornatum vel splendorem divitiasqve templi conficiebant. Nam qvæ antecedunt, de templo ejusqve velut substantia loqvuntur, magnificis istis & pulchris lapidibus, qvorum magnitudinem â Josepho Antiq. L. XV. c: XIV. narratam miramur. Stylo HOMERI hæc sunt ἀγάλματα, qvo nomine omnis generis ornamenta, qvæ in templis erant describit, qvod observatum jam est â Lexicographis. (*) Ἀναθήματα idem de ornamentis convivalibus

(*) Dubium tamen est, an hoc nomine ista solum comprehendantur qvæ multo labore elaborata fuere, ut animos spectantium afficerent, an vero rudes etiam & ἀνέργαστοι stipites, in honorem Deorum positi. Prius *Interpres* Homeri, qvi per καλλώπισμα exponit, cum multis aliis statuit, in primis POMPONIUS GAURICUS *Neapolitanus* de

valibus adhibet, ut odysſ. A. 152, poſtqvam ſplendidum apparatum procorum Penelopes deſcripſerat, addit:

τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Qvæ tamen â diligentisſimo antiqvitatum convivalium Ruſpatore STUCKIO illuſtrata non ſunt. (LUCIANUS in Iconibus & pro Iconibus aliqvoties vocabulo ἀνακεῖσθαι utitur, de qvo confer. J. JENSIUS in Lectionibus Lucianeis. L. III. c. I. p. 307.) Hæc igitur ἀναθήματα Lucæ memorata omnia ea complectuntur, ſive ſuſpenſa ea ſive depoſita in templo eſſent, qvæ ad augendum ſplendorem divitiasqve templi faciebant, ab ipſo ædificio diſtincta. Forte ipſa externa templi facies, qvæ tanto conſtabat pretio, & tale decus ædificio conciliabat huc referenda erit. Teſte enim JOSEPHO *de antiq. Jud:* L. XV. c: XIV. p. 543 & de B. J. L. VI. C. VI. p. m: 918 ſq. lapidibus λευκοῖς conſtabat, mole maximis & mirabilibus, ut niveum veluti montem referret. Sed hæc non definio. (*) Referenda

de ſculptura ſeu ſtatuaria qvem excerpſit & refutavit Cl. ZORNIUS in biblioth. antiqv: p. 1143. Conf: FIGRELLIUM de ſtatuis illuſtrium virorum c: I. p. 3. & J. POTTERUS archæol. gr. L: II. c: 2.

(*) Hæc eſt ratio juxta RELANDUM, cur Templum לבנן

renda vero ſine dubio ſunt ornamenta in ipſo templo recondita. Qvælibet Templi pars ſua habebat *ἀναθήματα*. Etſi enim ſingula vix ad noſtram notitiam pervenerint, maxime tamen inſignia tum ab autore librorum Maccabaicorum tum â Joſepho enumerantur. In his erant donaria qvædam Pronai â Regibus donata & conſecrata. Talia erant, qvæ Antiochus Epiphanes, illatis in eadem ſacrilegis manibus abſtulit. II. *Maccab*. V. 16 qvæ C: III. 7. appellat *ἀποστολὰς κρατίστας*, & donata qvidem â Regibus. Vocat enim *ὑπ' ἄλλων βασιλέων ἀνατεθέντα*. Et de Alcimo dicitur *Cap*. XIV. 4. qvod venerit ad Regem Demetrium eiqve obtulerit *στέφανον χρυσοῦν καὶ φοίνικα πρὸς δὲ τούτοις τῶν νομιζομένων θαλλῶν τοῦ ἱεροῦ*, qvæ templi ejusqve Pronai ornamenta fuere. Pertinet huc Lampas aurea, de qva ex *Joma*, *Gittim*, *Sota* refert HAD. RELANDUS *antiq: ebr*. p. 116, qvod ab Helena

לבנן, ab albedine ſcilicet dicatur; qvamvis qvidam â copia Cedrorum ex Libano petitorum ita dici putent: alii autem propter præcipuam ſacri cultus partem, qvæ dealbationi comparatur *Jeſ*. I. 11. Vide RELANDUM *antiq*. S. L. I. c: IX §. XIIX. p. 111. ſq. VITRINGAM *commentario in Jeſaiam* ad *cap*. XXXVII, 25. P: II. p. 382.

lena Regina Adiabenorum proſelyta facta, donata fuerit, una cum טבלא tabula aurea, cui פרשת סוטא ſive pericopa biblica de muliere adulterii ſuſpecta inſcripta fuit. (*) Coronæ item aureæ. I. *Macc.* I. 23. IV. 57. de qvibus disqviritur an eædem ſint cum iis qvarum Zacharias meminit c:VI.14. Inprimis qvoqve גפן של זהב. Vitis aurea, qvam peculiari diſſertatione illuſtravit D.F. JANUS, qvæ A. 1706 habita eſt. Addit RELANDUS duas menſas marmoreas, cui panes in ſanctum deferendi imponebantur, & unam auream, qvæ ê Sancto delatos excipiebat. Miror non addi, qvæ in libro *Judith* referuntur de armis Holofernis, & de velo qvod lectum iſtius belli Ducis ante cinxerat. c:XVI. 23. Vaſa Sancti præcipua com-

(*) Conferri hîc meretur JOH. CHRISTOPH. WAGENSEILII *Sota* p. 363. ſq. ut & ROBERTUS SHERINGAMIUS in JOMA c: III. Verba Misnica hæc ſunt: הלינה עשתה נברשת של זהב על פתחו של היכל אף היא עשתה טבלה של זהב שפרשת סוטה כתובה עליה. *Helena Regina fecit candelabrum aureum in porta Templi; Eadem qvoqve paravit Tabulam auream, in qva verba concepta, Megillae Sotae inſcribenda, fuerunt ſcripta.* Uterqve contra eos agit, qvi auream hanc tabulam in ipſo Sancto Sanctorum ſuſpenſam fuiſſe dixerunt. Sed de hac tabula manum!

complectitur JOSEPHUS l. c. *θαυμασιότητα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνία, τράπεζα, θυμιατήριον.* Sanctum deniqve Sanctorum qvod olim arcam, tremendum istud divinæ præsentiæ Symbolum continebat, nihil præter אבן שתיה *lapidem fundamenti* habebat, cui arca olim imposita erat, qvi, si conjecturis non contemnendis locus est dandus, particula fuit istius petræ, ex qva sitiens in deserto populus, largissimam aqvæ scaturiginem prodire vidit. Eleganter hæc demonstravit cel. TH. HASÆUS peculiari *de Lapide fundamenti* diatriba, A. 1716. 4. publicata. Hæc vero illa erant præcipua *ἀναθήματα*, ornamenta, donaria, vasa, qvorum conservata hactenus fuit memoria. Nam multo plura fuisse tum in templo, tum templi conclavibus vix est dubitandum. Sacræ enim vestes, instrumenta & vasa reliqva, qvæ & splendida & pretiosa erant merito huc referenda.

VI. Sicut autem in sacritissimo hoc DEi veri templo ejusmodi conservabantur *ἀναθήματα*, qvæ ad ejusdem ornatum divitiasqve faciebant, ita in gentilium sacris similia observare licet. Habebant & illi templa, multa munificentia & liberalitate ornata. Prolixa hujus rei documenta passim apud

apud veteres occurrunt. Notabo ego pauca, qvæ obſervata mihi ſunt de ejusmodi templorum & divitiis & ornamentis. STRABO L:XII. p. m. 390. f. editionis Caſaubonianæ ait, de emporio Galatiæ, cui Peſſinûs nomen. Hîc, dicit: maximum ſuo tempore conſpici templum, & ſummâ religione cultum, matris Deorum, καλοῦσι δ' αὐτὴν Αγγιδίστιν. (CASAUBONUS legit Ἄγδιστιν.) Addit: κατεσκεύασαν δ' ὑπὸ τῶν Ατταλικῶν βασιλέων ἱεροπρεπῶς τὸ τέμενος, ναῷ τε καὶ στοαῖς λευκολίθοις. APPIANUS *in Mithridaticis* p. 201. ex edit: H. STEPHANI de templo Chiorum refert, cum â Zenobia duobus talentorum millibus multati eſſent, ſumſiſſe hæc ex ornamentis & theſauris templorum κόσμους τῶν ἱερῶν nuncupat; qvod indicio eſt, fuiſſe in templis Chiorum pretioſa ornamenta. Addam locum ex *anonymi Periplo Ponti Euxini*, ab IS. VOSSIO una cum *Scylacis Periplo* edito *ex bibliotheca Salmaſii* p. m. 10. Loqvitur de Inſula Achillis deqve templo & ſimulacro ejus in honorem ibi condito. Capras, ait, offerri ibidem Achilli. καὶ γὰρ καὶ ἄλλα πόλλα ἀναθήματα ἀνάκειντα ἐν τῷ ναῷ καὶ (δακτύλοι) δακτύλιοι, καὶ λίθοι τῶν (πολυτελῶν καὶ) πολυτελεστέρων. Hæc enim

Pa-

Parentheſi incluſa ex annotatione VOSSII in contentum ex margine irrepſerunt. *Multa præterea alia dona in hoc templo repoſita ſunt; ut phialæ, annuli, gemmæ pretioſiſſimæ* qvem tamen locum â *Celeb.* FABRICIO jam obſervatum video. Neqve tamen opus eſt ut prolixiores ſimus & plura coacervemus. Omnia qvæ dici poterant excusſit EVERHARDUS FEITHIUS *antiqv. Homer.* L: I. c: XI. p. 55. ubi agit, *de donariis, in cultu Deorum oblatis.* Illuſtrat coronas, qvarum antiqvitus nullæ niſi Deo dabantur: Veſtes, qvas maximè pretioſas Diis appendebant: *ἀγάλματα* alia, vaſa aurea, argentea, ænea, ferrea & id genus alia, ſpolia hoſtibus ademta, arma, ſcuta. &c. Elogia qvoqve memorat, qvæ donariis Diis dedicanda inſcribebant, Conferri poſſunt qvæ in loco ex Periplo Ponti Euxini citato, ſeqvuntur. Addatur J. C. BULENGERUS *de Templis*, inprimis L. III. *c: ult.* & præ reliqvis JAC. PHIL. THOMASINUS, *de votis, donariis, anathematis, tabellis votivis.*

VII. Jam in eo erimus, ut Joſephum cum Luca conciliemus, neqve cum ſacro hoc ſcriptore ſolum ſed & ſecum ipſo. Negatur loco citato § 2, fuiſſe in templo *ἄγαλμα* aut *ἀνάθημα*. Sed hæc ex *Hecatæi Abderitæ* teſtimonio referuntur â Joſepho, ubi

ubi contra Appionem docet, non obſcuram fuiſſe Ebræorum memoriam, qvorum hiſtoriam, qvinqve millium annorum ſeriem complectentem in libris ſuis antiqvitatum deſcripſerat. Neqve his contradicit Joſephus ſed calculo ſuo ea approbat. Hecatæus enim Abderita vult oſtendere, qvantum diſcrepet cultus Hebraicus â ſuperſtitione gentilium, qvandoqvidem ſimulacra & imagines divinas nullas habeant, qvæ in gentilium templis erant freqventisſimæ. Docent hæc ſeqventia: ὀυδὲ φύτευμα παντελῶς ὀυδὲν οἷον ἀλσῶδες ἤ τι τοιοῦτον. Lucorum enim uſus gentilium ſacris deſtinatus erat ſæpisſimè, de qvo conferri meretur H. C. ESCHENBACHII exercitatio *de conſecratis gentilium lucis, in diſſert.* p. 133. ſq. Satis qvoqve aliunde conſtat, qvo ſtudio cavere Judæi fuerint ſoliti, ne ſacer locus ſimulacris iſtiusmodi contaminaretur. Hinc illi motus, cum Romanorum temporibus tentarentur, ut vel trophæa in honorem Cæſaris erecta Hieroſolymis admitterent, nam ſuſpicabantur εἰκόνας τοῖς ὅπλοις περιειλημμένας; vel ut aqvilam imponi paterentur portæ magnæ templi: Vid. JOSEPHUS antiq. L. XV. c. II & XVII. c. 8. Pilati & Herodis ſive minis ſive perſvaſionibus neqvicqvam valentibus. Inprimis

autem aversabantur imagines בלטות five protuberantes; Collato PHILONE *in legatione ad Cajum*, p. 1033. 1034. Qvod alterum *Josephi* locum qvem supra adduximus concernit, ex L. VI. c VI. de B. J. in qvo negat, fuisse qvicqvam in templo; Josephum ibi loqvi de intima Templi parte, qvam Sanctum Sanctorum appellabant primo intuitu apparet, in eo enim, stante Templo secundo nihil omnino erat *ἀναθημάτων*. Solius lapidis fundamenti aut oblitus fuisse videtur Josephus aut mentionem facere, eumqve inter *ἀναθήματα* referre noluisse. Adeo Lucæ cum Josepho lis est nulla. Nam apud Lucam ista donaria numerantur qvæ ad ornatum & divitias templi faciunt. In Josepho vero negatur, adfuisse ibi simulacra qvalia in adytis gentilium erant, ut haberent qvod adorarent atqve venerarentur. Neqve aliqvid restat, qvam ut ex Josepho qvædam nobis observata loca referamus, in qvibus disertis verbis mentionem facit *ἀναθημάτων* templi, eodem qvo Lucas loqvitur, sensu: *Antiq. Jud:* L. VII. c: III. p. 263. de Templo â Salomone ædificato ait: *τὰ μὲν οὖν ἔργα ταῦτα, ταὶ τὰ μεγέθη καὶ κάλλη τῶν τε οἰκοδομημάτων ϗ τῶν εἰς τὸν νάον* ΑΝΑΘΗΜΑ-

ΤΩΝ

ΤΩΝ σολομὼν — ἐν ἔτεσιν ἑπτὰ συντελέσας &c. Contra *Apionem* L: II. p. m. 1064 de Ptolomæo Evergete ait: Eum, cum Syriam universam obtinuisset non Diis ægyptiacis, sed Deo vero Hierosolymis victimas more judæorum obtulisse, & suspendisse ΑΝΑΘΗΜΑΤΑ τῆς νίκης ἄξια. Adeo & *Josephus* eodem cum Luca vocabulo utitur in designandis sacris Templi ornamentis.

IIX. Nihil superest, qvam ut ea, qvæ in his ἀναθήμασι latent mysteria indigitemus. Nam cum Templum, & omnia qvæ in eodem fuere, ὑποδείγματα fuerint & σκιὰ τῶν μελλόντων καὶ τῶν ἐπουρανίων ἀγαθῶν *Ebr*: VIII. 5. cur hæc ἀναθήματα ullo jure excludi debeant, non video. Etsi enim sacer codex hæc præcise non exposuerit, non tamen inde seqvitur, qvod nulla in illis mysteria latuerint. Voluit enim Paulus in sua inprimis ad Ebræos epistola exemplo nobis præire, ut debeamus & possimus ibi mysteria scrutari. Non enim voluit omnia exponere κατὰ μέρος *Cap*. IX. 5. Uti vero Christum ubiqve in sacris istis veteris oeconomiæ qværere hoc exemplo Paulino docemur, ita in his qvoqve templi ἀναθήμασι Christum & qværimus & invenimus feliciter. Qvæ enim in iisdem hactenus con-

templati ſumus ſigillatim, junctim in Chriſto deprehenduntur. Non ſolum enim eſt *κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν* *Ebr.* VII. 26. ſed & deprehendimus in eodem, *pulchritudinem* & *divitias*, & *dona* Meſſiæ offerenda & *ſpolia* hoſtibus aufferenda. *Pulchritudinem* in auguſtiſſimo hoc Dei Templo mirantur ſacri vates. Et Adamus qvem PHILO egregie depingit *de opificio mundi*, p. 31. & Joſephus & Moſes & David & Salomoh typi non tantum fuere iſtius pulchritudinis, ſed eadem hæc depicta qvaſi fuit tum *Pſalmo* XLV. 1. tum *Cant.* I. 16. V. 18. Et revera pulchritudo Meſſiæ apparuit tum in divina ejus natura, tum in humana, neque in ſtatu ſolum exaltationis ſed & exinanitionis, ubi tabernaculum qvaſi referebat, vili qvidem pelle exterius tectum ſed interius *ἀναθήμασι* reſplendeſcens. Inprimis autem in officiis qvibus mediatorias partes implevit, pulcherrimus fuit & in Patris ſui & fratrum ſuorum oculis. *Divitias* Meſſiæ ſi ſpectes longe poſt ſe relinqvit ea omnia qvæ pretioſa erant inter *ἀναθήματα* templi. Eſt enim non domus ſaltem decoris בית תפארת *Jeſ.* LXVI. 7. & lapis fundamenti יקרת pretioſus, *Jeſ.* XXIIX. 16. ſed & gazophylacium omnium theſaurorum ſpiritualium רשן בית אלהים (*Lutherus*: reiche Güter.) Hinc

Hinc & πλούσιος II. *Cor.* VIII. 9. & πλοῦτος *Ephes.* I. 7. II. 17. tum propter pretium & dignitatem Perſonæ, tum propter pretium qvod ipſi de jure â piis & fidelibus eſt ſtatuendum. Qvod ſi dona Regum & Principum partem conſtituebant iſtorum *ἀναθημάτων*, & hîc in antitypo *dona* iſta miramur. Dona de qvibus toties vaticinati ſunt pii vates ſub antiqvo fœdere *Pſalm.* LXXII. 10. 15. qvorum mentionem facit Jeſaias ubi de venientibus ex Sabæa loqvitur, qvi thus & aurum offerre debebant. Nam ut expreſſe Propheta hunc populorum concurſum inter ornamenta domus divinæ refert. *cap.* LX. 6. Ita omnino converſio populorum & ad communionem Eccleſiæ vocatio efficiebat, ut dona ſubmisſionis, venerationis, precum & qvæ cœtera veræ religionis dona ſunt Mesſiæ qvaſi ad pedes deponerent, & ad ſcabellum pedum ejus ſe proſterneret, his onuſti donis. *Spolia* deniqve ſi deſideras, occurrunt & in Chriſto ejusmodi ſpolia. Hujus enim non ſolum belli apparatus, armorum & victoriæ mentionem facit ſcriptura pasſim, ſed inprimis etiam enarrat, ſpolia hoſtibus ademta. *Jeſ.* XLIX. 24. 25. LIII. 12. *Luc.* XI. 22. Prouti vero Mesſias victoriam reportavit tum de Diabolo tum de gentibus, qvas ſub jugum

misit Evangelii, ita utrinqve spolia reportata & suspensa qvasi sunt. *Psalm.* XIII. 5. 43. XLV. 4-6. *Zach.* IX. 10. Destructio enim Regni Satanæ, amplificatio pomœriorum Ecclesiæ, illa tot gentium qvæ Regno Satanæ adhæserant ex ejus potestate ereptio, sui contra inter eas Regni erectio & in peculium assertio, nonne συλαγωγὴ nonne totidem & in Christo & â Christo & Christo qvasi erecta trophæa & totidem qvasi spolia? Sed prout *Zachar.* VI. 13. duplicis templi ædificandi mentio fit, ita post Christum ipsum Ecclesiam domum atqve Templum Dei esse scimus. Hæc enim est domus Dei. I. *Tim.* III. 15. *Psalm.* LXXXIV. 1. XLV. 9. CXXVII. 1. *Heb.* X. 21. I. *Pet.* II. 5. qvam Christus ædificavit *Matth.* XVI. 18 qvam κατεσκευασε *Heb.* III. 4. Sed præter Ecclesiam universam, singula qvoqve Ecclesiæ membra hoc nomine insigniuntur. I. *Cor.* III. 16. VI. 19. II. *Cor.* VI. 16. &c. Ipsi adeo gentiles, humanas mentes Templa Deorum fieri crediderunt. HIEROCLES *in carmina aurea Pythagoræ edit. Londin.* 1654 in 8. p. 25, multa præclara disserit. Nam de iis qvi Deum justo honore venerantur ait, animos suos offerre ἱερεῖον, it: ἄγαλμα θεῖον, it: ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τε θείε φωτός. Addit etiam, Deum non habere in terra

ra gratiorem *τόπον οἰκειότερον ψυχῆς καθαρᾶς* addit versiculum:

ἐυσεβέσιν δὲ βροτοῖς γάνυμαι τόσον ὅσσον ὀλύμπῳ.

Et in his qvoqve templis *ἀναθήματα* qvædam sunt, qvæ & de pulchritudine & divitiis testantur. *Pulchritudo* â Justitia est, tum qvæ perfecta est ex imputatione consummatissimi meriti Christi, tum qvæ ad perfectionem tendit & ad typum exemplaris Christi formatur. *Divitiæ* spirituales pariter sunt ex inexhausto divitiarum Christi oceano profluentes. *Prov.* IIX. 21. *Ephes.* I. 7. II. *Cor.* VIII. 9. *Dona* deniqve & *spolia* non desiderantur, in piis istis animabus divinis domiciliis. Hæ enim qvasi gazophylacium qvoddam sacrum sunt, in qvod ipse Servator sua dona confert, & spoliis, fide, perseverantia & tot victoriis ab hostibus reportatis, ornat. Prout alia *σχέσει* in Christo velut in templo versantur & pretiosi instar depositi sunt. II. *Tim.* I. 12 & reconditi â Deo in tabernaculo, *Psalm.* XXVII. 5. sacratissima *ἀναθήματα.*

IV.

Olai Mölleri Flensb.
Exercitatio
De Paulo Apostolo
Humaniorum Literarum Cultore.

Ea est temporum nostrorum infelicitas, ut literæ, qvæ vulgo ab humanitate (a) dicuntur plerisqve fere sint contemtui vilioresqve habeantur, qvam ut iis addiscendis horas nonnullas impendere velint. Quotquot enim hodie studiis animum applicant, linguarum cognitione aliisqve neglectis, qvæ literæ humaniores suo complectuntur ambitu, statim ad altiora se conferunt, ac parum secum perpendunt, an stadium, cui emetiendo se manciparunt, cum successu decurrere queant. Hinc non raro accidere solet, ut scopo, quem sibi habuerunt præfixum, aberrent, illumque non prius attingant, quam cursum studiorum, quem jam absolutum putabant, denuo inchoent, & literarum

(a) De literis Humanioribus evolvi merentur Ephemerides Parisienses anni 1711. p. 275 sqq. ubi de nomine, fine aliisqve huc spectantibus rebus elegantissime disseritur, & Ch. Walchii Diatribe Philosophica de literis Humanioribus.

rarum humaniorum notitia probe imbuti ad illum abſolvendum ſe accingant. Quoniam autem iſtud maximo cum taedio conjunctum, atqve omnibus fere ingratum, ignorantiam ſuam inani eruditi titulo malunt tegere, quam, ut cum vate loquar Mantuano,

Per varios caſus ac per diſcrimina rerum ad veram, ſolidamque tendere eruditionem, præſertim, cum tantum doctrinæ ipſis facile ineſſe, quantum ad panem ſufficiat lucrandum, ſibi perſuaſerint. Repeniuntur inſuper magiſtri, qui, cum juvenibus erudiendis ſint præfecti, & bonarum plane ſunt rudes literarum, & odio illas perſequuntur Vatiniano; quod iis, qui Fanaticorum nomine male audiunt, ſolet eſſe familiarisſimum. Hi igitur animos adoleſcentum non rite præparant, ſed potius omni privant cultura, efficiuntque, ut ſtudia elegantiora, ſine quibus tamen nihil proficere poſſunt, averſentur. Georgius Zimmermannus, Scholæ quondam Marpurgenſis præfectus hisce moribus dicitur fuiſſe præditus, ſiquidem B. Elswichio ex Ottii Annalibus (b) referente, linguæ latinæ

(b) In præfat. quam Martini Simonii libello de literis pereuntibus præfixit. Semper enim Zimmermannus

tinæ contemſit puritatem, atqve juvenibus fidei ſuæ commisſis ſordidam plane commendavit dictionem, ut Caroloſtadium, aliosqve homines inſanientes ſilentio prætereamus, qui doctrinis tantummodo ſolidioris fuerunt obices, omnesqve animi vires intenderunt, ut inſcitiam atque Barbariem, Herculeo prorſus labore quondam profligatam ex orco in mundum revocarent. Qui enim fieri poſſet, ut tot exiſterent eruditi, quibus præter nomen nihil eſt relictum eruditionis, quo ſe tuentur atque a literarum ignaris diſtinguunt, niſi linguarum notitia, aliaque huc pertinentia ipſis ſuſpecta eſſent reddita? Ubi enim hodie Scaligeri, Salmaſii, Vosſii, Caſauboni & qui noſtra vixerunt ætate, Grævii, Perizonii, aliique eruditione inſignes viri, quorum ſuperioribus temporibus maxima fuit ſeges, inveniuntur? Certe tam pauci ſunt ac rari, ut exiguum modo illorum numerum inire, qui cum illis conferri merentur, quærenti ſit difficile. Tot igitur exſtitiſſe eruditos, qui de literis commentati ſunt pereuntibus, non eſt quod miremur. Novimus quæ Johannes Clericus (c) de cauſis illa-

mannus iſte in ore habuiſſe dicitur:

Loquimini vos Latine utcunque poteſtis.

(c) T. I. p. m. 323 ſqq. quam commentationem Joh. Clerici

illarum, in Parrhasianis Gallica conscriptis lingua disseruit. Novimus quæ B. Elswichius, cujus nomen justis eruditionis æstimatoribus semper erit in deliciis, hac in parte præstitit (d). Quoniam vero iis inprimis in more positum est, qui sacris operam navant studiis, ut elegantiorem spernant literaturam, atque sine sufficienti linguarum atque rituum vetustiorum cognitione, ad codicem Divinum aliis explicandum properent, de Paulo Humaniorum Literarum Cultore indefesso, in hac Exerci-

Clerici latine versam Joh. Henricus Kromayerus Jenæ 1714 recudi curavit. T. XI. Bibliotheque Choisie p. 4. ita loquitur: Cet orgueilleux pédantisme est une des principales causes de la decadence de belles Lettres, que les gens du monde ne méprisent souvent, qu'a cause de l'air vain & ridicule de ceux, qui en font profession & des querelles, qu'ils ont entre eux sur choses de neant, sur lesquelles ils s'emportent avec excés. Il seroit bien à souhaiter, qu'il y eut bon nombre des gens tels que notre Auteur, qui joignissent la politesse & l'honnetteté a l'etude des belles Lettres. Intelligit Joh. Clericus Illustrem Ezechielem Spanhemium, de quo loquitur.

(d) B. Vir iste Martini Simonii jam memoratum libellum de literis pereuntibus, annotationibus illustratum doctissimis Francofurti & Lipsiæ 1716, 8. una cum Octavii Ferrarii Prolusione de causis pereuntium literarum denuo evulgavit.

ercitatione, ea, qua fieri potest, brevitate, scribere nobis est constitutum. Istum autem gentium Doctorem Tarso fuisse oriundum omnes, qui prima doctrinæ imbiberunt Christianæ elementa, norunt. Hieronymus (e) quidem in locum ejus Gischalin urbem Judææ munitissimam substituit; quoniam vero ipse Apostolus se agnovit Tarsensem, errorem quoque præstantissimo Caveo (f) testante alibi facillime emendavit. Hac in urbe a parentibus Judæis, qui civitatem Romanam aut pecunia aut meritis sibi comparaverant prorsus singularibus, (g) est natus honestissimis, qui annis crescentibus animum ejus studiis imbui curarunt

(e) de Script. Ecclesf. c. XV, conf. Celeb. Fabricii Bibliotheca Græca Lib. IV. p. 136.

(f) in Antiquitatt. Apostolicis p. m. 328.

(g) Illustris Spanhemius enim in Orbe Romano, qui Tomo XI. Thesauri Antiquitatum Romanarum Græviani est insertus hoc solidis adstruxit argumentis. Errarunt igitur Guilielmus Caveus, Ioachimus Langius aliique de Vita Pauli Scriptores, qui Tarsum Romanæ civitatis temporibus Pauli fuisse participem sibi persuaserunt. Locus enim, quem e Dionis Chrysostomi Oratione XXXIV. afferunt, ut sententiam confirment vulgarem, id neutiquam probare videtur. Conf. Biblioth. Libr. Nov. & quidem Tom. V tus ab Henrico Sikio conscriptus p. m. 570. sqq.

runt elegantioribus. Strabone (h) enim docente Tarsus non solum eruditissimis erat referta viris, sed etiam tantam obtinuerat celebritatem, ut hominum literarum studiosorum magnam ad se invitaret frequentiam, ipsisque Atheniensibus & Alexandrinis, scientiarum olim amantissimis palmam redderet dubiam. Quapropter parentes illam institutioni Virorum tradidisse eruditissimorum facile conjectando assequi possumus. Eloquentiæ autem ipsum in patria maxime dedisse operam, e scriptis ejus, quæ divino supersunt nobis beneficio haud obscure colligere licet; nam quamvis humile dicendi genus (i) plerumque sit sectatus,

(h) Locum attulerunt, qui de Vita Pauli sunt commentati. Conf. interim Cornelius Adami in Observatt. Theolog. Philolog. p. 212. sqq. ubi de eruditione Athenis quondam florente multis est commentatus.

(i) Vid. 1 Cor. I, 17. ubi Apostolus dicit, quod missus sit ad Evangelium hominibus annunciandum ὀυκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σαυρὸς τοῦ χριστοῦ quæ posteriora verba Ioh. Clericus ad Hammondi N. T. T. II. p. m. 115. egregie explicat, quando scribit: *ne evacuetur crux Christi i. e. ne tribueretur Gentilium conversio potius eloquentiae & eruditioni Pauli quam divinitati doctrinae. adde 1 Cor. II, 1. 2. 3.* Optime B. Sal. Glassius noster de Stylo Paulino Philolog. Lib. I. Tractat. IV. Sect.

ctatus, omnia tamen hominibus creditu ac factu necessaria, solide, perspicue atque pure exposuit, quibus scilicet potissimum momentis e doctissimorum virorum ac imprimis Joh. Clerici (k) mente vera absolvitur eloquentia. Quantum vero ad puritatem attinet dictionis, quæ hic præsertim in censum venit, illam non ita esse comparatam fatendum nobis est, ut cum Demosthenis Attica scribendi ratione qveat comparari; Apostolum tamen castitati sermonis, quantum fieri potuit, studuisse, nemo sanæ mentis negabit, qui scripta Lamberti Bosii, Horatii Vitringæ, (l) aliorumque plurium, Stylum sacri Codicis ex Autoribus Græcis illustrantium, sedulo evolvit. Interim eundem haud raro locutiones Hebræis familiares atque e septuaginta

Sect. III. p. m. 342. *Caruit quidem ambitiosa illa, fucata & ostentatrice loquacitate, instar meretricis se superflue ornante ac jactante: Verum non caruit ista gravi & seria dicendi facultate, qua res coelestes perspicue ac commode explicare potuit.*

(k) T. I. Parrhasian. p. 72.

(l) Ultima quod sciam vice Lamberti Bos Exercitationes Philologicæ una cum Dissertatione Etymologica prodierunt Franeckeræ 1713. 8. Horatii Vitringæ autem Annotationes in Vorstii Hebraismos N. T. priori Exercitationum editioni, quæ 1700, lucem adspexit, sunt annexæ.

ginta desumtas interpretibus retinuisse ambabus, ut ajunt, manibus largimur. Patet hoc ex monumentis, quæ Johannes Vorstius (m) de Hebraismis N. T. posteritati reliquit, longeque luculentius pateret si Petrus Keuchenius (n) alteram Annotatorum in Novum Fœdus partem evulgasset, Epistolisque Paulinis ex Interpretatione Græca Veteris Testamenti eadem elegantia qua Scriptoribus de rebus gestis Servatoris nostri dulcissimi ejusque discipulorum, lucem accendisset. Præconem autem nostrum divinum omnem respuisse puritatem verborum si exinde probaremus, foret temerarium. Nam quoniam ipsi demandatum erat, pacem cælestem omnibus olim promissam gentibus ac jam per Servatorem acquisitam annunciare, spiritu quoque sancto moderante factum est, ut textum haud raro consuluerit Hebræum, istique non-

(m) De libro Vorstiano vid. Thomas Grenius P. I. Animaduers. p. m. 101. qui etiam ejusdem Vorstii Cogitata de Stylo N.T. Fasc: I. Exercitatt. Philologico-Historicarum inseruit.

(n) Petri Keuchenii Annotata in quatuor Evangeliorum Scriptores & Acta Apostolorum prodierunt prima vice Amstelodami 1689. 4. quam editionem Clericus cum laude recensuit T. XIII. Bibliothecæ Universalis p. 357 sqq. Recusa autem sunt Amstelodami 1709, 4to.

nonnullas attemperaverit dictiones. Neque hanc ob causam ullam opinor meretur reprehensionem. Neminem enim e scriptoribus Græcis ante Pauli tempora vixisse constat, si septuaginta exceperimus interpretes, qui res pertractavit sacras, adque æternam hominum pertinentes salutem. Præterea etiam e gente erat procreatus Judæa, qua per longum temporis spatium familiariter erat usus, priusquam animum ad scribendum applicaret, ut amorem, quo incensus fratrum suorum saluti quovis modo invigilabat tenerrimum, mittamus. Facile igitur fieri poterat, ut his, aliisque commotus rationibus, quædam loquendi genera e Codice Hebræo pariter ac Græco in suos transferret usus. Qvis vero eo perveniret dementiæ, ut ideo Apostolum, scriptorem barbarum, puritatique minus studentem vocitaret? Certe helleboro mea indigeret sententia, qui tale quicquam sibi in mentem venire pateretur. Abeant ergo qui cum Hieronymo & Daniele Heinsio Stylum crepant Hellenisticum, a Claudio Salmasio jam dudum profligatum. (o) Abeant,

(o) de lite Hellenistica leg. præter Celeb. Fabricium Bibl. Gr. Lib. IV. p. 226, qui cum Ludovico Cappello putat Hellenistas esse gentiles, Schudtius in Deliciis Hebræo Philologicis.

eant, qui Cilicismos fingunt in Epistolis Paulinis occurrentes, quales, præter memoratum Hieronymum, censorem eloquiorum divinorum audacissimum, Origenes aliique fuerunt, a B. Stolbergio autem in Dissertatione de Stylo N. Testamenti elegantissima refutati. Non minus igitur Apostolus ob puritatem dictionis laudandus est, quam ob perspicuitatem in fidei fundamentis eximiam (p), & alia, quæ virum constituunt eloquentissimum. Laudarunt illum etiam Chrysostomus, Photius, cæterique, quorum indicem Joh. Alb. Fabricius (q), præsidium atque decus totius Reipublicæ Literariæ, exquisitum contexuit. Quemadmodum autem veræ eloquentiæ sedulus fuit cultor, quæ scilicet dictionem amat perspicuam, puram, atque cum solida conjunctam eruditione, nec in verbis, ut cum Vate loquar Venusino, sesquipedalibus captat gloriolam; ita etiam Apostolum arte delectatum esse Poetica nobis est exploratum. Nam

(p) Perspicuitatem Scripturæ S. in dubium vocant Pontificii, ut traditionibus suis eo majorem concilient autoritatem. conf. B. Glassius in Phil. S. p. m. 263 sqq. Rich. Simonius in Hist. Crit. V. T. e Sectarum multitudine Scripturæ obscuritatem demonstrare voluit, sed in Sententiis Batavorum nonnullorum Theolog p. 411. est refutatus.

(q) in Biblioth. Gr. l. c.

licet nulla nobis hodie restent carmina, nomen ipsius præ se ferentia, nec quædam ab eo composita esse scriptores literis prodiderint Ecclesiastici, Poetas tamen diligenter legit, & quasi in succum & sanguinem convertit. Istos vero lectu dignos judicabat, qui intellectum emendabant, variaque instruebant doctrina, ac præterea ad vitam honestiorem transigendam suadebant, quales erant Aratus, (r) Menander, (s) Epimenides, (t) aliique hisce similes, nec solum honestate naturali, sed etiam

(r) Act. XVII, 28. conf. Caveus l. c. p. 368. & inprimis Corn. Adami in Observatt p. 317 sqq.

(s) 1 Cor. XV. 33. Colomesius in Observatt. S. p. 595. annotavit, verba ista Euripidi a Socrate Historico esse tributa.

(t) Tit. I, 12. Vid. Cl. Majus Observatt. S. L. II. p. 89. qui sententiam Alexandri Mori refutavit. Quoniam enim Plutarchus scripsit, nullas in Creta reperiri bestias, hanc fuisse Epimenidis mentem putat: Gloriantur Cretenses, nullas apud se esse feras belluas, cum ipsi pessimæ sint belluæ. Vulgarem autem explicationem tuetur Majus, atque contra Plutarchum Cretam belluas aluisse, ex Heraclidis Pontici libro de Politiis ostendit. Guilielmus Canterus Nov. Lect. Lib. I. c. XV. ἀργὰς hic per *edax* vertit. vid. Schotti Adagialia p. 140. Colomesius autem l. c. dicit, ἀργὸς hic idem esse, quod albus mollis. Sed non video, quare a vulgari recedendum sit significatione.

iam doctrina insignes. Versus fescenninos contra cane pejus & angue fugiebat, Priapejorumque Autores quavis ratione aversabatur. Quamobrem etiam facile intelligere licet, qui fieri potuit, ut in dicendo ac scribendo se præstiterit facundissimum, cum frequentem Poetarum lectionem ad amplificandum sermonem haud parum conferre, experientia edocti quotidiana, sciamus. Neque placitorum veterum sapientum ignarus D. Paulus est habendus, quibus Græcia olim superbiit, gentesque in admirationem traxit finitimas. Potius a veritatis tramite minus aberrare videbimur, cum ipsi haud vulgarem Studii Philosophici scientiam tribuemus. Nam quoniam magnam vitæ partem Tarsi consumsit, quæ urbs iis præsertim temporibus præstantissimos, ut audivimus, alebat viros, facile conjectando assequi possumus, quod in studio sapientiæ haud exiguos fecerit progressus. Testantur id, præter multa loca, quæ ad Platonicorum, Pythagoræorum, & Stoicorum sententias alludere videntur ac jam pridem a viris observata sunt doctissimis (u), disputationes, quæ ipsi

(u) Conf. ex. gr Lambertus Bos ad 2 Cor. V. p. m. 160. Doctissimus Buddeus in Dissertat. de καθάρσει Py-

cum Athenienſibus, aliisque Polytheismi defenſoribus, intercesserunt. Magna tamen prudentia ac cautione hic opus esse censeo, ne Scriptoribus ſacris, quæ nunquam ipſis in mentem venerint, temere affingamus. Qua de cauſa inprimis Johannes Clericus (w) ac Henricus Dodwellus (x) male audierunt, qui Johannem quicquid de λέγω, ut in ſcholis loquuntur, Hypoſtatico, literis tradidit, e Platonicorum hauſiſſe lacunis ſatis audacter affirmarunt. Scientias quoque, quarum Judæi erant cupidisſimi, Apoſtolus probe excoluerat. Cum enim Tarſo relicta Hieroſolymas ſe contuliſſet, Gamalielem nactus erat magiſtrum, qui tanta quondam gaudebat autoritate, ut ipſo mortuo gloriam legis atque

Pythagorica in Analectis p. m. 372. ad Eph. IV. 22. Thomas Gatackerus ad Antoninum p.m. 91. ed. Londin., qui obſeruat, Stoicos ſæpius ſolitos eſſe corpus ἀγγεῖον vaſculum vocare. 1 Theſſ. IV. 4. Interim tamen abſit, ut D. Paulum Philoſophorum erroribus faventem ſtatuamus.

(vv) Hic inſtar omnium conſulendus eſt Deylingius Obſervatt. Sacr. P. I. p. 129 ſqq. ut Witſium atque Johannem van der Waeyen ſilentio involvamus.

(x) Dodvvellus in libro, quo animam natura mortalem eſſe demonſtrare voluit, p. 139, initium Evangelii Johannis e Platone deſumtum eſſe affirmavit. conf. Biblioth. Angloiſe T. I. P. I. p. 269.

que vitæ integritatem cessasse, Judæorum Doctores palam sint confessi. Calculum suum mihi dabunt, qui Joh. Henr. Ottonis (y), Jacobi Altingii (z) ac præsertim Johannis Christophori Wolfii (a), Viri eruditione ac meritis in rem literariam illustris, scripta evolverunt. Paulum igitur, Evangelii luce nondum collustratum Pharisæis strenue adhæsisse, atque doctrina Judæis familiari imbutum fuisse, non est mirandum. Totum enim cultum Leviticum, ejusque ad Servatorem mundi respectum non solum probe calluit, sed etiam post conversionem specimina scientiæ hujus nobilissimæ in Epistolis, & inprimis in illa, quam Hebræis dedicavit, reliquit eximia. Credendum quoque est, ipsum commentarios, qui Hebræorum veterum fata exposuerunt, ac temporum injuria nobis sunt erepti, diligenter legisse, siquidem sententia Georgii Bulli (b), Episcopi Anglorum doctrina conspicui, & a Roberto Nelsono

(y) In Historia Doctorum Misnicorum p. m. 81. ed. Oxon.

(z) in Schilo p. m. 317.

(a) in Bibl. Hebræa T. II. p. 821.

(b) In Dissertatt. in locum Pauli 2 Tim, IV. 13. cujus argumentum brevibus recenset Mr. de la Roche dans Bibliotheque Angloise l. c. p. 266 sqq.

sono (c) maximis ornati laudibus, ex iisdem nomina Magorum Ægyptiorum transscripsisse dicitur. Quorsum etiam referendus est locus, quo Timotheum, socium quondam dilectissimum, monet, ut τὸν φελόνην καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας secum afferret (d): nam licet vocabulum Græcum proprie denotet pænulam, ipseque B. Lutherus noster hanc retinuerit significationem, quam ex antiquis scriptoribus Johannes Baptista Donius (e) egregie illustravit, doctissimus tamen H. Gothofredus Masius (f) in singulari de Pallio Pauli Disser-

(c) In Vita Georgii Bulli Anglice conscripta ac Londini 1713. 8vo evulgata.

(d) II. Timoth. IV. 13.

(e) Donii Dissertatio de utraqve Pænula Alberti Rubenii libris de Re Vestiaria, Antverpiæ 1665. 4to ex Officina Plantiniana editis, a Ioh. Georg. Grævio est adjecta, ac deinceps T. VI. Thesauri Antiqvitatt. Roman. recusa. Celeb. Fabricius in Bibliogr. p. m. 572 editionis mentionem fecit Parisiensis, quæ 1644. 8. prodiisse dicitur. Florentia alias fuit oriundus, atqve Societati Patrum Purpuratorum a Secretis - conf. Notitia HistoricaAcadem. Florentinæ, quam recensuit Eccardus in Excerpt. Menstr. 1702. m. Iun. p. 52.

(f) prodiit ista 1690 auctior una cum præfamine B. Masii, in quo Dissertationem suam a censura Ioh. Cornandi Crosei vindicavit acerbiori. vid. Biblioth. Univers. T. XI. p. 77.

Diſſertatione a vulgari receſſit interpretatione, capſulamque librorum hic per Φελονην intelligendam eſſe, aſſirmavit. Neque ſententiam hanc a veritate eſſe alienam, arbitramur. Illam enim non ſolum Interpres Syrus eſt amplexus, ſed Autor etiam Etymologici Magni, Heſychius & Suidas eandem voci vendicant ſignificationem, ut nexum cum ſubſequentibus mittamus, qui Paulum majorem librorum, quam pallii curam geſſiſſe nobis perſuadet. Ex hiſce igitur luculenter ſatis apparet, quanto Apoſtolus erga literarum ſtudia fuit incenſus amore, ut vel poſt converſionem illa ardenter appetiverit, atque hunc in finem ſupellectilem adduci curaverit librariam. Quamvis enim Spiritus Sancti illuſtratione, atque auxilio prorſus peculiari cuncta in Eccleſiæ commodum ageret atque ſcriberet, propenſionem tamen in literas non extinxit, ſed potius libris legendis, qui inſtituto ipſius maxime inſerviebant, in dies excitavit. Idcirco delirare mihi videntur, qui artes non ſolum negligunt ingenuas, ſed etiam variis proſcindunt convitiorum generibus; quod uti Fanaticorum turbæ ſolet eſſe proprium, ita etiam defectum judicii, quo laborant, haud exiguum produnt, cum ſe nullo ſtudio atque labore

 ad-

adhibito tantum doctrinæ, quantum ipsis suppetat, afflatu, quem a Spiritu Sancto exspectant, extraordinario, facile esse nacturos existiment. Non autem eo Apostolus fuit animo. Literis per totum vitæ tempus incumbebat, studiorumque telam semel inchoatam ulterius pertexebat, etsi divino beneficio omnium rerum, quæ hominibus ad æternam consequendam salutem creditu atque factu essent necessaria, erat scientissimus. Hodie autem ea nonnullorum hominum mentes occupavit insania, ut se quadam SpiritusSancti interna illuminatione ad veram perventuros esse eruditionem sperent. O tempora! o mores! Me quidem non latet, Collinsium, hominem pestilentissimum, in libro, quem de libertate conscripsit cogitandi, locum quendam Victoris Tunnensis in medium attulisse, quo scriptores sacri, inprimis autem, qui vitam & res gestas Servatoris nostri literis mandarunt, *Idiotæ* vocantur. Quoniam vero exinde illos puerilis plane ignorantiæ voluit insimulare, temeritatem ejus merito jam pridem Richardus Bentlejus in Annotationibus, quas sub nomine Phileleutheri Lipsiensis in scriptumCollinsianum lingua evulgavit Anglicana (g), castigavit.

Neque

(g) Quinta editio Observatt. Bentlejanarum prodiit Lon-

Neque vocabulum τȣ̃ ἰδιώτȣ Viris ad prædicandam gratiam divinam a Servatore, quondam extra ordinem missis in sacra tribui scriptura negamus. Unicus locus, qui in Actis occurrit Apostolicis (h), Petrumque & Iohannem vocat ἀγραμματὲς καὶ ἰδιώτας, ad id probandum sufficit. Quemadmodum autem Christophorus Matthæus Pfaffius (i) vocem hanc denotare virum, vanæ verborum quidem elegantiæ minus studiosum, sed rerum non itidem ignarum, ex Eusebio demonstravit; ita mihi e lectione Novi Fœderis observare licuit, Apostolum eandem ipsi imposuisse significationem, quando se quidem ἰδιώτην τῷ λόγῳ, ἀλλ' ȣ̓ τῇ γνώσει (k) agnovit. Istis enim vult innuere verbis, quod, etsi omnem inanis eloquentiæ curam abjecit, oraculorum tamen divinorum sit callentissimus. Tantum ergo abest, ut Apostolum literarum statuamus rudem, ut potius mentem illius omni eruditionis genere probe innutritam fuisse

 existi-

Londini 1716. 8. vid. Bibliotheque Angloise T. I. P. II. p. 413. sqq.

(h) Cap. IVto comm. 13.

(i) In Notis ad Fragmenta Irenæi, quæ Hagæ Comitum 1715. 8. prodierunt p. 19.

(k) 2 Cor. XI, 6.

existimemus. Quamobrem etiam ex iis, quæ dicta sunt, facile patet, illos demum Epistolis lucem posse fœnerari Paulinis, quorum animi literatura, quam Iudæi pariter ac Græci olim in pretio habuerunt, sunt imbuti. Equidem non ignoro, Isaacum Vossium (l), Virum in sacrum codicem iniquissimum (m), quæcunque e scriptis Hebræorum ad illustrandum Novum Fœdus a Johanne Lightfooto aliisque sunt prolata, explosisse, multisque excepisse calumniis; audaciam vero illius præter Celeb. Fabricium (n) & Johannem Braunium (o) repressit

(l) Conf. Responsio ejus ad objecta Simonii, itemque liber de Oraculis Sibyllinis, in quibus virus suum in literaturam evomuit Hebræam.

(m) Monf. Evremont in operibus Miscellaneis Gallice scriptis T. III. p. 67. ita de illo judicavit: Dans le même tems, qu'il faisoit des livres pour prouver, que la Version de Septante étoit divinement inspireé, il temoignoit par ses Entretiens particulaires, qu'il ne croyoit point de Revelation. La maniere peu edifiante, dont il est mort, ne nous permet pas de douter, qu'il ne fut dans ce sentiment impie. Conf. Monf. Maizeaux dans la Vie de St. Euremont. T. I. des Melanges Curieuses p. 58 sqq.

(n) In Bibliographia p. m. 7.

(o) Exercitat. IIda, quæ agit de Sapientia Veterum Hebræorum & Selectis Sacris annexa legitur, p. 626 sq.

presſit Guilielmus Wottonus (p) in libro, quem de Ritibus Scribarum atque Pharisæorum lingua exaravit Anglicana. Sint enim, qui ingenio nimium indulgent, cum ſacris literis e Talmude atque Rabbinis faculam accendere velint; attamen non omnia Judæorum nugis eſſe annumeranda, ſed ſingula potius, donec certiſſimis contrarium probari poſſit rationibus, retinenda judicamus. Nec minus graviter mihi errare videntur, qui omnem doctrinam e ſcriptoribus Græcis atque profanis ad ſacrum codicem explicandum depromtam exulare volunt, indeque Johannis Doughteji, Alexandri Mori aliorumque annotationes alto contemnunt ſupercilio: quod facere ſolent, qui nimio ſui ipſius amore abrepti, nec ſana uti ratione, nec more Philoſophorum cogitare ſtudent. Nos autem Iſaacum Voſſium, ſuique ſimiles inſanire facile patimur, nec hic de uſu literarum profanarum in ſacram ſcripturam quicquam ulterius diſſeremus, præſertim cum Petrus Adolphus Boyſenius (q) & Johannes Andreas Cleſſelius (r) hunc locum egre-

(p) vid. Bibliotheque Angloiſe T. IV. P. II. p. 371 ſqq.

(q) in Diſſertat. περὶ τῆς κυβέιας τῶν ἀνθρώπων Viteberga 1712. publicata.

(r) In Diſſertat. Critica de Interpretatione N. Teſtamenti ex Scriptoribus profanis, ibidem edita.

egregie excusserunt, ac nos ita labore isto sublevarunt. Quare priusquam huic Exercitationi finem imponimus, singulis, qui sacris dabunt operam literis, scientiarum humaniorum notitiam de meliore commendamus nota, ut ex Epistolis Paulinis sensum feliciter eruere atque Barbariei, quam doctissimus quisque nostrorum temporum haud immerito metuit, cum successu occurrere possint.

V.

Recensiones Librorum.

I.

M. PAVLI POVLSON, Pastoris Ecclesiarum Saxild et Nölöu, et Praepositi Nomarchiae Hatsensis, *Bibliotheca Aarhusiensis, seu Biographia Episcoporum Aarhusiensium, ante et post Reformationem, in qua non modo eorum vitae et res gestae, verum et Epitaphia, Scripta, aliorumque Doctorum de iis iudicia proponuntur; vna cum Praefatione de Ordinibus Ecclesiasticis Iudaicae et Christianae Ecclesiae, et de Auctoribus, qui de Danis, vita et scriptis inclytis, scripsere.* Hafniae. 1726. 4to pl. 19.

Quae

Quae Cl. Poulſonius (*) in titulo promiſit, ea in hac Bibliotheca praeſtitit ita, vt ipſius diligentiam & hiſtoriae patriae ſtudium non poſſimus non collaudare. Ipſa Dedicatio eſt memorabilis, quippe quae cognoscendo, qui hodie eſt, Dioeceſeos Aarhuſienſis ſtatui eccleſiaſtico inſeruit, dum in eadem Episcopus, D. *Io. Ockſen*, & Praepoſiti, M. *Conr. VVechmannus*, M. *Io. Matth. Hammerich*, M. *Nichel. Seidelinus*, M. *Dithmar. Bullichius*, *Ovven. Broch*, M. *Iaſp. Norup*, M. *Phil. Fridlebius*, M. *Claud. Braemerus*, *Petr. Nicolai*, *Ol. Oie*, *Ian. Fusſing*, *Andr. Huas*, *Petr. Vedige*, *Georg. Bedſke*, *Nicol. Lind*, *Petr. Panderup*, *Sever. Ott. Lind*, *Georg. Hatting*, M. *Sever. Gludius*, M. *Frid. Lyngbye*, *Georg. Paul. Bagger*, *Chriſtoph. Böy*, *Ian. Harlovius*, *Io. Capell Haaſum*, *Georg. Taarup*, *Chriſtiern. Spentrup*, *Chriſtian. Söltoft*, & *Chriſtiern. Hutfeld* honoris ergo nominantur. In Praefatione oſtendit auctor primum ordinis & gubernationis coetus

(*) Eius Diſputationem Theologicam *de Baptismo per Aſperſionem legitime adminiſtrando*, ſub praeſidio D. *Io. Bartholini* Hafn. 1697 habitam, Cl. Thura in Idea Hiſt. Litter. Danor. p. 255 ſq commemorat. *Chronicon* quoque *Episcoporum Selandiae* eum ediſſe, ex Biblioth. Aarhuſ. p. 47. 62 apparet.

tus ſanctioris necesſitatem, ab ipſis agnitam Gentilibus, quos idcirco Sacerdotes, & alios ſanctioris ordinis viros, ab AEgyptiis *Horoſcopos*, Romanis *Flamines*, Celtis *Bardos*, *Vates*, *Druidas* dictos, habuisſe obſeruat. Additis deinceps nonnullis de Iudaeorum Sacerdotibus, Levitis & Nethenim, progreditur p. 5 ad Chriſtianos, eorumq; miniſtros eccleſiaſticos in duas diuidit claſſes, ad primam referens *Oſtiarios*, quos oportebat Templa claudere & aperire, ianuisq; adſtare, vt fideles reciperent, infideles arcerent: *Exorciſtas*, qui miraculorum dono pollentes, manus imponebant energumenis: *Pſaltes*, cantandi officio defunctos: *Lectores*, quorum officium erat, ſtare ad pulpitum & recitare lectiones, vel pericopas euangelicas & epiſtolicas, ſacrosq; codices asſeruare: *Acoluthos*, de quorum officiis varias modo recenſet ſententias Poulſonius, ipſe nihil definit (*); ad ſecundam *Diaconos*, *Presbyteros* atque *Episcopos*, de quibus varia ex antiquitatum eccleſiaſticarum ſcriptoribus annotat, cum illis quomodo hodierni Sacerdotes, iſtis Praepoſiti,

(*) *Acoluthus*, ab ἀκολȣθέω, *ſequor*, erat famulus, Diaconum ſequens, et accenſum cereum geſtans. Vnde etiam *Ceroferarii* nomine in monumentis eccleſiaſticis inſignitur.

siti, his Praesules comparari queant, demonstrans. Circa Episcopos pag. 16 sq obseruat, quod in Dania sint sex, Selandicus, Fionensis, Aarhusiensis, Viburgensis, Aalburgensis & Ripensis: in Norvegia quatuor, Opsloensis, Stavangriensis, Bergensis & Nidrosiensis: in Islandia duo, Holensis & Scaleholtensis, vnus autem in Dania & Norvegia post Reformationem modo fuerit Archi-Episcopus, IOANNES SVANINGIVS, cui soli hi honores collati.

Pergit p. 17 ad alterum Praefationis argumentum, &, post breuiter adductos variarum gentium Biographos, nec non acri p. 19 exceptum censura *Henr. Molesvvorthium*, eruditorum Danorum gloriae ausum detrahere, scriptores de Danis, fama ac monumentis ingenii inclytis, diligenter recenset. Statim autem dolet, PET. IO. RESENII, CLAVD. LYSCHANDRI, HECT. GOD. MASII (cui praeclarissimi nominis Theologo, suo olim hospiti, post fata etiam, pag. 20 gratissimam declarat mentem) atque OTT. SPERLINGII labores huc spectantes luce non fuisse donatos, fataque exoptat meliora *Cimbriae Literatae* IO. MOLLERI, quem vehementer laudat, *& principem in notitia historiae*

Dani-

Danicae literariae dicere non dubitat. Edi quoque cupit celeberr. PET. TERPAGERI *Bibliothecam Monumentorum, quae Dani sermone vernaculo publicarunt, literariorum*, nec non IO. ROSENVINGII *Gymnasii Othiniensis Faciem*, e quibus scriptis praeclara multa ad rem litterariam Danicam pertinentia sine dubio poterunt hauriri. Inter subsidia edita recte p. 21 praedicatur ERASMI VINDINGII *Academia Regia Hafniensis*, Hafn. 1665. 4to, cuius libri, hodie rarioris, nouam & ad nostra vsque tempora continuatam editionem moliri virum doctissimum, ANDR. FRöLVNDT, Hebr. Ling. Prof. atque Rectorem Hafniensem, vtriusq; Scholae, & superioris & inferioris decus, docet Poulsonius, quocum vouemus, vt labor iste vtilis ac elegans propediem feliciter absoluatur! Iure quoque commendantur, quae ALBERTVS THVRA historiae Danorum litterariae illustrandae & amplificandae ergo consignauit, inque lucem emisit. Neque Danorum solum, sed praecipui etiam Germanorum Biographi recensentur, quoniam illi passim nonnullorum Danorum, a Poulsonio nominatorum, elogia suis scriptis inseruerunt. Pag. 24 sqq commemorat Poulsonius eos sigillatim scriptores, qui Daniae Praesulum vitas ac histo-

historias memoriae prodiderunt, & inter eos, qui vniuersalem Episcoporum Daniae historiam conscripserunt, primum locum viro illustri, HARALDO HVITFELDIO, *Historiae Ecclesiasticae totius regni Daniae* auctori, assignat. Nominat deinde plures, qui vel generales, vel speciales Episcoporum Daniae historias, partim editas, partim ineditas, adornarunt, quorum notitia historiae ecclesiasticae Danicae studiosum iuuabit. Tandem vero ad *Episcopos Aarhusienses* accedit. Horum *Catalogum MStum ab An. Ch.* 948 *ad An. Ch.* 1584 a IO. PETRAEO HORSNENSI confectum, sibi videre non licuisse, pag. 27 affirmat. Fatetur tamen, HENRICI BLICHFELDII *Recensum Episcoporum Aarhusiensium* sibi non nulli fuisse vsui, seq; inde iudicia de Episcopis attulisse. De sua Bibliotheca p. 28. narrat, quod ante 8 annos Chronicon Aarhusiensium Episcoporum Danice conscripserit; cum vero Danicam linguam pauci exteri calleant, rogatu amicorum illud Latina veste indutum publici iuris facere animum induxerit. Finem Praefationi p. 28 sqq imponit notitia scriptorum, quae prelo habet parata. Scilicet vir diligentissimus in gratiam ciuium suorum Danice vertit: 1. *Guil. Cave Regimen Antiquae Eccle-*

siae. 2. *Io. Cosini Historiam Scholasticam, vel Canonem S. Scripturae, eiusq; indubitatorum & canonicorum librorum iuxta normam Ecclesiae Anglicanae.* 3. *Ierem. Taylor Contemplationes Status Hominis in hac & futura vita.* 4. *Gilb. Burneti Ducursum de Cura Pastorali.* 5. *El. du Pin Vitas & Acta Sanctorum Apostolorum.* Industriae ipsius porro documenta sunt: 6. *Io. Meursii Athenae Batavae, auctae Vitis, Scriptis, Epitaphiis & Elogiis doctorum Virorum.* 7. *Molocholatria, siue de immani Molocho sacrificio facto Tractatus Historico-Philologicus.* 8. *Ἀναγνώσαι τῆς Ἐκκλησίας*, h. e. *de Lectoribus veteris Ecclesiae Iudaicae & Christianae varia Historica, e Scriptoribus Ecclesiasticis eruta, in quibus, praeter Lectorum officium, modus legendi sacra in primitiuo Christianismo ostenditur, multa circa illud munus obseruatu dignissima adducuntur.* 9. *Supplementum ad Thomae Pope Blount Censuram celebriorum Auctorum.* 10. *Annotationes ad Rituale Ecclesiasticum Daniae & Norvegiae*, ad quae vtilia scripta in lucem proferenda doctissimo Auctori vitam ac vires sincere apprecamur! Haec de Praefatione.

In ipsa Bibliotheca Aarhusiensi sub initium exponit Poulsonius Christianismum in Daniam introductum, cuius causa ex saeculo VII producit *VVillebrodum*, praeco-

nis

nis munere in Cimbria, sed exiguo successu, functum: ex saeculo VIII *Torkillum Adelfar*, quem, aiunt, circa an. 773 Christianam religionem in Dania docuisse, at, defuncto Rege GORMIO, coepto destitisse: ex saeculo IX *Ebbonem*, Archiepiscopum in Gallia Rhemensem, & *Halitgarium*, Episcopum Cameracensem ac Atrebatensem, ad Danos et gentes iis vicinas, religionis Christianae propagandae causa, a Ludouico Pio et Paschali I, Pontifice, ablegatos. Post hos temporarios, vt vocat, praecones laudat Archiepiscopos Hamburgenses, *Ansgarium*, eiusque successores, quorum indefesso studio ac labore Christianismus, a nonnullis Daniae Regibus, e quibus iure celebratur HARALDVS, patrocinio, ab aliis odio dignus habitus, maiora cepit incrementa, donec tandem, post varias persecutiones, auspiciis KANVTI MAGNI, quem 1256 Templa aedificasse, totamque Daniam in 8 Episcopatus diuisisse, pag. 8 annotat, stabiliretur, ac gentilismus omnino proscriberetur. Qui ante laudatissimi KANVTI tempora iam fuisse perhibentur Episcopi Aarhusienses, REGINBRANDVS et POPPO, eos nominat quidem, historicam tamen litem de vera huius sede (*) suam

I 2

(*) Mollerus Isag. ad Hist. Cherson. Cimbr. P. II. p. 718

De

suam non facit. Aggreditur potius id, quod caput rei est, et p. 9 incipit recensere eos, qui continua serie Episcopatui praefuerunt. Hi sunt

I. CHRISTIERNVS, ab Adelberto, Archiepiscopo Bremensi, A. C. 1065 constitutus, falso a nonnullis pro Poppone, quem nomen mutasse tradunt, habitus.

II. VLKILDVS, qui an. 1102 floruit, et cuius tempore Aarhusium ad locum, vbi hodie situm est, translatum dicitur.

III. ELOCVS, vel ILOCVS, an. 1135. d. 4 Iun. in bello apud Fadivig in Scania mortuus, in cuius rei memoriam cusus nummus, a Thom. Broder. Bircherodio in Specim. Rei Monet. Danor. p. 68 descriptus.

IV. ESKILDVS, qui, imperante Waldemaro I, prope Schanderburgum, Coenobium Vongense, vel Wengense, cuius hodique vestigia quaedam apparent, exstruxit.

V. SVENO I, qui, vna cum reliquis Daniae Episcopis, p. 10 sq recensitis, interfuit Concilio generali Lundensi in Scania, quod rerum liturgicarum rite ordinandarum

De Homeri patria septem olim ciuitates, de cathedra Popponis Episcopali tres itidem Cimbriae Vrbes decertant.

rum ergo an. 1187 conuocauit *Abſolon*, Praeſul nominis immortalis.

VI. PETRVS INGREDI FILIVS, quo Antiſtitis munere fungente, ſcilicet an. 1195, cum inſtitutus ſit *Templariorum* ordo, cui multi Dani interfuerunt, de Templariis diſſerit Noſter p. 11 ſq. Ad huius etiam Episcopi tempora p. 13 refert *caelibatum* Paſtoribus et Diaconis iniunctum. *Bibliothecam*, quam Templo Aarhuſienſi an. 1196 donaſſe fertur, dolet, malitia monachorum, ſacris emendatis alias ſedes quaerere coactorum, vna cum aliis, fuiſſe diſtractam, et per varia loca diſperſam, hancque affert cauſam, cur multa hiſtoriae ac rerum Danicarum monumenta in exteris Bibliothecis reperiantur.

VII. PETRVS VOGENSEN, qui potiſſimum quinque rebus notatu dignis inclaruit. Prima eſt, quod adfuerit an. 1219 Waldemaro II in bello Livonico, cuius belli vel ideo habetur ratio, quoniam Vexillum, in eodem a Danis adhibitum, quod alii e coelo delapſum, alii ab Honorio III Papa ſummiſſum credunt, illuſtri *Ordini Danebrogico*, de quo Noſter hac occaſione p. 14 diſſerit, anſam ſuppeditaſſe perhibetur. Altera eſt, quod pertineat ad illos, qui *Nomocanonem Iuticum*, Jydſke Lov-Bog (de

 cuius

cuius auctoribus, editionibus, occasione, dignitate, laudibus Noster p. 15 sqq commentatur) conscripserunt. Tertia est, quod an. 1245 inuitatus quidem sit ab Innocentio IV ad *Concilium Lugdunense*, non autem comparuerit. Quarta est, quod eodem anno interfuerit *Concilio Othiniensi*, in quo decretum, vt omnes proscriberentur, qui vel ecclesiarum et clericorum reditus spoliarent, vel ceremonias ecclesiasticas negligerent. Quinta est, quod structuram Templi Cathedralis Aarhusiensis perfecerit. Obiit an. 1246.

VIII. SKIALMVS, ex Absolonis, Archiepiscopi, prosapia oriundus, si vera sunt, quae in *Martini Petri* Genealogia Absolonis leguntur, quem tamen librum anilibus quibusdam scatere fabulis, Sperlingius in Nott. ad Test. Absol. p. 34 iudicat. Vixit sub Erico V, Rege.

IX. EBBE, qui floruit an. 1251, & interfuisse coniicitur Concilio Vedelae an. 1256 habito, cuius Constitutio multas in Dania turbas excitauit. Annectit p. 20 sq Poulsonius nonnulla de *Arnfasto*, quem aliqui inter Episcopos Aarhusienses post Ebbonem nominant, noster vero suo Episcoporum catalogo inserere noluit, quoniam

niam in Huitfeldi, quem sequitur, Chronico Episcoporum eum non inuenit.

X. PETRVS I, Skialmi frater a Martino Petri dictus, sed minus idonea fide.

XI. TYCHO I, quem, tradunt aliqui, scripsisse *Vitam S. Clementis Romani*, ideoque Alexandrum, Papam, ei partem sanctae Christi crucis donasse. *Optandum erat*, scribit Poulsonius p. 22, *vt adhuc superesset istud Manuscriptum, quod multas sine dubio continebat fabulas. Vix enim mihi persuadere possum, ossa S. Clementis Romani illata esse in Templum Aarhusiense, quod iam D. Clementis appellatur.* Mortuus est an. 1272.

XII. CHRISTIANVS, ex Archi-Diacono factus Episcopus, qua dignitate per breue modo temporis spatium eminuit.

XIII. TYCHO II, Musicorum summus fautor, ERICO, Regi, valde gratus, an. 1287 defunctus, relicta magna laude, quam extructo Templo Aarhusiensi Mariano sibi in primis comparauit.

XIV. IANVS, vel IOHANNES, Andreae Fil., qui an. 1292 interfuit *Concilio Roschildensi*, in quo de immunitatibus Ecclesiarum actum.

XV. ESGERVS JVEL, electus quidem Episcopus Aarhusiensis, sed mox Lundensis in Scania Archi-Episcopus an. 1310

constitutus, Calenburgi an. 1314 habuit Concilium, in quo priscos antecessorum ritus ac ceremonias confirmare & corruptis quibusdam moribus mederi studuit. E vita an. 1325. d. 17 Ian. migrauit.

XVI. ESGERVS BONDE, qui an. 1320 Viburgi, cum reliquis Episcopis, CHRISTOPHORVM II elegit.

XVII. SVENO II, qui an. 1345 interfuit *Concilio Helsingburgensi*, a *Petro Lycke*, Archiepiscopo, coacto, in quo ceremoniarum et Canticorum Ecclesiasticorum ratio fuit habita.

XVIII. PAVLVS, qui an. 1360 Domin. Trin, Calenburgi, cum aliis Episcopis ac Proceribus, nouum condidit *Recessum*, in quo non modo Ecclesiasticorum, verum etiam Politicorum priuilegia restituta sunt et amplificata.

XIX. OLAVS, Praepositus primum, deinceps ab an. 1371 Episcopus, cuius tempore optimum, quod in parochia inueniebatur, praedium, immune ab omnibus Regiis tributis, vnicuique Pastori donatum est.

XX. PETRVS JERNSKIAEG, magnae liberalitatis laude inclytus, et ad illustrem Cancellarii Regni dignitatem euectus, quo splendido admodum munere per aliquot

annos

annos functus, vitam an. 1416. d. 21 Oct. eum morte commutauit.

XXI. BOETIVS, Reginae MARGARETAE, quae, ipso Antistitis munia obeunte, Templo Cathedrali Aarhusiensi multa donauit, percharus, an. 1423 defunctus.

XXII. VLRICVS STYGGE, vnus ex illis, qui an. 1415 in *Concilio Hafniensi* ecclesiam, corruptis moribus penitus deprauatam, emendatione opus habere, ingenue fassi sunt. Mors eius anno 1449 assignatur.

XXIII. IOHANNES IVARI F., cuius memoriam, praeter alia, conseruat donata an. 1479 Altaris Tabula, ceteris, quas habet Cimbria, ob elegantiam praeferenda, in qua conspicitur paruum Altare, inque eo DEVS coronatus et MARIAE, quae assistit, capiti coronam imponens; quod Altare a Polonis, qui an. 1659 in Cimbria fuere, *Sanctum Sanctorum* fuit appellatum. Obiit an. 1482. d. 9 Mai.

XXIV. EILERVS STYGGE, de quo lapidi sepulchrali inscripta ita nonnulli legunt: *Anno Domini 1501 feria sexta Paschatos draconem occidit Reverendus in Christo Pater et Dominus, Dominus Eilerus, Dei gratia Episcopus huius Ecclesiae Aarhusiensis.* In qua inscriptione pro *occidit* Poulsonius *obiit* legendum

 putat,

putat, et *draconem* (nisi forsan draco infernalis, qui beata morte superatur, intelligi debeat) fictum censet, quum nulla idonea fide nitatur traditio de dracone ab hoc Episcopo occiso.

XXV. NICOLAVS CLAVDII F., cuius munificentia erga Templum Clementinum Aarhusiense valde praedicatur. Inter alia exstruxit Pulpitum, quo Chorus a Templi gremio diuiditur. Conspiciuntur hic, referente Poulsonio p. 40, exsculpti IV magni Ecclesiae doctores, *Ambrosius* & *Augustinus* in habitu Episcopali, *Gregorius Magnus* in habitu Papali, & *Hieronymus* in habitu Cardinalis, praeterea CHRISTVS, *Maria* ad dextram, *Ioannes* ad sinistram, vt & viginti quatuor in vtroque latere imagines. Viuere desiit an. 1531. 15 Dec., posteaquam vndecimo ante mortem anno Episcopatu se abdicasset.

XXVI. OVENVS BILDE, Episcoporum Pontificiae religioni addictorum vltimus. Hoc enim Aarhusiensi Antistite, initia sumebant felicissima illa tempora, quibus religionis, per virum summum, MART. LVTHERVM, emendatae, luce Dania quoque fuit collustrata. Praeclare hac occasione de Reformatione Danica disserit Poulsonius, egregiaque duo affert docu-

documenta, ſcilicet p. 42 ſq nunquam ſatis praedicandam religioſisſimi Regis, FRIDERICI I, in Comitiis Othinienſibus an. 1527 ad Episcopos habitam Orationem, in qua *veteris idolomaniae Pontificiae in Germania interuentu D. Martini Lutheri factae expurgationis* honorifice meminit; nec non p. 50 ſqq IO. BVGENHAGII Epiſtolam, Hafnia 1538 ad Wittebergenſes perſcriptam, progresſus Reformationis Danicae exponentem, quam ſe Cantabrigiae deſcripſisſe refert, & primum euulgare p. 50 putat Poulſonius.

XXVII, poſt Reformationem I. M. MATTHIAS SCHADIVS, vel LANGIVS, inauguratus an. 1537. d. 26 Aug. a Bugenhagio, quocum, vt et aliis Theologis, *Ordinationem Eccleſiaſticam*, a Rege et Senatu in Comitiis Othinienſibus approbatam, confecit. Obiit an. 1557. d. 16 April.

XXVIII, poſt Reformationem II. M. LAVRENTIVS BARTHOLOMEI F., cuius lapidi ſepulchrali in Templo S. Clementis haec inſcripta: *Reuerendus in Chriſto Vir, Mag. Laurentius Bartholomei, ſecundus Aarhuſienſis Superintendens, poſtquam Scholis et Eccleſiis annos 44 inſerviisſet fideliter, anno 1580 d. 19. Ian. exſpirauit.* Duos *Sermones funebres*, Danica lingua ab ipſo editos, commemorat Poulſonius p. 55. XXIX,

XXIX, post Reformationem III. PETRVS WINSTRVPIVS, Hafniensis, Pastor primum, deinceps Antistes Aarhusiensis, reuocatus an. 1591 in patriam, vbi non solum Selandiae Episcopi, sed et Doctoris ac Professoris Theologiae honores impetrauit, non sine multorum meritorum gloria, omnium maxime per coronatum ab ipso CHRISTIANVM IV, Regem, amplificata, an. 1624. d. 24 Iun. e coetu mortalium egressus. Inter scripta ipsius p. 61 recensita, est *Paraphrasis Passionis Christi, carmine Graeco Heroico*, Wittenb. 1576. 4, ob quam, ab ipso iuuene elaboratam, inter praecoces eruditos locum meretur.

XXX, post Reformationem IV. M. ALBERTVS IOHANNIS, Rector primum Hellingoranus, deinceps Symmysta Nicolaitanus Hafniensis, Concionator porro Aulicus, et tandem Winstrupii in Episcopatu Aarhusiensi successor, an. 1595. d. 20 Febr. denatus, *Sermonis Funebris in memoriam* FRIDERICI *II Regis ex Apoc. XIV.* Hafn. 1588. 8. nec non *Concionum Poenitentialium*, ibid. 1591. 8. auctor.

XXXI, post Reformationem V. M. IOHANNES AEGIDIVS, Ripensis, *Philippi Melanchthonis* discipulus, post religiose administrata Rectoris, Lectoris Theologiae

et

et Pastoris munia, ab an. 1595 ad an. emortualem 1626 Aarhusiensis Episcopus, varios edidit *Sermones Funebres*, p. 65 sq recensitos. Valet ipsi quoque ad laudem, quod *Claud. Christoph. Lyschandrum* in contexenda *Synopsi Historiarum Danicarum* adiuuerit.

XXXII, post Reformationem VI. Dr. MARTINVS MATTHIAE, Hafniensis, discipulus magni nominis Theologi, *Nic. Hunnii*, quo praeside *Conclusiones Theologicas, ostendentes, gloriam et maiestatem τȣ̃ Λόγȣ diuinam, infinitam et increatam Christi secundum carnem, seu carni Christi vere et realiter communicatam esse*, Wittenb. 1619. 4. defendit. Muneribus scholasticis et ecclesiasticis Sorae, Fridericoburgi et Hafniae rite defunctus, ad Episcopi Aarhusiensis dignitatem an. 1627 euectus est, quo tempore, vna cum Caesareis militibus, Cimbriam inuaserunt Loiolitae, varia contra religionem Euangelicam, sed conatu irrito, moliti. Mortuus est an. 1643. d. 17 Oct. aet. 47. Edidit *Λύσιν Controuersiarum ex Philosophia in negotio S. Coenae*, Wittenb. 1618. 4. et nonnullos *Sermones Funebres*.

XXXIII, post Reformationem VII. IACOBVS MATTHIAE, Aarhusiensis, Theologiae Doctor, Eloquentiae primum in Academia Hafniensi Professor, Concionator

nator postea Aulicus, Episcopus demum Aarhusiensis et Canonicus, an. 1660. d. 3 Iun. aet. 58. morte abreptus, magnam tum aliarum rerum, tum styli elegantis Latini laudem relinquens. Huius documentum etiam esse posse Epistolam, a se primum p. 75 sq euulgatam, putat Poulsonius. Inter scripta Matthiae p. 74 sq adducta, est *Disputatio de Vsu Philologiae in omni Studiorum genere.* Hafn. 1637. 4. Cum *Thoma Bartholino*, Daniae AEsculapio, literarium ipsi intercessisse commercium, Epistolae Bartholinianis Cent. I. n. 99. II. n. 10 insertae euincunt.

XXXIV, post Reformationem VIII. M. IOHANNES ENVALDI BROCKMANNVS, Coagii an. 1621. d. 16 April. natus, qui Pastoris Nicolaitani, Professoris Theologiae Hafniensis et Episcopi Aarhusiensis muneribus bene administratis inclytus factus, an. 1664. d. 4 Mart. e vita migrauit. In Epitaphio ipsius, inter alia, isthaec leguntur: *Non admirandus, divinus fuit — — — Posteros omnes hortatur, ne quisquam hoc suum cubile inquietet, et qui secus faxit, damnatus erit.* Scripsit, praeter *Commentarium in Cap. IV Sapientiae*, varios *Sermones Funebres*, quorum notitiam suppeditat Poulsonius p. 83 sq.

XXXV, post Reformationem IX. D. ERI-

ERICVS MAGNI GRAVIVS, Lundini Scanorum an. 1624. d. 26. Sept. natus, Scholae patriae primum Collega, Rector deinde Hellingburgensis, Pastor porro Hornslebensis, hinc Concionator Aulicus Hafniensis, et tandem Episcopus Aarhusiensis an. 1664 constitutus, Theologus in controuersiis sacris longe versatissimus, quod tum aliis occasionibus, tum in primis an. 1662 comprobauit. *Salutauerat*, ita rem commemorabilem enarrat Poulsonius p. 89, *Hafniam an. 1662 quidam ex Polonia Photinianus, monstrosa sectae suae dogmata in publico, vt stolide iactabat, Doctorum congressu defendere ausus, ad quem conflictum, ne causae suae metu detrectare viderentur nostrates, Nathanem illum suum Rex FRIDERICVS in arce comparere iussit, atque in sublimi de SS. Trinitate articulo cum haeretico colloquium instituere. Peregit hic suas ita Grauius partes in augusta Monarchae et Magnatum praesentia, vt illustratae mentis acumen et vberem dicendi vim mirarentur singuli, Rexque his Photinianum dimiserit verbis: Iam ergo fateris te victum.* Supremo in Theologia gradu ipse FRIDERICVS III, Rex, eundem an. 1668. d. 27 Mai. ornauit. Diploma Regium exhibet Poulsonius p. 90 sq, huncque primum in Dania Doctorem Bullatum fuisse arbitratur. Obiit Grauius 1691. d. 22. Febr. Quaedam

eius

eius MSSta, in quibus est *Consideratio de Apostasia Euangelici hominis ad Religionem Romanam*, in Bibliotheca Reseniana supersunt: nonnulli *Sermones Funebres* luce fruuntur.

XXXVI, post Reformationem X. D. IOHANNES BRAEM, Hafniae an. 1648. d. 12 April. in lucem editus, qui in Academiis, patria, Lugduno-Batava, Traiectina, Oxoniensi et Wittebergensi (in qua immortalis famae Theologos, *Abr. Calovium, Io. Andr. Quenstedium* et *Aug. Pfeifferum* audiuit) Philosophia, Linguis orientalibus ac Theologia solide instructus, munia Rectoris Helsingorensis per septem, Pastoris Nestvediensis per vnum, Roschildensis et Praepositi Semensis per nouem, atque Episcopi Aarhusiensis per duos et viginti annos, ita administrauit, vt an. 1713. d. 21 Mai. mortuus, summis laudibus fuerit condecoratus.

XXXVII, post Reformationem XI. D. IOHANNES OCKSEN, quem hodie Dioecesis Aarhusiensis Episcopum veneratur. Huius solum quidem nomen sub finem Bibliothecae p. 110 affert Poulsonius, in Praefat. tamen p. 28 honoris ergo eum nominat, gratumque ei declarat animum ob *Catalogum Praepositorum et Pastorum totius Dioecesis Aarhusiensis per duo saecula, a tempore Reformationis ad nostra vsque tempora*, beneuole secum communicatum.

II.

II.

PETR. FRIDER. ARPI, (*) ICti, *Feriæ æstivales, sive Scriptorum suorum Historia. Liber singularis.* Hamburgi, 1726. 8vo. 1. A. 8½ pl.

QVamvis olim sibi ita visum fuerit, neminem de se ipso scribere debere: sententiam tamen jam se mutare ait doctissimus Auctor, exigente abs se otii literarii rationem illo, qvem præsidium & dulce decus suum colit; præsertim cum aliqvid dandum sit tempori, & Ciceronis exemplo perdita republica ad philosophiam incumbendum, cujus in omni parte rerum nostrarum usus est longe uberrimus. Hac mente schedarum suarum fata scrutari instituit, qvæ ipsis fuerint, cum hactenus prodirent, qvæ sint, aut qvæ eas maneant; numne intersit eas limare politius, aut perpetua oblivione damnare, aut exspectare, qvid serus vesper vehat; qvod institutum omne IV. Partibus perseqvitur.

(*) Nuper Hamburgi emisit sciagraphiam operis proxime edendi, hac inscriptione: *Nordischer Antiqvarius unserer Zeiten, oder Vollständige Sammlung merckwürdiger bisher zerstreueten Schrifften und Urkunden, Nordens Ruhe und Unruhe betreffend, Vom Anfange dieses Jahrhunderts biss 1721. Zum gemeinen Besten verfasset.*

Frontem ipſam libri ornat tabella affabre ſculpta, in qva *Scientia* ſiſtitur litans *Bonæ Menti*, plaudente *Genio*, permixtis *Satyris*. Pars vero I. *Operum Volumen I. repetita lectione, notis variis & indicibus auctum*, enarrat, qvorum partem maximam curioſa juventus Auctori ſubminiſtravit. Initio itaqve memorat *Decadem Epiſtolarum*, ſive *Delineationem Muſæi ſcriptorum de Divinatione*, Gvelpherbyti 1711. editam, nomine literarum involucris tecto. In his epiſtolis qvaſi in nuce Bibliothecæ Fatidicæ primas lineas tentavit & imaginem majoris operis, cujus occaſio fortuita fuit & inopina. Cum ſcilicet ante aliquot luſtra Kilonii, auctore Cl. JOH. BVRCHARDO MAJO, Societas literaria Scrutantium inſtitueretur, ALBERTO ZUM FELDE in Academia iſta (cujus inſigne poſtea ornamentum fuit) tum commoranti argumentum *de arcana eruditione* diſſerendum forte obtigit, qvi ex Noſtro petiit, ut horis ſubciſivis auctores, qvi de hoc argumento occurrerent, in chartam conjiceret. Huic morem geſturus alacrem ſe operi accinxit, qvod ſucceſſu deinde temporis crevit, ita ut collectio illa jucundiſſimum præbuerit ſpectaculum, & totius orbis eruditi amphitheatrum. *Trophonii* titulum commentario iſti imponere vole-

volebat, eo qvod is antrum qvoddam videretur Trophonium; at mutato consilio inscripsit: *Bibliothecam Fatidicam, sive Musæum Scriptorum de divinatione, in quo omnis fere de divinationum variis modis scriptores studiose recensentur, imagines vitæ consvetudinumqve depinguntur, editiones, MSti codices, aliaqve multa, qvæ Philosophiam occultam, antiqvitates & literas humaniores spectant, indicantur.* Qvis autem sit materiarum ordo aut dispositio, tabula p. 10. annexa docet. Speciminis qvoqve loco, ut de tota argumenti ratione constaret, emisit *Diatriben de prodigiosis naturæ & artis operibus, Talismanes & Amuleta dictis*, Hamb. 1717. 8°. Absolvitur illa VI. Capitibus, qvorum I. agit de ortu, progressu, & antiqvitate artis Talismanicæ, II. de antiqvissimis Scriptoribus Talismanicis, III. de obscuris & incertæ ætatis Scriptoribus, IV. de medii & recentioris ævi scriptoribus Talismanicis, V. de his, qvi de materia Talismanica scripserunt, VI. de his, qvi Talismanibus affinia tradunt.

Theatrum deinde *Fati, sive de Providentia, Fortuna, & Fato Commentarium*, Roterodami 1712. 8°. à se evulgatum recenset p. 22. sq. in qvo, initio ab Hermete capto, qvid Socrates, Stoici, Epicurus, Plato, Peripatetici, Romani, Christiani, antiqvi & recen-

recentiores, de fato ſenſerint & ſcripſerint, per ſæculorum ordinem exponitur, additis qvoqve incertæ ætatis ſcriptoribus, disſertationibus item, exercitiis, & digladiationibus. Cui ſi altera pars, de ſcientia & voluntate DEi, de prædeſtinatione, gratia & ſervo arbitrio, aut qvæ præterea argumenti ſunt theologici, accedat, priorem mole ſuperaturam eſſe, non levis eſt conjectura. Mox p. 28. ſq. progreditur ad *Apologiam pro Julio Cæſare Vanino, Neapolitano,* ſine nomine autoris, urbis, typographi, Cosmopoli typis Philaletheis 1712. 8o. maj. editam, eo fine, ut Apellis inſtar poſt tabulam latentis publicum judicium experiretur; qvæ jam ſecundis curis elimata & novis acceſſionibus facta eſt auctior. In iſta Apologia peſſimæ cauſæ eruditum atqve ingenioſum defenſorem egiſſe multis viſus eſt, qvando expoſuit vitam Vanini & Parentes, Præceptores & ſtudiorum genus, ſcripta, reliqvum vitæ curriculum, odium Cleri, conſpirationem in eum, accuſationem, condemnationem injuſtam, debilitatem extremam, adverſariorum improbitatem, mortis genus, defenſionem, criminis Atheismi inveſtigationem, cenſuram, elogia, & de accuſatore divinationem, cum rationibus adverſariorum earumqve refutatio-

tatione. Jam vero & illud addit, duos hic confundi Vaninos, antiqviorem & recentiorem, alterum Ferrariæ 1550. in Italia, alterum Tolosæ 1619. in Gallia rogo impositum. Cum nimirum veræ religioni decus suum rediret, fuisse qvendam ex gente *Vaninorum*, Faventiæ natum, Romanæ ditionis oppido, qvi publice eam amplexus tanta constantia celebraverit, ut tandem post diuturnos carceris sqvalores, jubente Julio III. Papa, Ferrariæ flammis traditus fuerit. Atqve ex hujus rebus gestis & dictis multa in alterum Vaninum Tolosæ crematum sinistre translata fuisse, uti pateat ex iis, qvæ refert CRISPINVS in *Historia testium veritatis ultimo supplicio sublatorum*, in latina editione, qvæ Genevæ 1560. 4°. prodiit, Libr. V. p. 162. ad ann. 1549. & Gallica, qvæ generi ipsius *Eustachii Vignonii* sedula diligentia auctior sine loci mentione 1597. fol. recusa est, Lib. IV. p. 187. ad ann. 1550. Ejus verba in fine Dissertationis, si iterum prodierit, nec non Pl. Reverendi ANDREÆ LVDOVICI KÖNIGSMANNI Sententiam ex MSto Codice ipsius de *Theologia naturali* se adjecturum pollicetur; qvæ tamen aliis dijudicanda relinqvimus. Hinc p. 35. sq. ea affert, qvæ inter gaudia sæcularia ann. 1717. Kilonii

celebrata de *Jure Pontificiali Romæ veteris & novæ*, tum & de *Jure Laicorum præcipue Germanorum, in promovendo religionis negotio* dissseruit; qva commentatione utraqve confecta Summus Princeps CAROLVS FRIDERICVS jus publicum & patrium in Academia sua ipsum interpretari clementissime jussit; qvanqvam urgentibus Academiæ fatis alia jam ineunda sit vitæ ratio.

Parte II. reliqvorum suorum operum recensionem Auctor exhibet, tactisqve breviter scriptis Academicis de *Æqvilibrio inter jura Cæsareæ Majestatis & Ordinum Imperii servando*, de *usu & necessitate juris patrii*, de *officio & dignitate IConsulti*, de *Historia juris Romani* prelo parata, aliisqve, p. 40. sq. diatribæ immoratur, qvæ *Hierophantes* inscribitur, *de Hierologia & Hierographia, sive variis occulta animi sensa tegendi & detegendi modis*, in qvibus multa occurrunt, qvæ Martio Vate indigent, aut Delio Natatore. Ad Hierologiam referuntur fabulæ, apologi & parabolæ, ænigmata, gryphi, logogryphi, anagrammata, chronodisticha, nec non apophthegmata, parœmiæ, adagia & proverbia: ad Hierographiam autem figuræ Hieroglyphicæ, symbola & emblemata, notæ, ars memoriæ, steganographica, & cryptologia, de qvibus occasio

sio differendi orta est, cum literæ Viri Illustris, variis ductibus, numeris, ac notis à curiosorum lectione munitæ, forte essent allatæ. Succedit p. 62. sq. *Apologia pro Viris Illustribus de Magia falso postulatis*, veluti pars altera ad GABRIELIS NAVDÆI doctissimam Apologiam, non tam pro Principibus & bellica virtute claris, qvam pro viris literarum studiis illustribus scripta, ut illorum innocentiæ ob magiæ crimen temere affictum succurratur. Inter hos ex Theologorum ordine comparent *Paulus II. & Hadrianus* VI. Pontifices, ac præterea *Magnentius Rabanus, Dunstanus Glasconius, Robertus Eboracensis, Rogerius Suisset, Joachimus Abbas, Georgius Riplay, Petrus d' Alliaco*, Cardinalis, *Pelagius Eremita, Johannes Huss, Martinus Lutherus, Jacobus Böhm, Abrahamus Franckenberg, Julius Sperber, Valentinus VVeigelius, Qvirinus Kuhlmann, Michaël Molinos, Franciscus Puccius, & Vrbanus Grandier*; ex Medicis *Andreas, Pamphilus, Xenocrates, Avicenna, Gvilielmus Grisauntus, Joannes VVierus, Joannes Pistorius, Rudolphus Goclenius, Jo. Baptista ab Helmont, Jo. Ernestus Burggravius, Robertus Fluddus & Leonhardus Thurneiserus*; ex Mathematicis *Publius Nigidius, Anaxilaus, Oliverius Malmesburius, Henricus de Arragonia, Thomas Stacy, Gvilielmus Sotton, Bartholomæus*

Barientos, *Paris Cæsarius*, *Tycho Brahe*, *Henricus Reventlau*, *Henricus Ranzovius*, *Gauricus* uterqve, *Bartholomæus Cocles*, *Antiochus Tiberius*, & *Johannes Dee*; ex Philosophis *Franciscus Petrarcha*, *Joannes Reuchlinus*, *Marsilius Ficinus*, *Petrus Pomponatius*, *Gvilielmus Postellus*, *Marcellus Palingenius*, *Antonius Mizaldus*, *Joannes Bodinus*, *Petrus Gregorius Tholosanus*, *Jo. Baptista Porta*, *Julius Cæsar Vaninus*, & *Thomas Campanella*. Sistit porro Auctor p. 69. sq. *Specimen Bibliographiæ Physiologicæ*, qvam meditatur eo consilio, ut historiam naturæ & de ea scriptorum tradat. Ideo postqvam de antiqvis physicis dixerit, Chaldæis, Ægyptiis, Græcisqve ac Latinis, illos ex reliqvis selegit, qvi recondita doctrina, mysteriorum propalatione, occultarum qvalitatum enodatione, sententiarum novitate, aut alio qvocunqve modo peculiare sibi, si non magnum, nomen pepererunt, qvos auspiciis Plinii & Apuleji secundum seriem temporum disposuit. Veniunt hic in censum *Maugantius*, *Joh. Scotus Erigena*, *Zacharias Alcazuinus*, *Rogerus Baco*, *Raimundus Lullius*, *Joh. Trithemius*, *Henricus Cornelius Agrippa*, *Cælius Calcagninus*, *Antonius Ludovicus Februs*, *Pompilius Azalus*, *Joannes Baptista Porta*, *Levinus Lemnius*, *Alexius Pedemontanus*, *Joannes Jacobus VVeckerus*, *Petrus Pomponatius*,

Simon

Simon Portius, *Hieronymus Cardanus*, *Jordanus Brunus*, *Theophrastus Paracelsus*, *Johannes Bodinus*, aliiqve plurimi. Nec negliguntur, qvæ recentiori ætate *Renatus Cartesius*, *Claudius Berigardus*, *Petrus Gassendus*, *Honoratus Faber*, *Robertus Boyle*, *Jo. Nevvton*, *Jo. VVallisius*, *God. Gvil. Leibnitius*, *Bernoullii*, tradiderunt, aut qvæ *Societates* in Italia, Gallia, Anglia, & Germania initæ, acumine atqve labore summo investigarunt.

Pergit p. 80. sq. ad *Fortuita*, qvo nomine insignivit farraginem variarum rerum, qvas, cum in aliis scriptis locum non invenirent commodum, hic colligere placuit, librisqve II. consignare, ita ut alter qvidem de rebus scitu dignis, alter vero de codicibus qvibusdam MSS. tractet. Singulis XII. sunt Articuli vel Capita, qvorum partim titulos tradit, partim specimina subjicit, ut singula eo rectius legi & intelligi qveant. Agit itaqve Libri I. Caput I. de Harmonia Philosophiæ mysticæ, antiqvæ & novæ, cap. II. de lite & amicitia firmissimo universi vinculo, cap. III. de amoris illiciis & erotomania, cap. IV. de pristina libidine, in libris, statuis, numismatibus & picturis; qva occasione mentio injicitur diatribæ de libris lascivis & obscœnis, qvam Vir elegantissime do-

ctus F. (cujus integrum nomen sine veniæ ejus profiteri non licet) in scriniis abditam servat; cap. V. de mutatione hominum in bestias tam physica qvam morali, cap. VI. de superstitione maximo veritatis impedimento, cap. VII. de numero mundorum, cap. VIII. de somniis vigilantium, cap. IX. de Sermonibus Convivalibus, cap. X. de vitiis ineptiisqve scriptitantium, sub Aristarchi literarii titulo, ad exemplum Morhofii, cap. XI. de bibliothecarum sacris pignoribus & Rhetris, cap. XII. de locustis Apolypticis sive de Calumniatoribus. Libri II. Cap. I. agit de *Benzone*, Henrici Imperatoris Vate. Codicem hujus Benzonis optimæ notæ Upsaliæ in bibliotheca invenit Cl. JOAN. HENRICVS HEVBELIVS, ac describendi copiam à Summe Rever. ERICO BENZELIO impetravit, qvem postmodum Nostro benevole communicavit. Inscribitur: *Fr. Benzonis, Episc. Albensis, de rebus ad historiam Henrici Imp. tertii, vulgo qvarti, pertinentibus, commentariorum libri VII.* qvi versibus leoninis, pro genio sæculi, conscripti sunt. Cap. II. de *Johanne Heidenberg*, vulgo *Trithemio.* Ejus nomine fertur MS. gallica lingva: *Clavis generalis omnium rerum abstrusarum*, dubiæ sane fidei; itemqve aliud, *modum* tradens

per

per orationem qvidvis à DEo impetrandi, ad Maximilianum Cæsarem. Cap. III de *Pelagio Eremita*, cujus Noſtro ad manus ſunt: *Pro anacriſeos operatione cum ſancto numine proprio libri* II. & *de prænotionibus & anacriſibus hypneticis Libri* III. MSti, a lectione curioſorum juramenti fide muniti. Cap. IV. de *Abrahamo VVormatienſi*, ſub initium ſæculi XV. celebri, cujus codex MS. ex Hebræo in lingvam Germanicam translatus inſcribitur: *Liber, qvi tractat & agit de vero veteris magiæ uſu, qvam ego Abrahamus, filius Simonis, fil. Judæ, fil. Simonis, partim proprio ſtudio aſſecutus ſum, partim a Simone Patre aliisqve ſapientibus Viris accepi, & experientia comprobavi veram eſſe, eaqve vera miracula patrari. Qvem ipſe librum ſtudioſe contuli, & calamo conſignans arculæ tanqvam pretioſisſimum theſaurum in memoriam mei incluſi*, &c. Cap. V. De *Theophraſto Paracelſo*, cujus circumferuntur libelli MSti *Geheimnisſ aller Geheimnisſe, Vſus practicus pſalmorum Regis Davidis, Commentarius de Catoptromantia*; nec alia Noſtro deſunt, qvæ inedita credit, videlicet: *De ſeptem ſtellis, Philoſophia de ordine doni, Liber gemmarum, Surſum corda, Experimenta Theophraſtica, & Onomaſticon.* Cap. VI. de *Jo. Bodini* Colloqvio Heptaplomeres dicto, ſeu de rerum ſublimium arcanis MS. cujus edi-

editionem molitus est cl. POLYCARPVS LYSERVS, conspectum vero sistunt die *Thomasische* Gedancken und Erinnerungen über allerhand gemischte Philosophische und Juristische Händel, qvæ Hal. 1723. 8° prodierunt, Part. I. No. I. ubi p. 1—96. exhibetur: *Vmständiche Nachricht von Joh. Bodini Manuscript, das er Heptaplomeres nennet, und dass dasselbige bey vernünfftigen Christen keinen ächten Knecht Ruprecht zu agiren capable sey.* Nostro duplex codex ad manus est, alter in folio, alter in qvarta, ut vocant, forma, cum variis lectionibus ex VII. aliis codicibus MSS. CHRISTINÆ scilicet *Reginæ*, MOTHII, ROSTGAARDI, ARNÆ MAGNÆI, HERMANNI CONRINGII, GERARDI MOLANI, & G. G. LEIBNITII depromptis. Cap. VII. de *Godofredi Vallæ* arte nihil credendi, qvæ alias hoc titulo circumfertur: *La beatitude des Chretiens, ou le fleo de la foy par Geoffroy Vallee, natif d' Orleans.* Talem sibi libellum inter schedas occurrere asserit Noster, qvi tamen diversus sit ab illo, qvem exhibet DN. de SALENGRE dans ses *Memoires de literature* Tom. I. Part. II. art. 2. Cap. VIII. de *Frid. VVilhelmo Stosio*, qvi Concordiam rationis & fidei, seu Harmoniam Philosophiæ moralis & religionis Christianæ Amstelodami 1692.

1692. 8o. edidit. Hoc libro cum turbas maximas Berolini dediſſet, Principisqve ſui gratia excidiſſet, apologia duplici innocentiam ſuam defendere conatus eſt, cujus deſcriptum exemplar penes Noſtrum eſt. Cap. IX. de *Cornelio Duplicio Sceppero*, ejusqve Epiſtolis ineditis. Scepperus ille Neoportunenſis Chriſtiano II. Scandinaviæ imperanti à ſecretis literarum conſtitutus fuit, poſtmodum vero à Carolo V. Imp. eqveſtri dignitate ornatus, multis legationibus maxime arduis adhibitus eſt, eaqve occaſione literas varias ad ſummos iſtius ſæculi Viros ſcripſit, qvas à Viro apprime erudito JO. HENR. HEVBELIO Noſter accepit. Cap. X. de Apologia Atlantices per *Olaum Rudbeckium*, & *Fabianum Toernerum*. Celebratiſſimum RVDBECKII opus, qvod *Atlanticam ſive Manheim* inſcripſit, latino & Svecico Sermone Upſaliæ 1673—98. tribus Tomis fol. prodiit; in qvo cum Auctor amori patriæ nimium dediſſe, & ingenio plus æqvo indulſiſſe multis videretur, vindicias ille paravit, morte interceptas. Hujus laboris reliqvias 40. plagularum MStas ab amico ſuo HEVBELIO Noſter accepit, qvibus addi meretur FABIANI TOERNERI, Eloqventiæ Profeſſoris Upſalienſis, *de Exiſtentia Atlantices ad V. Cl. M.*

Chri-

Christianum Bochium, Grimma - Misnicum, Exercitatio MS. Caput XI. de *Hamiltonio* in aureas ſententias Horatii. Codex eſt MStus probæ notæ, qui in fronte & fine Hamiltonii illuſtre nomen adſcriptum gerit. Cap. XII. De *Gvidone Patino* & *Borbonianis.* Continent hæc memoriam eruditæ conſvetudinis inter NICOLAVM BORBONIVM, CanonicumLingonenſem,1644. mortuum, & GVIDONEM PATINVM, Viros ſui temporis doctiſſimos, qvondam cultæ. Codicem MStum MATTHIAS WORMIVS, tum in Gallia apud Patinum degens, poſtea Præſes civitatis Ripenſis, Daniæ intulit, & Comiti de GREIFFENFELDT ſacrum eſſe voluit; unde ad ROSENCRANZIVM, Conſiliarium intimum, & poſt ejus obitum ad Cl. ARNAM MAGNÆVM, demumqve ad CHRISTIANVM REIZERVM, tunc Profeſſorem Hafnienſem, nunc Præfectum Regis, eiqve à ſanctioribus conſiliis, pervenit, qvi ſibi autographum ſervans, benevolam deſcribendi libertatem Noſtro conceſſit. Is præter lemmata duplicem adjecit indicem, vitamqve Patini præmiſit, & fronti epigraphen impoſuit: *Hic Gvido Patinus, celebris Medicus, ſales et jocos, qvos vivus egit, nec mortuus ceſſare patitur.*

Qvæ

Qvæ ſeqvitur III. Pars tota impenditur enarrando operi Hiſtorico, qvod *Pyrrho* inſcribitur, *ſive de Hiſtoricorum veterum dubia & incerta fide.* Hujus jam olim argumentum, Kiliæ 1716. 8o. impreſſum, Auctor transmiſerat celeberr. JOANNI ALBERTO FABRICIO, Hamburgi imo & totius Germaniæ ornamento, qvod limatius politum, hic p. 140 — 193. repetit inſeritqve. Tituli Capitum hi ſunt: Cap. I. de definitione, diviſione, & veritate Hiſtoriæ, cap. II. de cauſis veritatem impedientibus: antiqviſſimorum monumentorum fato, cap. III. de amore, odio, ira, & invidia Hiſtoricorum, cap. IV. de adulatione & maledicentia Hiſtoricorum, cap. V. de Hiſtoricorum in Religione, republ. vitæ ſtudiis, moribusqve diverſo inſtituto, cap. VI. de præmiis & pœnis, ſpe & metu, cap. VII. de ignorantia Hiſtoricorum, cap. VIII. de Poëſeos mixtura, & fingendi libidine apud Hiſtoricos, cap. IX. de ſuperſtitione, miraculorum, & divinitatis affectatione apud Hiſtoricos, cap. X. de nimio antiqvitatis, eloqventiæ, & rerum in majus efferendarum ſtudio, cap. XI. de credulitate, oſcitantia, memoriæ lapſu, garrulitate, & curioſitate Hiſtoricorum, cap. XII. de incertitudine & interitu hiſtoricorum, compendiorum compila-

pila-

pilatione, librariorum incuria. Nec in hac modo re (ſub finem inqvit) ſed ne in maximis qvidem rebus qvicqvam ſe adhuc inveniſſe, firmius qvod teneret, qvam id, qvodcunqve ſibi qvam ſimillimum veri videretur, cum ipſum illud verum in occulto lateat.

Qvarta deniqve Pars abſolvitur expoſitione eorum, qvæ juri Cimbrico illuſtrando inſerviunt. Cum enim de Cimbrorum & Hyperboreorum inſtitutis nil præter fragmenta & laciniæ ſuperſint, iisqve de cauſis nemo hactenus hiſtoriæ juris illorum manum admoverit: Noſter amore patriæ victus rem aggredi cœpit & parare media, qvibus propoſitum abſolveret felicius, haud ſiniſtris, ut opinatur, avibus, cum præter codices typis exaratos, MSStorum aliqvot ipſi decades obvenerint. Imo itaqve loco conſcribere placuit *Hiſtoriam juris Cimbrici*, IIdo loco *Inſtitutiones juris Cimbrici*, conſenſu & diſſenſu reliqvarum patriæ legum firmandas, & IIItio loco *Codicem juris Cimbrici repetitæ prælectionis*, aliqvot Voluminibus excudendum. Primi operis compendium luculentum hic exhibet, cujus & ſummæ lineæ in tabula p. 197. adjecta repræſentantur. Inſcribitur illud: *THEMIS CIMBRICA, ſive de Cimbrorum vicinarumqve gentium legibus & in-*

& institutis commentarius. Liber I. agit de jure vetusto Cimbrorum, & qvidem pars I. de origine, migrationibus, & antiqvissimis gentium institutis, Pars vero II. de incolarum Peninsulæ Cimbricæ moribus & institutis, tam in genere, qvam in specie Cimbrorum, Teutonum, Jutorum & Gothorum, Danorum, Frisiorum, Svevorum, Angilorum, Saxonum, Vandalorum, Venedorum, Sclavorum, aliarumqve Gentium. Facta deinde divisione juris Cimbrici in *Publicum*, qvod ad statum Reip. spectat, & *Privatum*, qvod ad singulorum utilitatem, Liber II. tradit Jus Cimbriæ Publicum, ubi præmissa præfatione de Legibus Cimbriæ in genere, Pars I. tractat de Jure publico, & qvidem cap. I. de antiqvissimo Cimbriæ statu, cap. II. de Regibus Daniæ, cap. III. de Comitibus & Principibus Cimbriæ, cap. IV. de forma reipublicæ Cimbricæ, cap. V. de jure summæ potestatis circa sacra, cap. VI. de jure summæ potestatis circa res civiles. Pars II. de jurisdictionibus, nimirum Principum, Episcopi & Capituli Lubecensis, Comitum Ranzoviorum, & Civitatum Hanseaticarum, Lubecæ atqve Hamburgi. Inqviritur hic in urbis nostræ nomen, situm, jus publicum, civium præclare gesta tam belli qvam pacis

pacis temporibus, qvibus effectum est, ut Arctoi aliqvando orbis penes ipsos fuerit arbitrium, & qvæ præterea de eorum privilegiis, reipublicæ statu, magistratuum officiis, judiciorum forma, & antiqvo jure memoratu digna videntur. (*) Nec minus Hamburgi, sororio Nostræ vinculo sociati, con-

(*) Uberius hæc perseqvitur Max. Ven. Noster Senior, JACOBVS A MELLE, *Rerum Lubecensium* Tomis II. MStis, qvorum alter *Lubecam Civilem*, alter *Religiosam* complectitur. Cum vero Cl. Auctor p. 242. existimet, insignia urbis nostræ Lubam piscatorem (seu potius vestigia retis piscatorii à Luba olim adhibiti) referre: juvat heic loci adscribere, qvæ hanc in rem *Lubecae civilis* memoratæ Lib. I. capite II. qvod de *nomine civitatis* exponit, habentur: *Qvamvis diffitendum non sit, inferiorem bipertiti scuti Lubecensis, praesertim in nummis effícti, partem haud raro lineis diagonalibus ex utroqve superiori cingulo ductis, ad modum retis se intersecantibus, esse distinctam; id tamen nihil aliud significat, qvam tincturam partis istius esse rubram, qvod majores nostri nondum ita, ut hodie, artis Heraldicae periti, noverunt lineis è perpendiculo descendentibus innuere.* Add. Lib. II. cap. VII. *de insignibus & sigillis Lubecensibus*, ubi ista leguntur: *Secundariam civitatis tesseram constituit clypeus ex argento & minio horizontaliter vel transversim bipertitus, idiomate Fecialium Gallico: Coupe d' argent & de gueules; de cujus originis erronea sententia libro I. diximus.*

conditio delineatur, ita ut disseratur de antiqvissimo civitatis situ, statu, opibus, & incrementis; de rebus pace & bello gestis; de Reipublicæ forma; de Magistratibus & administratione rerum civilium; de administratione rerum sacrarum; de privilegiis & immunitatibus ipsi concessis; de jure & legibus; de judiciis; de diversis jurisdictionibus; de terris ipsi subjectis & jure provinciali; de controversiis illustribus; de differentiis juris Hamburgensis vicinarumqve gentium. Pars III. de variis Cimbrorum judiciis, ubi partim de personis agitur, judicia constituentibus; partim de ordinibus ex societatibus, qvibus constituuntur, ita ut judicia provincialia, cancellariarum, civitatum, regionum, clericorum, militum, mercatorum, nautarum, opificum, & gildarum pertractentur; partim de Actionibus legum, & modis procedendi in foris Cimbriæ. Liber III. exponit jus privatum Cimbrorum, primum in genere, ut agatur, de jure Jutico, de jure Saxonico, de jure Lubecensi, de constitutione judicii provincialis, nec non de jure consvetudinario & singulari; deinde secundum provincias, ubi de jure Frisico, tractus Tunderensis, Strandiæ Borealis, Eiderostadiæ, Stapelholmiæ, Helgolandiæ,

Femariæ, Teutomarſorum, Schaumburgico & Oldenburgico; poſtremo ſecundum civitates, partim Slesvici, nempe Ripæ, Haderslebiæ, Apenradæ, Flenopolis, Tunderæ, Huſæ, Fridericopolis, Tonningæ, Gardingæ, Slesvici & Eclenfordæ: partim Holſatiæ, ſcilicet Kiliæ, Rendsburgi, Tychopolis, & Altonaviæ. Liber deniqve IV. tractat de jure ſubſidiario Cimbriae, cujus parte I. exhibentur Leges Scandinaviæ, nimirum Daniæ, Sveciæ, Norwegiæ, & Islandorum; parte II. Leges Britanniarum, videlicet Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, atqve inſularum vicinarum; parte III. Leges Germaniæ, ubi de jure veteri, novo, publico, Canonico, Romano-Græco, Germanico, Provinciarum, civitatum, & ſingulari.

Exqviſitus hicce eruditionis variæ apparatus, qvem *Feriæ æſtivales* ſiſtunt, Nobiliſſimum Dn. Auctorem in colendis literis elegantioribus haud eſſe *feriatum* apprime commonſtrat; nec minimo ipſe beneficio orbem ſibi literatum obſtringet, ſi cimelia illa literaria non vulgaris pretii, qvæ in ſcriniis ſervat, publica luce frui qvantocyus patiatur.

III.

III.

ERNESTI JOACHIMI WESTPHALI, D. *de consvetudine ex sacco & libro in Germania, sigillatim in Megapoli, Tractatio historica, etymologica & civilis. Qva singularia plura & selectiora, Legum, Juriumqve, Historiarum, Morum, Præjudiciorum in vita plebeja, civili & erudita, Literarum, Vocum, Numorum, Antiqvitatum, Rerumqve Germanicarum, Mecklemburgensium præcipue atqve Rostochiensium argumenta, exhibentur, enucleantur & expenduntur.* Rostochii & Lipsiæ. 1726. 8vo. *Alph.* I. pl: 14. *Specimen Documentorum.* pl. 16.

ELeganti huic libro, consultissimus Dominus Autor *Præfationem* præmittit, *de studio historico in Jurisprudentia non otioso.* Convenit hæc & Tractationi huic optimè, & ex eadem si usqvam alibi apparet, non otiosum esse istud studiorum genus, qvod cum Jurisprudentia, tam felici copula Cl. Autor conjunxit. In eâdem docet Jurisprudentiam non debere esse mere antiqvariam, nec otiosam & legulisticam, neqve prædanticam, nugatoriam & scholasticam. Cum vero plura ab imperitis pro frustraneis habeantur, ab iis præ-

præcipue, qvi vel cerebrina ſtudia ſectantur, vel de acqvirendis terunciis ſolliciti tantum ſunt; merito inſignem ſtudiorum philoſophicorum, Jurisprudentiæ naturalis & hiſtoriæ uſum commendat. De cordatioribus qvippe Literatis, ait: non ſectari eos ubiqve panificium, nec ſtudia comparare cum opificiis, in qvibus tyrones & diſcipuli mox aliqvid merentur. Legulejis vero exprobrat ignorantiam politisſimi uſus hiſtoriæ in ſcholis, doctrinis, foro & republica. Præſenti igitur ſcripto eum ſibi ſcopum præfigit, ut etiam leviori argumento hiſtorico dignitatem & laudem hiſtoriarum comprobet, & oſtendat, qvam varia, civilia, juridica & pragmatica rerum momenta cum iis cohæreant.

Eas igitur, qvas ſibi in *Tractatione ipſa* exponendas ſumit tritisſimas formulas, ait: §. 2 innuere avitam conſvetudinem & obſervantiam. Primamqve dictionem (Bocks-Beutel.) repetit â conſvetudine, qvæ in univerſa propemodum germania obtinuit & etiamnunc obtinet *ſacculari*, ad redimendas nuptias ſecundas, inventa, ſub hac lege; ut vidua Magiſtratui offerat monetam in ſacculo non ſuto, ſeu coreaceo. Addit tamen huic ſuæ alias aliorum conjecturas. Alteram

ram vero dictionem (Wäſken-Bock/) derivat â Beghinabus Roſtochienſibus, vel piis manibus Mecklenburgenſium Matronarum, qvæ in adornandis feſtivitatibus laudem industriæ ſibi conciliarunt, & mutuo ſe invicem nomine der Wäſken freqventisſimè olim exceperunt.

Ut igitur ſuam de σαννεμπορία conjecturam ſtabiliat, copioſam tractationem inſtituit de odio Germanorum in polygamiam ſuccedaneam. De Francis inprimis docet, eos, qvod de Germanis in univerſum *Tacitus* ait, ultra unum corpus unamqve vitam mariti non cogitaſſe nec cupiviſſe, ut jam dudum multæ loco denuo nubens lytrum exſolvere debuerit propinqvis, qvibus ademerat ſpem hæreditatis & ſucceſſionis. Hanc multam in legibus ſalicis dici *Reipus*, ſive hodierno dialecto: Eine Reu-Buſſe. de qva tamen voce conjecturas etymologicas plures affert §. 7. p. 15. ſ. Alio vocabulo hanc multam dici obſervat: *Aitchalaſunos*, qvod *Eccardus* qvidem exponit per: et gilt dre ſolidos; Noſter vero per: Ein Ehe-Gelds-Söhnung. §. 8. p. 17. Idem in renubentes odium fuiſſe apud Bojos & Saxones §. 9, & apud Longobardos §. 10 exponit: ubi ſimul legem Aſtulphi Regis contra *Carivaritium* affert. Etymologiam

 qvi-

qvidem vocis nondum assecutus est, sed innuere tamen pro certo habet, tumultum plebis, qvo renubentes ipso nuptiali die clamore & tympanis infestabat. Qva in lege vocabula *Trutingis*, *Manduald* & præcipue vocem Longobardicarum Legum *Metam*, ad emtionem uxorum in secundis nuptiis designandam adhibitam; exponit. Idem nempe *metam* esse ac miethe; unde & Danorum *miton*, græcorum *μισθὸς*, *μισθέυω*, hebræorumqve *Mathan*. Similia docet de Gothis eorumqve pœna conjugiali *Marcheta*, de qva prolixe agit §. 12-16. Inqvirit deinceps in originem istius odii, & cohærentis cum eodem pœnæ, erga polygamiam successivam, cum hoc non obstante valde exosa fuerit majoribus nostris vita misogamica Hagenstolziorum, qvibus pariter pœnam olim statuerint? Hoc vero odium in secundas nuptias non esse neqve â Romanis, nec â græcis, nec ab ebræis, sed â Patribus demum seculi II. III. IV. & V. & ex conciliis & seculis recentioribus §. 22. Patribus accedere Doctores Juris Canonici. Hinc §. 26. p. 118 docet pœnam in secundas nuptias statutas fuisse saccum non sutum. Nam & hodie in Saxonia præcipue sacculum sine sutura cum moneta septem grossorum â vidua exhibendum esse magistratui, si ad

binuba

binuba vota transire velit. Consvetudinem hanc receptam esse docet apud Euleburgenses, Giebichensteinenses, Halenses & Kirscheidunenses. In his igitur ritibus originem communis assertionis detegit: den Bocks-Beutel in acht nehmen. Cum enim sacculus â fœminis renubentibus exhibendus debuerit omnino esse non sutus, commode illum viduæ contexuerunt ex vesiculis pecudum, boum & hircorum. Inde saccus suum statim accepit nomen & per Scomma ipso hoc nomine des Bocks-Beutels venit ipsa descripta consvetudo. Qva occasione in origines vocum Weich-bild/ Roland/ Rugen/ Wick/ Wät/ Wite &c. inqvirit, & generatim agit de insigni lingvæ Gothicæ usu. Ex his conjecturam primam conficit §. 31. qvod, cum sibilo exciperent honoratiores fœminæ hanc solennitatem, sine dubio ingenuum qvemqve & cordatiorem refractariis fœminis svasorem fuisse, ut saccum non sutum conficerent, & citra disputationem, avitis, qvavis exceptione majoribus starent observantiis, qvæ non reciperent philosophiam in contrarium. Hinc occasionem datam esse plebi, ut trituræ forensis & consvetudinis vulgaris, des Bocks-Beutels qvemqve admonuerint, qvi a recepto vitæ & con-

 svetu-

ſvetudinis genere, utut viliori & pretii nullius, novaturiens voluerit recedere. In illis vero locis & civitatibus, qvæ huic vanitati vel non ſteterunt, vel ipſi dicam ſcripſerunt & repudium, hanc conſvetudinem ſaccularem in ſecundis nuptiis re qvidem receptam non eſſe vel abrogatam, ſed nomine fuiſſe introductam, & ſuperſtitem manſiſſe in formula, den Bocks-Beutel beobachten / ut perpetim memoria & ratio habeatur introductæ alicujus conſvetudinis, utut furfuris nullius & fœmineæ originis. Conjecturæ huic ſubjungit alteram, qva Bocks-Beutel idem eſſe ſtatuitur qvod Hockus-Pockus Beutel / qvæ eſt derivatio programmatis alicujus Wittebergenſis. Tertiam addit conjecturam GEORGII ROTHII, qvi conſvetudinem in medium affert, qva ſolebant ſaccum ex cute bovis conficere, ut monetam molliorem reciperet atqve incorruptam ſervaret. Diſſerit hac occaſione de numis bracteatis in Megapoli uſurpatis, Wiencken-ogen / de etymo bracteatorum, origine, cauſis, fatis, de jure bracteatos cudendi, & de Principum Mecklenburgenſium in bracteatis emblematibus. (*) Addit qvartam conjecturam

(*) Conferri hic merentur ſpecimina monumentorum.

ctturam ex elegantisſimo Hamburgenſium PATRIOTA, penes qvos æqve ac Lubecenſes hæc formula des Bock's-Beutels vulgari uſu recepta eſt. Primam compoſiti hujus vocabuli vocem descendere â libro, dem Buche / qvo conſignatæ fuerint, forte in finem domeſticum & privatum commodum â ſingulis rerum cupidis foemellis, conſvetudines locales ſummatim inſtar catechismi. Hunc libellum cuſtodiviſſe matronas & viduas præcipue in crumena vel loculo, ut ubiqve locorum filios rudes & liberos impuberes & morum ignaros his credendorum formulis & muliebris catecheſeos argumentis, potuerint imbuere ab ineunte ætate, ut ita â libro & libri tegumento non â ſacco coreaceo diceretur Bocksbeutelismus. Inde ſcribendum Buchs-Beutel non Bock's-Beutel (Buch enim dicitur â bugen / cum veteri ævo libri vel ex foliis ex fagis & corticibus arborum, den Buch-Bäumen / den Rinden, vel ex foliis herbarum & papyro ægyptiaca, vel ex peculiari materiæ mole ſint com-

rum, inprimis VII. in qvo exhibet ectypa bracteatorum Mecklenburgenſium ſelectiora, qvorum copia reperta eſt A. 17[illegible] Gadebuſi, ut & Binos numos recentis ævi Mecklenburgici Duçales rariores & dubiæ explicationis, p. 132. ſq.

compacti, ut convasari & convolvi potuerint, instar mapparum.) Probabilem hanc opinationem fidem oculatam confirmare, cum ad altaria templorum sæpius affixa sint ornamenta, qvæ fœminas referunt, libro, qvem in sacco gestant, instructas. Putat tamen hanc conjecturam nudam esse & verbalem saltim. Nam si hujus generis libelli extitissent, pervenisset dubio procul exemplar & copia libelli ejusmodi ad ætatem nostram, sed cum vetustiori ævo fœminæ plerumqve fuerint analphabetæ, artisqve scribendi & legendi imperitæ; istis libris condendis non fuere pares. Præterea superflua videri poterit scriptura, cum experientia testetur: mulieres in recitandis qvisqviliarum observantiis non indigere libris. Horum vero vices multoties supplere & superare videas cerebello, vel si mavis, glandula pineali, qva uti solent instar Bibliothecæ, instar perpetui calendarii & dictionarii philosophici & lingvarum. In eo igitur omnes convenire ait §. 37: formulam istam sollicitam involvere rerum externarum in officiis qvibuscunqve observandarum, in actionibus & gestibus non negligentem & dissolutam sed exactam imitationem, ad laudem vulgi qvalitercunqve obtinendam, plane proficuam; atqve

atqve adeo insinuare tritam vivendi agendiqve consvetudinem per traducem & educationem â Majoribus per mulierculas, Nutrices, Anos ad posteros felicissime propagatam. Taxat præcipue superstitionem & credulitatem megapolitanam, cujus varia specimina in medium producit §. 39. p. 225. s. & hanc deniqve descriptionem ex mente vulgi addit p. 270. s. *Accipitur consvetudo ex Sacco & Libro pro schlendriano morali seu ethico muliebri, non literario sed civico atqve domestico, rationis solidioris plerumqve nescio, certe cum judicio & subactioris doctrinæ adjumento non instructo, bona tamen fide & simplicitate â plebecula, præcipue seqviori introducto & etiamnunc obvio, ubiqve in privatis actionibus, moribus, solennitatibus conviviorum, funerum, & universim in vitæ communis negotiis, aliqvando & in gestibus, verbis & formulis communi usu receptis, sed proletariis.* Hanc consvetudinem saccularem non esse obligatoriam, sed negligi ac abrogari posse, docet, & dolet amplum istud vulgarium consvetudinum Imperium in literatos & cives.

Hactenus de consvetudine sacculari, addit §. 44. p. 368 disqvisitionem *de origine formulæ librariæ*, des Wäsken-Bogs. Hanc igitur nomine qvidem sed non re differre ab

ab obſervantia ſacculari ſtatuit. Nam apud Bremenſes civitatenſem obſervantiam dici das Aas-Bog. Derivat hanc vocem â vocabulo gothico, das Aas. i. e. amore. Hinc *Asdingi*, qvo nomine tempore Aurelii Antonini & Conſtantini Vandali & Gothi veniebant, qvaſi dilectæ & deamatæ gentes. Gothi enim vernacula lingva dicti die Guten / Geliebten / ex qva etiam voce, aſtaroth & oſtern exponit. In Ducatu Mecklenburgico, Pomerania, Marchia & Brunsvicenſi Ducatu tritam eſſe dictionem des Wäſken-Bocks / qvam denotare putat librum conſvetudinarium ein Wäſ-Buch / Weſe- oder Weiſen-Buch. Alteram huic iterum conjecturam ſubjungit §. 47. p. 379 qva formula hæc derivatur â voce der Wäsken. Nam in Ducatu Mecklenburgico Nobiles & ignobiles matronæ mutuo nomine der Wäsken ſe compellant, cumqve in celebrandis feſtivitatibus & adornandis diei mandibilis alicujus ſolennitatibus receptum ſit, ut mulieres cognationis vinculo junctæ conveniant, & ſerio philoſophentur de apparatu, laute, opipare & pro more, hoc eſt, ſecundum artis muliebris regulas inſtituendo, & forte aliqvis inſtituta & placita mulierum revocaverit ad examen rigidum ſive ſibilum, ſatis fuerit

rit

rit dixisse iis, qvi pro avita consvetudine decertant: Et sy so na dem Wåsken-Bock. Addit conjecturis conjecturam novam §. 48. originem & significatum consvetudinis ex libro petitæ, esse â Beghinabus Rostochiensibus. Prolixus hîc est Cl. Autor non solum circa etymon vocis, sed & historiam Beghinarum ipsam, qvarum originem, autoritatem in Anglia, Gallia, Brabantia, enarrat, & de vinculo simul fraternitatis & sororio in ordine Kaland differit. De sede inprimis Beghinarum apud Rostochienses agit. Putat igitur, has fœmellas, qvæ morum & consvetudinum, tum apud decumbentes tum apud nubentes & demortuas observantissimæ fuerunt, primam forte dictioni huic originem dedisse, des Wåsken-Bockes h. e. der Beskens/Beggens vel Beginen-Buchs. Hac occasione vindicias inspergit famæ Rostochiensis adversus *Muretum* & famam civitatis æqve ac academiæ vindicat. Commendat in fine libri usum studii historici tam in Theologia, qvam in jure privato non minus ac publico, ut & in medicina, philosophia & universa re literaria, & insignem studii etymologici utilitatem in historia & jurisprudentia, cujus ipse in tractatione tam eleganter absoluta eximium dedit specimen.

Adji-

Adjicitur post absolutam hanc materiam *Specimen Documentorum ineditorum mecklenburgensium, hoc est, Recensus Diplomatum, Chartarum, Literarum & Numorum, qvibus Patria Historiarum Juriumqve aliqvot argumenta, Tractationis de consvetudine ex Libro sigillatim authentica ratione exponuntur, & novi instar luminis collustrantur, variis Historiæ, Juris sacri, civilis & publici, præcipue Mecklenburgici, observationibus.* Dabimus titulos horum Documentorum. Numerus I. complectitur *Diploma Ducis Megapolitani ALBERTI de subjectione Ecclesiastica & immunitate Dotalium Boitzenburgensium ab exactionibus, de anno* 1358. Numerus II. *Diploma BVREVVINI Dynastæ Rostochiensis de Juris Lubecensis apud Rostochienses Receptione & usu, cum Confirmatione & Privilegio Rostochiensium in sylva Civitatis Ducis HENRICI, de annis* 1218 & 1252. Numerus III *Documentum Mecklenburgicum de Anno* 1500, *de libertate & jure Dotalium in Klokovv, ex donatione Henrici Riebens.* Numerus IV *Diploma Bernhardi Domini de VVerle de dote Ecclesiæ VVarenensis & parochiali judicio in Sommerstorp & Schöneberg de anno* 1357. Numerus V. *Privilegia civitatis Graboviensis in Ducatu Mecklenburgico de anno* 1259 & 1293. Numerus VI *Privilegium Civitatis Sternbergensis de anno* 1309. In tribus his ultimis documen-

cumentis multa occurrunt, qvæ materiam de monetis & denariis slavicalibus von Wiencken-Ogen/ de marcis slavicalibus seu bracteatis egregie illustrant. Numerus VII comprehendit *ectypa bracteatorum Mecklenburgensium selectiora, quorum copia reperta est anno 1722 Gadebusi, ut & binorum numorum recentis ævi Mecklenburgicorum Ducalium rariorum & dubiæ explicationis.* Numerus VIII exhibet *Speciem facti perscriptam à J. S. P. & S. M. S. ad Augustum Varenium de æde Parochiali Puerperis fatali & exitiali propter incantationem de anno 1679. d. 9. Maji.* Numerus IX excerpta *ex Rescripto inhibitorio contra Sagas Ducis* CHRISTIANI LVDOVICI *de anno* 1688. *d.* 16. *Febr.* Numerus X *Fata & facta Puckii Agathodæmonis Monasterii Sverinensis absqve anno & die descripta, qvæ ex scriniis Monasterii eruit* D. SIMON PAVLI *Duci Joanni Alberto à sacris confessionis a.* 1559. Numerus XI. *Documentum de Consoritate & Fraternitate Kalendariorum ex privilegio & donatione Capellæ Gertrudis,* HENRICI *Ducis de a.* 1318. Numerus XII. *De eodem argumento documentum & privilegium capituli Sancti Blasii super proprietatem Capellæ S. Gertrudis.* Numerus XIII. *Observationem Lucæ Backmeisteri de Schola & Academia Rostochiensi.* Num: XIV. *Documentum Ducum Mecklenburgensium* JOANNIS *&* VLRICI *de Ecclesiastica*

Jurisdictione in Klötenou de a. 1404. ad illustrandas doctrinas de Judicio ad manum & collum, de Beda, Gallinis hæreditariis & dotalibus. Num. XV. *observationem ex Reimeri Coci Chronico Lubecensi MSC. de Immantatis, seu, uti recentiori ævo dicere svevimus, investitis â Daniæ Rege Marchionibus Brandenburgicis*, a. 1311. Num: XVI *qvantitatem Pensionis Orbedæ in Civitatibus ex JO. CHRIST. BESELINI MSC. de Provincialibus Variis Mecklenburgicis.* Num: XVII. *Jus Statutarium Vetustum Sverinense Originale Burevvinianum, qvod a. 1220. Dux plurimis Civitatibus, speciatim Gustrovio indulsit.* Num: XIIX. *Bedam civitatis Sultz.* Num: XIX. *Privilegium & investituram Civitatis Ribbenizensis, cum Jure Lubecensi & Civitatis Orbeda de a.* 1455. Numerus deniqve XX sistit *Literas Jurisdictionis Rostochiensis datas ab Alberto Duce a.* 1358, *ut & primum Instrumentum de Privilegio Juris cudendæ monetæ Rostochiensi civitati indulto a.* 1325 *ab HENRICO Duce, & confirmato ab ALBERTO a.* 1365. Claudit opus *Bibliotheca etymologica selecta.*

Qvilibet cui librum multis amœnitatibus & juridicis & literariis & etymologicis refertum legere volupe erit, videbit implevisse Consultiss: autorem, qvæ promi-

sit

sit in præfatione, non velle se circa cortices versari & in rebus tritis ac nudis lucernam consumere & in vocibus acqviescere, sed singularia plura Jurium, Historiarum, Morum, Antiqvitatum & Literarum momenta evolvere ac eruere ex Historia Germaniæ & Megapoleos, eaqve expendere ad cynosuram usus, vitæ & doctrinarum. Factum est feliciter.

VI.

Nova Literaria.

WISMARIÆ.

M. HERMANNUS SAMUEL REIMARUS Orationibus qvatuor *de Religionis & Probitatis in Republica commodis* ex Legato Peterseniano habitis d. 5 Sept. præmisit Programma, qvo *fabulam de apibus*, libello anglico idiomate vulgato & satis noto, expositam, examinat. pl. 1½.

ROSTOCHII.

D. JO. JOACH. WEIDENERUS

 Disser-

Dissertationis suæ *de Perfectismo Regenitorum* duas hactenus Sectiones publice dedit & ventilavit. *Sectio I.* sistens *Historiam quæstionis controversæ* pl: 7. *Sectio II statum controversiæ quæstionis controversæ* pl: 8 absolvitur.

M. JO. BENJAMIN DRAGHEIM Præses, *Theses Philosophicas* diversis vicibus â diversis Respondentibus publice defendendas edidit, facto d: 16. Octobr. initio. pl: 2.

Id. Respondente *Carolo Ludovico Tesch*, Regiom. Borusf. die XIIX Dec: disputationem philosophicam ventilavit, *de Ludis & Lottariis providentiæ divinæ subjacentibus.* constat pl: 3.

D. ERNESTUS JOACHIMUS WESTPHALIUS Respondente *Johanne Petro* Möller d: 28 Dec: publice dedit *Specimen Positionum Juris Romani dissonantis â Jure Germanico communi & Mecklenburgico*; sigillatim I.) *In consensu connubiali & Potestate matris.* II.) *In matrimonio coacto, emancipatione & dote.* III.) *In di sentiente patre præter causam.* IV.) *In conjugis hominum propriorum & ictione nobilium.* constat pl. 4.

D.

D. HERM. CHRISTOPHORUS ENGELKEN/ Respondente nepote ex Fratre *Christiano Henrico* Engelken/ publice ventilavit *Historiam Nicolai Crellii capite plexi variis aberrationibus liberatam*, anni præsentis die 29 Januarii, constat disputatio pl. 9. Clar. Respondens studio Juris se qvidem dedit, sed in hac æqve disputatione ac in alia deinceps edenda, *de studio Theologiæ JCto necessario* monstrabit, qvam felici connubio Theologiam cum Jurisprudentia conjunxerit.

d. XXIV Januarii placide obdormivit JOHANNES ZEIDLERUS S.S. Theol. Doctor & ad D. Petri ædem Pastor longe meritissimus & Ministerii Rostochiensis Director dignissimus; cujus memoriam vel ideo recolendam hoc loco ducimus, qvod avum agnoverit B. JOHANNEM ZEIDLERUM, Pastorem qvondam Ægidianum Lubecensem, virum Pietate & eruditione & meritis conspicuum. Patrem veneratus est JOH. ZEIDLERUM Philosophiæ Magistrum & in oppido Ducatus Mecklenburgici *Gnoja* (in qva noster anno 1668 circa festum Martini natus est) Ecclesiasten. Posuit hic Lubecæ, moderantibus *Hinckelmanno* & *Lippenio* egregia studiorum fundamenta,

ut poſt continuata Roſtochii & Wittebergæ, ubi per triennium hæſit, & Lipſiæ, ſtudia, Gryphiswaldiæ reponeret inprimis, qvæ in laudatis Academiis lucraverat, & Juventuti ſtudioſæ variis collegiis inſerviret. Anno 1691. poſtqvam denuo per aliqvot annos Roſtochii commoratus erat, Diaconus Eccleſiæ Petrinæ unanimi votorum conſenſu electus & deinceps anno 1702 ad Paſtoratum evectus eſt. Director vero Miniſterii Roſtochienſis conſtitutus eſt anno 1720 & Theologiæ Doctor a. 1722 in academia Gryphiswaldenſi ſolenniter creatus. Proſtant publica qvædam Eruditionis Zeidlerianæ monumenta. Wittebergæ enim Disputationem habuit philoſophicam *de Diſtingvi non diſtinctorum*, ſub præſidio M. THEODORI ab ESSEN: Theologicas vero duas B. DEUTSHMANNO Præſide; unam *de ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων*; alteram *de conſervatione creaturarum.* In Diſputatione inaugurali egit *de Lucta Regenitorum & Irregenitorum interna.* Gryphiswaldenſis qvidem Academia Profeſſionem Theologiæ ordinariam, Conſiſtorii Aſſesſoratum & Paſtoratum ad ædem Mariæ, Cœtus vero Eccleſiæ Germanicæ, qvæ Holmiæ Svecorum eſt, Paſtoratus officium ante qvatuor annos Beato obtulit, ſed non potuit

potuit à se impetrare, ut, aliàs ad nutum divini Numinis paratissimus á concredita sibi statione recederet. Recedere vero post munus fideliter exantlatum jussit summus rerum arbiter, qvi Zeidlerum anno currentis die 24 mensis primi ex eadem felici mutatione in cælestem transtulit.

STRALSUNDII.

Prodiit *Memoria Jubilæi Gamici* RATHKIANI. Nam cum GOTTFRIED RATHKENS mercator Stralsundensis celebris a. 1726. die 8. Augusti in memoriam nuptiarum, cum superstite adhuc fœmina MARGARETA nata *VVeidemannia*, diem festum, qvem Jubilæum gamicum appellare solent, ageret, Pastor Marianus CAROL. JOACH. SIBETH benedictionem veteranis his denuo apprecatus est. Sermonem hac occasione habitum publici juris fecit sub titulo. Das auffgerichtete Ebenetzer. Accedunt vota amicorum, liberorum & Nepotum, (qvorum illi qvatuor, horum vero octo in vivis sunt,) ligata oratione expressa. pl: 8.

GRYPHISWALDIÆ.

D. CHRISTIANUS NETTELBLADT

disputationes Juridicas in Academiis Svecicis ventilatas, & Fasciculis qvibusdam comprehendendas, edendi consilium cepit. Singulis Fasciculis Dissertationem ad illustrandum Jus Svecicum qvam ipse elaboravit, præmittet. In Fronte primi Fasciculi disseret *de Bylaginibus Lubecensium seu Concordia Juris Lubecensis cum Jure Svecano.*

GEDANI.

D. SAMUEL FRIDERICUS WILLENBERG Respondente Andrea *Johanne Schvveder Cœslin. Pomer.* disputationem Juridicam habuit *de Injuria mortuis* illata. ad diem V. Octobr. constat pl. 5.

Id. disputavit *de Insufficientia paternæ educationis ad vitam civilem*, Respondente *Friederich* Gottlieb Fraislich/*Gedan.* ad diem VIII Octob. Disputatio constat pl. 4.

REGIOMONTI.

JO. GODOFREDUS ARNOLDT Regiom. Prussus, pro Doctoris Gradu & summis in medicina honoribus capessendis Dissertationem medicam inauguralem habuit

buit *de vi viscerum in fluida*, d. XXX Jul. constat pl. 4½.

D. CHRISTIANUS LUDOVICUS CHARISIUS Respondente *Godofredo Thiesen* Regiom. Prusso, dissertationem medicam publice ventilavit *de medicatione sub sirio instituenda*, d. V. Julii. const. pl. 2½.

M. FRIDERICUS von SCHÆVEN Præses disputatione publica perqvisivit יצירת פעל שלים i. e. *Formationem verbi perfecti.* Respondentis vices sustinuit *Carolus Henricus Friese* Langheimensis Prussus. constat pl. 3½.

Publici Juris facta prostant scripta, memoriæ & honori posita Viri non sine laude nominandi B. JOHANNIS STEINII, J.U. Doctoris & Professoris Primarii, Augusto Borussiæ REGI in supremo per Prussiæ Regnum Tribunali â Consiliis, ac Ecclesiastici Senatus Sambiensis Præsidis atqve officialis. Natus erat *Rostochii* a. 1661. d. 14. Novembris, Patre *VValthero Stein* mercatore florentissimo, matre *Anna Hinckelmannia.* Hæsit sub initium studiorum, Theologiæ an Jurisprudentiæ se daret, sed posterius elegit concordiæ ac tranqvillitatis amori deditus, qvod

minoribus controverſiarum periculis, qvalia tunc Academiam Roſtochienſem affligere vidit, obnoxium putabat. Addixit ſe præ aliis celeberrimis Juris Doctoribus *Siebrando* & *Radavio*. Poſt hæc in vicinam Academiam Gryphiswaldenſem tranſiit, ut inſtitutione *Gerdeſii* & *Mascovii* frueretur. Mors Patris Noſtrum domum redire juſſit, ubi in Academia Patria tribus vicibus Præſide *Siebrando* publice disputavit. Regium deinceps Montem anno 1685 petiit, Fautoresqve ibi nactus eſt viros illuſtres ERNESTUM FINCK a FINCKENSTEIN S. *cubiculi Electoralis ac terrarum Gilgenburgenſium Præfectum ſupremum*, nec non PHILIPPUM de CHIEZA Chiliarcham & Generalem rerum bellicarum curatorem, qvi Filios nobiles ei regendos formandosqve dabant. Anno 1689 Candidatus Juris Præſide THEODORO PAULI disputavit pro impetranda in utroqve Jure legendi facultate, *de bonis Naufragorum Fisci & privatorum adqviſitionem effugientibus*. Anno ſeqventi pro Gradu Doctoris disputavit *de conſonantia Juris Civilis & Naturalis in effectibus Dominii*. Munus deniqve Profeſſoris inchoavit Disputatione *de Interpretatione Legis III. C. de Edicto Div. Hadriani tollendo*. Qvinqvennio pôſt Ordinarii Profeſſoris Tertii ſpartam nactus & disputatione

ne *de Testium pugna* auspicatus est. Anno 1712 non solum Senatus Ecclesiastici Sambiensis sed & prope simul supremi Tribunalis Assessor renuntiatus est, & tandem mortuo CHRISTOPHORO ARNDIO de ROEDER, ipse Præses Senatus Ecclesiastici atqve Officialis Regia clementia constitutus & IV nonarum Octobris a. 1625. muneri tanto præfectus est. Jurisprudentiam universam & viva voce aliis proposuit & scriptis variis illustravit. Inter reliqva memoranda veniunt seqventia. Duæ dissertationes *de Peste*; Octo, *theses ê prælectionibus Feudalibus comprehendentes*; novem *ad Institutiones*; qvindecim *de Feudis*; sedecim *ad Lauterbachium*. Qvæ cum ceteris numerum sexagenarium superant. Maximis his officiis autem & studiis intentus, sensit & attritas & fractas deniqve vires, sed non fractus est ad sensum appropinqvantis mortis animus. Nam placidè inter preces & suspiria suorum exspiravit XII Calend. Novembr. Natus annos LXIII, menses XI. dies VII. Fusius hæc exponuntur Programmate publice excuso. pl: 4. fol.

M. MICHAEL LILIENTHAL concionem funebrem habuit ad *Matth.* XXV, 21. ex qvo Matthæi loco proposuit:

Einen

Einen treuen Herrn und einen treuen Knecht. pl. 8. fol.

Id. Orationem funebrem seqventi titulo prelo datam evulgavit: Einen in der That Wohl-Ehrwürdigen / Gros-Achtbahren und Wohl-Gelahrten Land-Prediger. In der werthen Person (Tit:) Herrn GOTTFRIED WILAMOVII, In die 39 Jahr gewesenen treufleißigen Pfarrers in Cumehnen auch ansehnlichen Senioris des Fisch-Häusischen Sprengels / bey deßen A. 1726. d: 26. Febr. erfolgten Absterben entworffen von M. Michael Lilienthal Diener des Göttlichen Worts an der Altenstadt-Königsberg und Mittglied der Königl. Preußisch. Societæt der Wissenschafften. *Joh. Christoph. Kochius* Schediasmate *de Pastoribus Paganis* Lips. A. 1719 in 8vo edito *in Præfat.* Cavillatoribus cujuscunqve ordinis hæ plagulæ oppositæ sunto, qvi sibi soli sapientes, turpissimo præjudicio, omnem eruditionem é pagis relegant, & hominem rudem & agrestem descripturi, Paganum Pastorem nominant; idqve non sine contemtu Ministerii ab ipso Christo instituti. pl. 2. Fol.

MICHAEL APPELBAUM Adjunctus in Bischoffswerda, cum cœtui inter rudera con-

concremati Templi prima vice congregato ſacra faceret, concionem habuit Dominica Judica ex *Jeſaiæ* LXIV. v. 11. qvæ deinceps typis exſcripta titulum gerit: Das mit Feuer verbrannte GOttes Haus. pl: 5. in 4.

M. CHRISTIANUS FLOTTWELL Diaconus Templi Cathedralis, defunctæ Puerperæ, *Abrahami Egeler* Mercatoris florentisſimi uxoris *Annæ Eliſabethæ* memoriam pro concione recoluit d: 22 Maj. & ex *Joh.* XII. 27. exhibuit: Einer Gottſeeligen Ehe-Frauen wohlbereitetes Wochen-Bett. Sunt pl. 7. fol.

Id. multorum deſideriis ſatisfacturus habitum d: 17 Maji Sermonem ſacrum ex *Pſalmo* LXVIII. v: 20. 21. poſt ſuperatum difficilem morbum, publico dedit ſub titulo: Das GOtt dem HErren bezahlte Gelübde der Danckbarkeit für wieder erlangte Geſundheit. pl. 4. in 4to.

Id. d: 13 Junii pie defunctæ *Annæ Mariæ*, *Henrici Bartſchii* Regiſtratoris uxoris & *Matthæi Bolii* filiæ piam memoriam renovavit, factis ad *Apoc.* XIV. 4. verbis, qvorum titulus & ſumma eſt: Eine dem Lamm nachfolgende Jungfrau. pl: 3. Fol:

JOH.

JOH. ARND El. & Hist: Pr. extr. eadem occasione proposuit: Die Helffte der Tage, als die allerkläglichste Sterbenszeit einer Jungfrauen. Fol. pl. 2.

M. WILHELM. HENR. BECKHER concionem Dominica Lætare ex Epistola ordinaria *Gal.* IV. 21-31 habitam sub titulo edidit: Die beyden Söhne Abrahams als Vorbilder der beyden Testamente GOttes. pl. 4. in 4to.

M. JOHANN. HENRICUS KREUSCHNERUS V. D. M. ad templum Kneiphofianum, viduæ nonagenariæ B. M. *Jacobi Bohlii* desiderio satisfacturus, ex *Psalm.* XXV. 15-18 sermonem funebrem habuit & proposuit: Frommer Alten täglichen Umgang und vertrauten Wandel mit GOtt. const: pl. 10. Fol.

D. DAVID VOGEL, SS. Theol. Profess. edidit *Rivium illustratum, seu commentationem brevem ac succinctam in* JO. RIVII ATTHENDORIENSIS *viri quondam Doctissimi ac Celeberrimi Libellum epistolicum ad* FABIANUM VICTOREM *de officio Ministrorum Ecclesiæ in Pagis.* pl: 14½. in 4to.

VINDÆ.

M. ADOLPHUS GROTIUS Pastor

Disqvi-

Disqvisitionem edidit *de Fundamento doctrinæ fidei. In cujus Sectione prima Fundamentum hoc, secundum omnes causas, & affectiones ex Sac. Scriptura, methodice describitur; in sectione secunda vero controversiæ circa arduam hanc materiam occurrentes, absqve partium studio, perspicue excutiuntur, in Veritatis & Pacis subsidium. Lipsiæ.* A. 1725. *Alph:* I. 4to.

KILONII.

Amisimus, neqve nos solum sed universa Cimbria amisit splendidissimum decus, & sexus sui & omnis eruditionis pereximium sidus, Perillustris, Generosissimi atqve Excellentissimi Domini CAJ BROCKTORFF Domini in Tesdorff & reliqva amantissimam tori sociam, generosissimam Dominam ANNAM CATHARINAM ex perillustri AHLEFELDIORUM prosopia oriundam, & anni currentis die Jan: 4. defunctam. Excelluit non iis solum corporis & mentis doctibus, qvæ tantæ genti sunt propria, sed ad istud literarum fastigium progressa qvoqve est, ad qvod pauci pertingunt, qvorum una e literis salus & nomen est. Imo multos qvi omnem in studiis vitam consumunt longo post se intervallo reliqvit. Musicam callebat egregie, & ad miraculum usqve voce

æqve

æqve ac instrumentis (inprimis eo qvod *Angeliqve* dicitur) utebatur. Lingvarum qvæ hodie in usu sunt plurimarum erat callentissima, & gallicæ adeo, ut in eadem carmina eximia pangeret. In Poesi vero vernacula omnes veneres omnemqve dictionis puritatem cum maximis nostræ ætatis Poetis observabat. Historiam sacram & profanam omnem perlustraverat, addideratqve tot scientiis notitiam antiqvitatum, Judaicarum inprimis, Josephumqve eum in finem aliqvoties perlegerat. Imo adeo rarissimo exemplo non latinæ solum & græcæ lingvæ notitia imbuta fuit, sed Hebræam qvoqve, Chaldaicam & Syriacam perdidicerat, ut par adeo esset evolvendo & intelligendo codici sacro. Qvin & manu docta versabat & Targumim & scripta Rabbinorum, Abarbanelis, Abenesræ, Kimchi, scripsitqve adeo epistolas lingva hebræa & commercium literarum ebraice scriptarum habuit. Composuit lingva nobis vernacula integram vitæ Servatoris historiam, neqve dies festus abiit, qvin carmen aliqvod memoriæ ipsius daret. Imo integrum psalmorum Davidicorum librum carmine vernaculo plane eximio expressit. Carmina non solum cum eximia bibliotheca tristes tanti Exempli reliqviæ supersunt, sed & qvæ facta nobis spes, luci forte

forte publicæ exponentur. Certe Vitam Beatissimæ, dignissimam qvæ ab oblivione vindicetur, orbi erudito expositum iri relatum nobis est.

FRIDERICUS KOSIUS, Mathematum Professor publicus ordinarius d: XXII. Martii præsentis anni, secundum Fridericianam constitutionem publice disputavit de Mathesi prudenter tractanda, Respondente *Christiano Kortholto*, Kiloniensi. constat disputatio pl. 5.

Academia nostra deplorat obitum oratoris sui eloqventissimi JOANNIS BURCHARDI MAJI, qvi nuper fatis cessit. Natus erat pridie nonas Februar. MDCLII in urbe Badensi Pfortzhemio, patre JOANNE GEORGIO MAJO, oratore inibi sacro & matre MARGARETA DOROTHEA UZINIA, qvi Nostrum annos natum duodenos cum fratre minore natu JO. HENRICO MAJO, Gissenæ posteaAcademiæ & summo civitatis Dei ornamento, ad ludum Durlacensem miserunt. Cum deinceps in florentissimo ejusdem civitatis Gymnasio Duces JOANNEM FECHTIUM, JOANNEM GERARDUM ARNOLDI & FLECKHAMERUM

 secu-

ſecutus eſſet a. 1672 Wittebergam petiit; ubi primum STOLBERGII dein ZIEGLERI hoſpitio exceptus, reliqvos qvidem Doctores freqventer audivit, ſed inprimis â SCHURTZFLEISCHIO hæſit, ut iis ſtudiis qvibus uterqve delectabatur imbueretur penitus, qvamobrem toto ſexennio Wittebergæ commoratus eſt. Francofurtum deinceps adiit, ibidemqve librariis non contemnendam operam præſtitit, renovando libros bene multos & interpolando, edidit etiam *Litteraria Francofurtenſia* & deinceps Giſſam ſe contulit ab illuſtri inprimis KULPISIO allectus. Hinc â FRIDERICO MAGNO Marchione Durlacenſi ad docendum in Gymnaſio in qvo olim didicerat vocatus, & hanc & præfecti bibliothecæ ſpartam egregie ornavit. Poſt varios demum caſus inter belli turbas exantlatos factum eſt, ut Profeſſor eloqventiæ & hiſtoriarum academiæ noſtræ vocaretur, cujus muneris auſpicium fecit ſolemni oratione *de conſcribenda hiſtoria univerſa*, Dignus hic magni Polyhiſtoris MORHOFII ſucceſſor adeo & hiſtorici & oratoris partes implevit, ut difficile dictu ſit qva in parte eminuerit. *Satis id teſtantur* (utimur verbis celeb: SEB. KORTHOLTI, qvi publico programmate exeqvias indixit) *me-*

moriæ

moriæ & posteris consecratæ lucubrationes. In iis deprehendas commentationes de conversionibus imperii Romani ab Augusto usqve ad Constantinum Magnum, & de augustissimæ domus Austriacæ fatis. Auctiorem etiam edidit Jo. Henrici Bœcleri librum de rebus seculi XVI & Morhofii libellum de ratione conscribendarum Epistolarum. Præterea cœpit emittere Förstnerianas epistolas selectiores, cum præfatione, notulis & argumentis. In ejus scriniis delitescunt orationes habitæ, qvum fasces academicos capesseret, de ineptis hujus seculi studiis, eorumqve causis & remediis. Prelum qvoqve subire parata est commentatio in Taciti libellum de moribus Germanorum, præmissa uberiori scriptorum rerum germanicarum historia, & alia præparatio in historiam universam. Tacemus, eum Tob. Pfanneri librum de præcipuis Germaniæ Principum gentibus, observationibus suis illustrasse & tradidisse Historiam a N. C. ad nostra usqve tempora perductam. Omittimus etiam é sanctiori historia eum explicasse stilum Patrum scriptorumqve ecclesiasticorum, qvo genuinos à spuriis discernere discerent Auditores. Nam stilum nostrum ad se attrahit commentatio de Pontificis Romani electione, Cæsarumqve circa eam jure. Qvod qvidem opus multo eruditissimum cum orbe docto propediem communicabit magnificus Procancellarius MVHLIVS nostras, Theologus in Academia & Ecclesia Holsatica primarius.

marius. Corpus Nostro contigerat solidum & longa continentia roboratum, ut valde senex pristinum servaret vigorem. Qvamvis etiam Regius & Celsissimus Princeps, Dominus & Nutritor Academiæ CAROLUS FRIDERICUS, meritis & senio MAJI nostri commotus, sub exitum vitæ â publico docendi munere cessare, eum non jusserit sed siverit, & otium indulserit annuo stipendio relicto; Ille tamen magna animi contentione marcescentibus sensim viribus functiones solitas obiit, donec post morbum aliqvot dierum (nam septimo ante obitum die in auditorio publico publice legit,) non tam morbo qvam ætate consumtus VIII. Id. Novembr. A. MDCCXXVII placidissime exspiraret.

d. VII. Decembr. ex lege beneficii Schassiani publicam orationem habuit JOANNES FRIDERICUS LICHTIUS, Slesevicensis, *de Poetica cum Theologia conjungenda*: cui Programmate ejusdem fere argumenti prælusit SEBASTIANUS KORTHOLTUS. pl. 1. fol.

d. XXV. Januar. JOANNES CHRISTIANUS BRUHNIUS Slesevicen-

ſevicenſis ex lege beneficii Schachtiani publice verba fecit *de Jure civili ad Jus Naturæ exigendo*, qvod publico programmate Idem SEBASTIANUS KORTHOLTUS in tabula expoſito annunciavit.

Incidebat in diem Februarii ſeptimum auſpicatisſimus natalis vigeſimus cæſareæ celſitudinis ſerenisſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ ANNÆ PETROWNÆ Principis Cæſareæ Rusſicæ, Hæredis Norvagiæ, Ducis Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, ac reliqva. Principis ac Dominæ Noſtræ Clementisſimæ. Feſtum hunc diem inter vota publica præmiſſo programmate Kortholtiano celebravit ſolemni & eleganti oratione JO. FRIDERICUS HARPPRECHTUS AB HARPPRECHTSTEIN.

UTINI.

Excuſus eſt *Ploenæ* catalogus bibliothecæ B. M. DAVIDIS EVERSBACHII R. & S. Episcopo Lubecenſi â conſiliis qvondam Eccleſiaſticis & concionibus aulicis, atqve Episcopatus Lubecenſis Superintendentis. Libri, inter qvos plures ſunt, qvi emendatam per B. Lutherum Religionem

 ejusqve

ejusqve Hiſtoriam concernunt Hamburgi diſtrahentur anni currentis d: 16. April. ſq.

RACEBURGI.

L. GOTTFRIED KOHLREIFF ſermonem funebrem die 9. Octob. anni nuper elapſi habitum ad *Jeſ.* XL. 6. 7. 8. edidit, cui titulus: Die Dauerhafftigkeit der Pflantzen des Garten GOTTes / daß ſie nicht wie Heu verdorren. pl. 2½. in 4to.

JOH. FRIEDERICUS HINCKE aulæ & civitatis Grabovienſis Eccleſiaſtes, publici hic juris fecit ſcriptum ſub titulo Grabowiſche Feuer- und Brand-Predigt. pl. 12. Fol.

LUBECÆ.

D. GEORG. HENR. GOETZIUS, Superintendens, occaſione catecheticarum concionum nuper edidit: Anweiſung wie man den Willen GOttes dienen könne. Additur die Schlus-Predigt über die fünff Bücher Moſis / am erſten Advent-Sonntage den 1. Dec. 1726 gehalten. pl. 3. in 8vo.

Id.

Id. edidit qvoqve Abris eines Gottseeligen Schusters. pl. 4. in 8vo.

Cum multo adhinc tempore nil qvicqvam lingva veteri Saxonica, qvæ nostris oris est vernacula, hic editum sit: nuper specimen qvoddam, ad priscum scribendi morem efformatum, in lucem prodiit. Exhibet illud summam doctrinæ Christianæ, in gratiam simpliciorum solida brevitate expositam, Auctoremqve agnoscit Max. Ven. Dn. Seniorem JAC. A MELLE, qvi titulum libello fecit: Gelovens Bekentnisse eynes Christen. Lubeke / gedrückt by Joh. Nicolaus Thun / 1727. 12o 2. pl.

Sub prelo sudat collectio Epistolarum ineditarum, quæ hoc prodibit titulo: *Philocalia Epistolica, sive Centum Epistolæ, varia notatu digna, inprimis ad sanctiorem doctrinam atqve historiam ecclesiasticam spectantia, continentes. E MSStis edidit, Notis illustravit, & Præfatione, in qua de similibus nonnullis Epistolarum Collectionibus disseritur, nec non Indicibus, auxit* IO. HENR. *a* SEELEN, *SS. Theol. Lic. & Gymn. Lubec. Rect.*

I. C. DIPPELIVM, cujus mentionem Vol. III. p. 528. fecimus, superiori jam anno

no custodia liberatum, ex Insula Boringholmia in Sveciam transiisse & Holmiæ curandis ægris operam navare, accepimus.

Prodiit ante aliqvod tempus Hamburgi Schwedische Bibliothec, worinnen verschiedene/ so wohl zur alten als neuern Schwedischen/ Civil- Kirchen- und Gelehrten-Historia gehörige/ theils gedruckte und rare/ theils ungedruckte Schrifften/ Uhrkunden/ Diplomata, Anmerckungen/ &c. Als auch alle Disciplinen und Facultæten betreffende alte und neue Erfindungen/ Erläuterungen/ Verbeßerungen u. d. g. Samt den Novis Literariis Sveciæ, mit beygefügten Anmerckungen und Beurtheilungen/ zum Beweis der blühenden Gelehrsamkeit in Schweden dargeleget worden. Erstes Stuck. 1726. 4to. pl. 17½.



BIBLIOTHECA LVBECENSIS.


Vol. VI.



LVBECAE

SVMTV VIDVAE B. JO. CHRIST. SCHMIDII

TYPIS KOOPIANIS, A. MDCCXXVII.



Contenta.

I. Mar-

NARRATIO (*)

de

LANIENA PARISIENSI,

ex MSto.

MIratur procul dubio Strenuitas tua, Strenue & amplissime Domine N. quod tanto temporis interuallo nullas nostras literas acceperit. Culpa vero eius intermissionis in nobis non est, sed

 in

(*) Narrationem hanc antiqva manu scriptam, multaque memoratu digna complectentem, perbenevole nobiscum communicavit Vir Generis non minus ac doctrinæ Splendore illustris, DN. HERMANNUS HENRICUS à DORNE, cujus jam dum favorem Bibliotheca nostra est experta. Cum vero nec Auctoris, nec illius, ad qvem scripta est, nomen ullibi appareat: haud immerito locum relinqvimus conjecturæ memorati viri Generosi, qvi ad HENRICUM RANTZOVIUM, celeberrimum qvondam Ducatuum Slesvici, Holsatiæ, ac Ditmarsiæ Pro-Regem, Summumque literatorum Mæcenatem, directam esse existimat. Neque enim difficulter illud colligitur ex nomine BREDA, sive BREDO, vel BREIDO, qvæ appellatio pervetustæ Ranzoviorum genti à plurimis annis ferè propria fuit, cujusque nominis filium Henricus Ranzovius circa id tempus habuit, de quo in *Genealogia Ranzoviana* 1585. 4. edita p. 7 a. hæc referuntur: *BREIDO, Regius Danicus Senator regni & Præfectus a* ...

in temporis huius exulceratissimi calamitate, quæ nos quoque non parum afflixit. Nam primum propter Belgicos tumultus via consueta literas nostras transmittere non potuimus, quam etiam causam esse arbitramur, quod nullas Strenuitatis tuæ literas acceperimus ab eo usque tempore, quo patriam nostram nuperrimè reliquimus: deinde exorta illa ex insperato in Gallia Tyrannis crudelissima omne institutum nostrum inuertit, ut potius nobis de fuga, quam de dandis literis cogitandum fuerit, cui & il-lud

insula Langelandi, loqvitur Latinè, Gallicè & Danice expedite, agens annum 29. Huic *Bredoni* ejusq; fratri *Francisco*, DETHLEVUS SILVIUS, Hollatus, librum Patris H. Ranzovii *de Conservanda Valetudine, in privatum liberorum suorum usum ab ipso conscriptum*, & Francof 1574. 12 Antverpiæ 1580. 8. aliasque sæpius excusum, obtulit; cui forsan tribuenda esset hæc narratio, si ex dedicatione ann. 1573. adeoque altero post lanienam Parisiensem anno scripta, eundem studiis atque itineribus fratrum Ranzoviorum præfuisse, ullo indicio constaret. Cl. JOH. MOLLERUS in *Isagog. ad Histor. Chersen. Cimbricæ*, Part. I cap. XIV. §. VIII p. 223. sq. meminit M. MART. CORONÆI, Senioris, Holsati, eumque Filiorum Henrici Rantzovii tunc (1565) Pædagogum, postmodum autem ecclesiæ Kiloniensis ad annum usque emortualem 1586. Antistitem vocat, atque à dictione nitida & gravi mirum in modum commendat; qvem si qvis auctorem præsentis scripti dixerit, haud multum à vero, uti nobis qvidem videtur, aberraverit.

Illud accessit, quod sub idem tempus, quo *hæc laniena sæuissima in Galliis inchoata est*, BREDA in morbum incidit, ex quo diuini numinis fauore iam plane conualuit. Erat febris, uti ego existimo, contagiosa & pestilens. Nam primus ea correptus est patricius Lubecensis, qui ad tempus nobiscum habitabat, *HINRICUS BROEMSE* (*) affinis (uti credo) Consulis *Hieronymi Luneburgk*; deinde Breda Str. uestræ filius, postea famulus noster Bartholomæus, postremò ego

(*) Virtutem ac merita prosapiæ BROEMSIANÆ, antiqua nobilitate conspicuæ, & Senatoria pariter ac Consulari dignitate effulgentis, jam longo abhinc tempore Respublica nostra est admirata, nec vel in hunc usque diem colere atque suspicere desinit. Ortum ex eadem traxit, qui hic memoratur, HINRICUS, in ordine VII patre itidem HINRICO, Senatore, ann. 1563. d. 18. Octobr. mortuo, matre vero MAGDALENA, JOHANNIS à LUNEBURG, Senatoris, filia, genitus, de quo frater ejus DIDERICUS, Consul, ann. 1600. d. 18. Aug. vita functus, in manuscripta rerum domesticarum Consignatione hæc annotavit: Myn Broder Hinrik is gebahren Ao. 1541 im Octobr. Ao 58 word he na Danske by einem Radsman gesandt / mit Nahmen Hr. Mats Timmerman. Ao 61. word he in Polen na Warsow up de Sprake gesandt Ao. 72 toch he na Andorpen / so fen n in Franckrick na Pariß und Angirs: starff up de Herreise to Pariß den 5 Sept. ligt begraven in S Nicolaus Kercken (au Schardonneret) woby ehn stehnern Epitaphium in der Muren gesaßt.

quoque, ita ut quatuor ſimul in duobus contiguis cubiculis eodem tempore decumberemus. HINRICVS BROEMSE & famulus noſter cum in alteram & tertiam ſeptimanam grauisſime ægrotaſſent, & remedia omnia illis fruſtra a peritisſimis medicis adhiberentur, unus poſt alterum e uita diſceſſerunt, quibus Deus Opt: M. uitam æternam clementer largiatur. BREDA uero & ego cum per nonnullos dies uehementisſimè eodem morbo eſſemus conflictati, divina fauente clementia paulatim ualetudinem priſtinam recuperauimus, & quamuis imbecilles adhuc Pariſiis diſceſſerimus, tamen in uia planè ſanitati reſtituti ſumus. Ita duplici malo ſumus eodem tempore circumuenti, & quod ægri grauisſime decubuimus, & quod in maximo metu fuimus, imo in ſummo uitæ periculo, p̄opter inauditam crudelitatem, quæ in Chriſtianos Pariſiis e ercebatu . Et fuit morbus noſter in cauſa, quod tardius Lutetia aufugerimus, cum iam ferè Germani omnes ante nos diſcesſiſſent. Nam abeuntibus nobis uix qvadraginta Pariſiis remanſerunt, cum antea ultra quingentos ibi fuiſſent, & qui manſerunt, partim argenti penuria & morbis impediti ſunt, partim fuerunt religioni papiſticæ addicti.

Diſcesſi-

Discessimus itaque Parisiis decimo septimo die Septembris. & adiuuante Deo Argentinam secundo die Octobris peruenimus. Fecimus iter per Briam, Campaniam & Lotharingiam, cumque literas salui conductus a rege haberemus, ubique in ciuitates & pagos recepti tutique diuertimus, tametsi propter uecturæ difficultatem multum molestiæ sustinuerimus. Profecti sunt una nobiscum *Rodolphus a Dingklagen*, GERHARDUS RANTZOUIUS (*) cum sociis suis, & alii quidam nobiles Vestphali, ita ut uiginti quatuor numero simul iuerimus. In quanto autem uitæ discrimine Parisiis uersati simus, facile Stt. tua intelligit. Certè quoad Parisiis fuimus, contigit nobis multa uidere digna memoratu, cum toto eo tempore Rex aulam suam Parisiis habuerit, sed ea cum maximo uitæ nostræ periculo uidimus. Possunt omnes illi affirmare, qui eodem tempore Lutetiæ fuerunt, uix posse alicui maiorem honorem haberi, quam Rex iisdem Lutetiæ exhibuit, quos postea per inauditam perfidiam

(*) Innuitur forsan *PAULI* filius, *JOHANNIS* nepos, ex linea *Caji* genus ducens, qvi anno 1580. a Nobili quodam Holsatiæ gladio interemtus est. De illo qvippe in *Genealogia Ranzoviana* p. 6. b. refertur, quod in Italia & Gallia literis operam navarit.

diam crudelisſimè trucidauit. Sed cum ſciam me rem non ingratam St. tuæ facere, prolixius quædam huius tragicomœdiæ acta referam.

Non ignorat Str. tua, qua ratione Rex pacem cum aduerſariis ſuis (quos Hugonotas uocant) fecerit, & uti illis omnia, quæ deſiderarunt, permiſerit. Vt itaque ſecuriores ipſos redderet, ubique locorum in regno ſuo edicta (ut uocant) pacificationis propoſuit, & exules omnes, ut ad ſua redirent, liberalisſimè inuitauit. Hac ſpe freti, quotquot Galliam propter religionem reliquerant, reuerſi ſunt, & aperte doctrinam euangelii ſunt profeſſi, ita ut multis locis Eccleſias ſuas conſtituerint, congregationes & conciones publicas habuerint in ſumma ſecuritate, cum quidem Rex non ſolum id permitteret, ſed eos quoque defenderet, ne qvid iniuriæ inferretur. Equidem Pariſiis omnes libri Lutheri, Philippi, Caluini, Bezæ aliorumque Theologorum publice extabant uenales & ſine omni periculo emebantur uendebanturque. Admiralius eiusque collegæ apud Regem in ſumma erant autoritate & gratia, ita ut nihil fere magnum Rex ageret ſine ipſius conſilio & conſenſu. Vidimus ſæpe Regi prandenti Admiralium & Comitem de Rochefoucault aſtare, eumque cum nullo ferè niſi

cum

cum illis loqui, eosque ſubinde parentes ſuos appellare. Itaque permiſit & tribuit illis omnia, adeo quoque, ut paſſus ſit, Admiralium copias auxiliares Lodouico Naſſouienſi contra Albanum ſubmittere. Fœdus præterea cum regina Angliæ fecit, & quidem publice, ubi ego eum, cum fortè in chorum cum aliis penetraſſem, leuatis digitis in uerba fœderis ante altare ſummum iurantem uidi. Hæc omnia. & imprimis quod nuptias inter regem Nauarræum & ſororem ſuam contraxerat, efficiebant, ut ſimul & papiſtæ & Hugonotæ exiſtimarent, eum plus Hugonotis quam papiſtis fauere. Neque ego tamen facilè credere poſſum perfidioſiſſimam iſtam machinationem ab aſtutia Regis eſſe profectam, ut hæc omnia prudens ſciensque ſimulauerit diſſimulaueritque, ad fallendos illos, quos maximè oderat. Nam habitu geſtuque corporis hominem refert excordem & ſtolidum. Deinde adminiſtrationem regni aliis permittit, ipſe ſemper rebus ludicris occupatus, uacat uoluptatibus, ita ut ſæpe res indigniſſimas Rege gerat, quarum nos exempla quædam uidimus, & plura audiuimus. Quod autem tantum aduerſariis ſuis reconciliatis tribuerit indulſeritque, ex metu eum feciſſe arbitror, qui ſtultitiæ ſolet eſſe coniunctus plerumque.

Sed ueri huius Tragoediæ autores fuerunt, regina mater cum fratre regis Andegauense, (nam is uultu quoque & astutiam & tyrannidem refert) & Guisiani. Quod ut facilius credam, facit, quod nobilis quidam Austriacus mihi retulit, qui in aula regis uersatur, eo die ac nocte, quibus principes factionis Hugenotarum sunt trucidati Parisiis, reginam matrem in secreto aliquo arcis regiæ conclaui fuisse solam, neque homini cuiquam licuisse ad eam accedere, præterquam sex aut septem præfectis, peculiariter ad hoc ab ipsa destinatis, qui subinde unus post alterum ad illam uenerunt, quibusque ipsa mandata dedit, iam hanc iam illam domum inuadendi, & capita factionis interficiendi. Cæterum rex postea, cum iam res in actum esset ab artificibus deducenda, facile consensit, ut qui propter summam stultitiam non consideraret quæ inde secutura essent, & propter metum eiusmodi aduersariis liberari maxime cuperet. Nam hoc persuaserunt ipsi, eos regno suo insidiari.

Vt itaque telam suam, quam aliquot annis ante (ut suspiraci licet) exorsi iam diu texebant, tandem ad finem perducerent, in regia urbe parisiensi nuptias inter Nauarræum regisque sororem celebrare instituunt, & omnes eius factionis principes

ad

ad eas quam amantissime inuitant. Venit rex Nauarræus cum principe Condæo, comitatus quadringentis aut quingentis circiter equis Parisios, octauo die Iulii. Eum ante portam fratres regii cum uniuersa aula quam amicissime obuiam profecti exceperunt, deductumque in arcem regiam ipse rex cum Gynæceo salutauit. Ab eo itaque die usque ad decimum octauum Augusti, quo nuptiæ inter Nauarræum & sororem regis perfectæ sunt, rex illis omnem, quem potuit maximum, honorem habuit, quotidie vel pila trigonali, vel inflata, cum ipsis lusit, aut in uenationes deduxit, singulisque diebus post cœnam in aula arcis choræas duxit in multam semper noctem. Medio autem tempore, ad omnes illos, qui erant capita factionis, literæ datæ sunt, ne quis in tanta nuptiarum festiuitate abesset. Quod ut commodius fieret, princeps Condæus cum Ducis Niuernensis filia, octo diebus ante, quam soror regis Nauarræo iungeretur, nuptias celebrauit in arce uicina Lutetiæ, quo omnes eiusdem factionis principes accesserunt, & inde Lutetiam sese ad nuptias regis contulerunt. Neque tamen ad Condæi nuptias rex aut quisquam fratrum ipsius venit, propterea quod ex præscripto religionis (ut uocant) reformatæ omnino sint institutæ

celebratæque. Habitabat Admiralius in suburbio, ita ut Sequanam fluvium trajicere cogeretur, quoties ad arcem regiam accederet. Rogauit igitur eum rex, quoniam sine ipso esse non posset, & plurimis in rebus consilio ipsius uti cogeretur, quo facilius eum semper ad manum haberet, in urbem accederet, se daturum ei domum vicinam arci, unde quam breuissime ad se adire posset. Credidit regi Admiralius, & priore domo relicta in alteram propinquam arci se contulit, quæ res postea ipsi & aliis facilius exitium peperit.

His ita ex sententia constitutis, cum iam omnes Hugonotarum primores ex uniuerso regno Lutetiam confluxissent, rexque simul omnes corporis sui custodes (quos Gallice *Archers* appellant) ex prouinciis euocatos in eandem urbem quasi præsidium solennitati nuptiali, contraxisset, nuptiæ decimo octauo die Augusti cum maxima festiuitate institutæ sunt. Præcedente die sponsalia in conclaui secretiore arcis post cœnam perfecta sunt, solo rege cum fratribus & Admiralio, paucisque aliis præsente, inde choreæ ductæ. Postridie rex cum Nauarræo aliisque principibus & uniuersa aula, in equis quam splendidissime ornati ad summum templum accesserunt, itemque regina mater & uxor regis,

regis, cum ſponſa & uniuerſo gynæceo, in arceris magna pompa aduectæ ſunt. Erat ad ianuam maximam templi erectum tabulatum, adornatumque elegantiſſime; in id aſcenderunt, ibique ſine omnibus Ceremoniis & ſolennitate papiſtica, in conſpectu uniuerſi populi, a Cardinale Borbonio more conſueto ſponſa regi Nauarræ publico matrimonio iuncta eſt. Inde diſceſſum eſt in palatium, qui locus ampliſſimus ornatiſſimusque eſt, & deſtinatus parlamento, quod tunc in Monaſterium Auguſtinianorum erat translatum. Hoc loco, uti regibus conueniebat, perquam magnifice & in ſumma omnis generis hominum lætitia, primum conuiuium peractum eſt, rexque cum reliquis principibus, gynæceo & uniuerſa aula ſua, eam noctem ibi tranſegit. Altero die omnes in arcem regiam, quæ appellatur *le Louvre*, ſe contulerunt, ibique omnis generis feſtiuitas cum ſummo ſplendore & hilaritate exhibitat eſt.

Durauit hoc nuptiale gaudium in ſextum ſaltem diem, cum ex inopinato maximi luctus, & inſperatæ mutationis initium eſt inſecutum. Pranſi erant duo reges cum uniuerſa aula in domo fratris regii Andegauenſis, quæ eſt uicina arci regiæ, eoqve & Admiralius acceſſerat. Is cum

poſt

post prandium(*) in arcem regis se recipere vellet, non procul ab arce ex vicina domo per fenestram bombarda vulneratur. Ibat legens epistolam quandam qvam receperat eodem

(*) Accidit hoc die Veneris XXII. Augusti, cum Colinius post varia in regio consistorio agitata negotia domum se reciperet prandendi causa. vid. JAC. AVG THVANVS Hist. Lib. LII. Tom. VIII. p. 108. edit. Lutet. 1609. 8vo min. Conf. qvoqve personatus EVSEBIVS PHILADELPHVS, *Cosmopolitanus*, qvem VINCENT. PLACCIVS in *Theatr. Pseudon.* N. 2097. p. 497. *Bernaudum* qvendam *Delphinatem* esse autumat, in libro gallico, qvem inscripsit: *Le Reveille matin des François, & de leurs Voisins, composé par Eusebe Philadelphe Cosmopolite, en forme de Dialogves, à Edimbourg, de l'imprimerie de Jaqves James, avec permission,* 1574. 8vo. Dial. I. p. 48 sq. Extat & editio latina hujus libri, eodem loco & anno curata, cujus nuper recensionem dedit celeberr. JOANN. CHRISTOPH. COLERVS, *Anthologia* Tom. I. Fascic. IV. p. 293. sq. patetqve tum ex admonitione typographi, editioni gallicæ præmissa, tum ex dedicatione ad Polonos directa, utroqve idiomate librum esse evulgatum, gallico qvidem cum dedicatione ad Reginam Angliæ, latino autem cum dedicatione ad Proceres populumqve Poloniæ, qvæ & gallicè versa in editione gallica legitur. Alia qvoqve ad manus est editio latina, hunc titulum præferens: *Dialogus, qvo multa exponuntur, qvæ Lutheranis & Hugonotis Gallis acciderunt. Nonnulla item scitu digna & salutaria consilia adjecta sunt. Oragniæ excudebat Adamus de* Monte

eodem temporis puncto, cumqve vtramqve manum protendisset, globus ex sinistra manu (*) digitum medium illi rapuit, & per brachium dextrum transiit. Hoc facto omnes, qui Admiralio aderant consternati

Monte 1573. 8vo. Primus hic tantum Dialogus *Philadelphi* sistitur, & præfatio subscripta est Basileæ die 7. mensis qvinti, ab infausto & funesto die proditionis. Omissa vero sunt nonnulla, inprimis ea, qvæ Cl. COLERVS l. c. p. 316. sq excerpsit, qvæ tamen in editione gallica p. 44. sq leguntur. Cæterum qvam grati acceptiqve isti similesqve alii libelli, ab Hugonotis profecti, fuerint Gallis Pontificiis, testatur affatim judicium, qvod de iisdem tulit ARNALDVS SORBIN DE SAINCTE FOY, Concionator Regius, dans son *Histoire de la Vie, Mœurs & Vertus du Roy Charles IX.* Parisiis 1574. 8vo. edita, dum p. 15. b. de Hugonotis inqvit: *Ils commencerent à dresser des libelles fameux contre leur Roy, & la Royne sa mere, par lesqvels ils faisoient paroistre clairement la fin de leurs projects n'estre autre, qve d'acheminer tous ceux, qv'ils pourroient practiqver, à rebellion, menaçans la vie de leur Roy. Tesmoins en sont les livres de l'Alithie, Francogallia, & des fureurs Gauloises, qvi sentent plus leur Tamberlan, Mahomet, ou autres leurs semblables qve leurs veritable François, & moins leur Chrestien.*

(*) JAC. AVG. THVANVS paulo aliter: *Duabus glandibus ictus est, qvarum una dextra indicem incidit, alteram brachium sinistrum violentiore vulnere incubuit.* l. c. p. 108. Eodem modo rem narrat PHILADELPHVS, nisi qvod tribus globulis hoc tactum esse asserat, Dial. I. p. 51. edit. lat. & p. 48. edit. Gall.

ti ſunt, eumqve in hoſpitium ſuum deduxerunt. Ludebat rex pila trigonali cum Navarræo, cum hic nuncius illi venit. Ibi ſe vehementer ira incenſum ſimulans, reticulum, qvod manu tenebat, magno impetu in parietem proiecit, ſtatimqve ſe in arcem deſerto luſu recepit, cuſtodesqve corporis ſui Helvetios miſit, ut domum eam occuparent, ex qva facinus erat perperpetratum. Dicebatur autor per poſticam elapſus Seqvanam traieciſſe, & ita evaſiſſe. Feneſtram enim, ex qva bombardam diſploderat, appenſis linteis ita occultarat, ut ex fumo cognoſci non poſſet, unde ictus eſſet perlatus. Itaqve rex ex omnibus portis Civitatis eqvites veredarios emiſit, qvi eum inſeqverentur: ſed ut poſtea cognitum eſt, qui illud facinus deſignavit, ſatelles fuit (*) regii fratris Andegavenſis,

(*) Perpetravit hoc facinus qvidem *Morevellius* (*François de Louviers de Maurevel*, in familia Gviſianorum è puero educatus, qvi domum Petri Pilæ Villemurii, ſacerdotis & Canonici Pariſienſis, Gviſii ipſius qvondam Præceptoris, ad id delegerat, præter qvam Colinius Lupara domum rediens tranſire receſſe habebat. THVAN. l. c. p. 107. ſq. Conf. qvæ de Morevellio hoc, qvem *Maurevelium* appellat, habet WOLFGANGVS PRIBACHIVS, Cracovienſis, in *Reſponſione ad Orationem habitam nuper in Concilio Helvetiorum*, pro de-

ſis, neque pedem urbe extulit. Equites vero illi veredarii per regem emiſſi nihil minus égerunt, qvam ut eiusmodi aliquem inſeqverentur, ſed hinc inde in itinere conſtiterunt, ut ſi quis Pariſiis elaberetur poſtea, eqvos veredarios non inveniret, itemqve ad vicinas Civitates regis mandatum detulerunt, ut ad exemplum Civitatis Pariſienſis ipſæ qvoqve una & eadem nocte omnes Hugenotas interficerent: qvod poſtea qvoqve factum eſt. Lutetiæ vero rex ſe vehementer indignari ſimulabat, & ad Admiralium in hoſpitium accedebat, oſtendebatqve ei, qvicqvid accidiſſet ipſi, ſibi vehementer dolere, ſeqve homines ſuos eqvis diſpoſitis emiſiſſe, qvi ſceleratum illum hominem ex fuga retraherent, & ſperare ſe ab ipſis illum reductum iri, ſeqve eum crudeliſſimo ſupplico affecturum. Regina qvoqve mater ipſa, & fratres regis ad ipſum acceſſerunt, magnum præ ſe ferentes dolorem & triſtitiam, utqve fortiter ferret caſum ſuum hortati ſunt, regem non permiſſurum impunitum hoc tantum facinus. Rex vero etiam eo die cœnare voluit, ut ſummam indignationem hominibus probaret.

Præ-

defenſione cædium & latrocinciorum, qvæ in Gallia commiſſa ſunt, Rupellæ 1573. 8vo. min. edita p. 43. ſq.

Præterea principes factionis Hugenotarum ad se vocatos hortatus est, qvoniam Admiralius ex vulnere graviter decumberet, eamque ob causam a populo tumultus aliquis forte commoveri posset, qvo tutior esset, ipsi in hospitia circumqvaqve vicina ædibus Admiralii diverterent, ut in tali casu subitum illi auxilium præstare possent. Qvibus verbis regis illi fidem habuerunt & ita qvasi in caveam prope arcem conclusi sunt, cum pleriqve eorum non satis urbi fidentes in suburbiis antea habitarent. Solus Dominus de Montgomory regi credere noluit, qvi postea qvoqve elapsus est.

Altero die, qvi erat sabbathi, medicorum chirurgorumqve peritissimorum opera, effectum est, vt certissima spes esset, Admiralium ex eo vulnere moriturum non esse. Nam tametsi globus, quo erat læsus, veneno fuerat infectus, tamen ipsi medicamentis suis iam hoc præstiterant, ne illi nocere posset, saltemqve digitum unum ex eo vulnere fuisset amissurus. Nocte verò media, qvæ insecuta est, præcessitqve vigesimum qvartum diem Augusti, circa horam duodecimam omnes regii præfecti ad tantum facinus perpetrandum delecti cum satellitibus & custodibus corporis regii Scotis Helvetiisqve in arcem convenerunt, missiqve sunt Helvetii, qvi

qvi Admiralium cum suis interficerent. Eos duxit Gvisius, iacensqve in lecto Admiralius globo traiectus est, & alabarda in pectore confossus, & adhuc spirans per fenestram in plateam proiectus est. Rumor fuit Parisiis, ipsum Guisium (*) manibus suis ipsum pila traiecisse, sed certo non constat.

(*) Percussorem Colinii THVANVS l. c. p. 128. sq. vocat *Bemium* qvendam Germanum, in Gvisii familia à puero educatum, qvi eidem, cum lecto egressus esset, penes fores conclavis stanti, gladium in pectus, ac postea in os transverso ictu adegit. *Benuesium* illum appellat ERNESTVS VARAMVNDVS, sive EREMVNDVS, Frisius, in *Vera & simplici narratione de furoribus Gallicis, horrenda & indigna Amiralli Castillionei, Nobilium atqve illustrium Virorum cæde*, p. 55. sq. edit. Edimburg. 1573. 8vo. min. & p. 36. sq. edit. Lugdb. 1619. 8. maj. ubi illa narratio adpendicis loco ejusdem *Originis & Historiæ Belgicorum Tumultuum* subjicitur; nec non W. PRISBACHIVS in *Respons.* cit. p. 57. At EVSEB. PHILADELPHVS pariter *Bemium* nominat p. 60. edit. lat. & p. 56. edit. Gallicæ *un nommé le Besme, Alleman, Serviteur domestiqve du Duc de Gvyse*; nec aliter nomen ejus exprimit Regina MARGARETA, cædis hujus executorem fuisse *Besme, Gentilhomme Allemand*, indicans dans ses *Memoires*, Liv. I. p. 72. edit. à la Haye, 1715. 8vo. Qvod vero in nostra narratione dicitur, Colinium globo qvoqve trajectum esse, convenit cum iis, qvæ ERN. VARAMVNDVS p. 56. edit. Edimb. refert, Attinium scilicet Piccardum, Aumalii clientem & familiarem, ictu bombardulæ Admiralii gladio, jam vulnerati pectus transfixisse.

In arce regia omnes aulici & familiares ministriqve Navarræi in aream inferiorem, qvasi armenta seminudi ex somnis coacti, per satellites hastis & alabardis excepti confossiqve sunt, in conspectu regis & principis sui, adeo qvoqve, ut miseris illis principibus ne puer qvidem ullus relictus sit. Relatum est mihi a nobili illo Austriaco, cuius supra memini, ipsos pueros culinarios raptis ex culina verubus multos ipsorum transfixisse. Ipse Navarræus & Condæus in conclavi regio per aliqvot dies qvasi captivi detenti sunt. Missi deinde sunt hinc inde per Civitatem satellites, qvi omnes principes ejus factionis interficerent, & qvoqvot Navarræum & Condæum comitati sunt. Duo saltem, Dominus de Montgomory, is qvi Hinricum regem in certamine eqvestri interfecit, & Vidame de Chartres, ut appellant, elapsi sunt, qvanqvam Gvisius in alterum usqve diem celeribus eqvis insecutus sit.

Dum hæc per noctem in arce agerentur, in palatio campana signum tumultus repentini dabatur, ut omnes cives in armis essent. Andegavensis dux, regis frater, cum Gvisio vigilibusqve civitatis, qvi armati in eqvis urbem noctu solent pervagari, huc illuc per plateas eqvitabat, clamans Gallice, *Tuez, tuez les Hugvenots, c'est le commandement*

man-

mandement du Roy; hoc eſt: *Trucidate, trucidate Hugenotas, hoc eſt mandatum regis.* Ita cives repente inſurgentes in domos Hugenotarum, qvos noverant, eruperunt, & multos ſemiſomnes oppreſſerunt & bona univerſa diripuerunt. Interfectos veſtibus usqve ad nudam cutem exutos coacervatim in Seqvanam fluvium præcipitarunt, adeo ut pontes qvi ſunt Lutetiæ, cruore fluxerint oppleti, non aliter ac ſi ſangvine pluiſſet. Sed nullis verbis ſatis exprimi poteſt, qvanta rabie & immanitate in miſeros homines ſævitum ſit, cum ingentibus plurimisqve vulneribus confoſſi, & ad pellem usqve denudati, facie ad terram obverſa pedibus in fluvium traherentur. Neqve foeminis virginibusqve & pueris parcitum eſt, ſed eorum qvoqve multi interfecti aut in fluvium demerſi ſunt. Conſtat ex arce regia multas fœminas virginesqve ſplendidiſſime ſerico & holoſerico auroqve indutas, ad fluvium iam vulneribus confoſſas eſſe deductas, ibiqve veſtibus exutas, & in aqvam proiectas, qvæ proculdubio ſummo genere natæ fuerunt. Multi qvoqve doctiſſimi uiri ſunt interfecti, inter qvos Petrus Ramus (*) uir literatiſſi-

P 2

(*) Immiſſos illi eſſe ſicarios à Jacobo Carpentario, æmulo, cum qvo magnæ ipſi Controverſiæ de doctri-

tissimus. Cum ad eum præfectus qvidam cum satellitibus accessisset, rogavit eum, ut

doctrina Aristotelis fuerant, docet THVANVS l. c. p. 142. sq. Auctor libri, qvi inscribitur: *Le Toesain contre les massacreurs & auteurs des confusions en France*, à Reims 1577. 8vo. de ejusdem interitu hæc habet: *On n'espargna les hommes doctes non plus qve le vulgaire, ains s'attacha on à eux à l'imitation des Turcs & autres barbares ennemis des lettres. Car Pierre de la Ramée, Professeur du Roy en eloqvence, homme docte, & renommè par toute l'Europe, aiant r'achepté sa vie de grande somme de deniers, fut tué en son College de Presle, son corps jetté au milieu des rues, & trainé par les fanges jusqves en la riviere, luy qvi pour sa diligence, dexterité, & jugement avoit faconné aux bonnes lettres un million de bons esprits, & estoit en ornement à toute la France*; p 80. b. Vitam illius præter alios descripsit ann. 1576. THEOPHILVS BANOSIVS, Philippo Sidnejo Proregis Hiberniæ filio dicatam, atqve commentariis Rami de Religione Christiana Francof. 1577. itemqve 1583. 8vo. præmissam, in qva indignam, qvam obiit mortem, ita enarrat: *In illa carnificina plebs audacia furens Praleum oppugnat, & fores effringit, latebrasqve perscrutatur: tandemqve P. Ramum diu qvæsitum Sicariorum coryphaus unus offendit, eiqve veniam frustra deprecanti vulnus in brachio infligit; & plurimis aliis ictibus postea confoditur. Ramus interim animam DEo commendans orare in hac verba auditus est! Tibi soli peccavi, ô Jehova, & malum coram te feci, judicia tua veritas & justitia. Miserere mei & interfectoribus ignosce nescientibus qvid fa-*

ut sibi vitam conservaret, se mille coronatos daturum ipsi, & confestim in manum illi adnumeravit. Is vero accepta pecunia satelliti proximo innuit, qvi alabardam ipsi in pectus adegit. Ita etiamnum semianimem per fenestram proiecerunt, qvem cadentem læto clamore pueri in plateis exceperunt, vestibusqve nudatum virgis ceciderunt, in fluvium protrahentes; alii vero caligas ipsius per urbem circum tulerunt clamantes: *Voilà les chausses de Ramus*; h. e. *Eccas, eccas, caligas Rami.*

Sed omnem insatiabilis sui odii furorem in Admiralium effuderunt. Nam cum in plateam (ut dixi) præcipitatnm pluri-

faciant. E fenestra spiritum trahens præcipitatur in aream pedibusqve fune devinctis per urbis sordes devolvitur, & capite à Chirurgo qvodam truncato cadaver in Seqvanam fluvium misere projicitur. - - Mortuus est itaqve P. Ramus vigesima sexta Augusti, anno Domini 1572. ætatis vero circiter 57. Post ejus obitum direpta est à Sicariis bonorum omnium, præsertim librorum supellex exqvisitissima: perierunt etiam multa Rami egregia doctrinæ monumenta, ut Commentaria in libros Aristotelis de Rep. Liber de Comitiis Romanorum, & pleraqve alia, Ethica, Physica, Optica, Geometrica, Musica, Astrologica, qvæ certis qvibusdam de causis in lucem edere noluerat. lit. y. z. b. sq. Conf. qvoqve M. CHRIST. FRIDERICI LENZ *Historia Petri Rami*, Dissertatione Academica Wittebergæ 1713. exposita, §. XVIII, p. 31. sq.

mis vulneribus confoderunt, caput amputarunt, abſciderunt nares aureſqve, effoderunt oculos, barbaqve evulſa mentum ipſi diffiderunt, brachium qvoqve utrumqve medium diſſecuerunt, & truncum, qva potuerunt, contumelia affecerunt (*). Nam qvidam inſertum baculo per civitatem circumtulit, alta voce clamans: Cedite, date locum, Admiralius venit. Qvin ipſi pueri viſi ſunt in plateis cum capite ipſius quaſi cum globo ludere, qvod tamen poſtea ita mutilatum a rege ad Albanum dicitur transmiſſum. (**) Digiti omnes manibus ſunt abſciſſi, qvos pueri (eos Galli *laqvais* appellant) in pileis geſtarunt, & Germanus qvidam familiaris noſter unum ex his cum obviam haberet, pro digito illi obtulit coronatum, ſed

(*) Singulare eſt, qvod de Duce Nivernio memoratur, qvi cum corpus trucidati Admiralii Nobilibus qvibusdam Anglis, è rabie populi ereptis, monſtraſſet, funebre qvaſi elogium deinde addidit. Ita enim de eodem Auctor libri: *Le Tocſain contre les maſſacreurs*, p. 82. b. *Qvand donc le Duc de Nevers eut fait deux ou trois tours à cheval à l'entour du corps, dit ces mots: Sic tranſit gloria mundi.*

(**) Caput Admiralii amputatum Romam usqve perlatum eſt. THVAN. l. c. p. 130. ERN. VARAMVNDVS refert, Italum qvendam è Gonzagæ ſatellitio illud abſcidiſſe, & medicaminibus conditum ad Papam & Cardinalem Lotharingum miſiſſe; *de furor. Gall.* p. 58. edit. Edimb. & p. 27. edit. LugdB.

ſed is recipere noluit, ſibi digitum multo chariorem eſſe dicens, ut eum in ludibrium Hugonotarum geſtaret. Verenda qvoqve illi (qvod ſaluo honore dictum velim) abſciſſa, & in perticam ſublata, per urbem circumgeſtarunt, acclamantes, ea Admiralii eſſe. Exanime vero cadaver omni contumelia affectum, tandem ipſimet cives Pariſienſes in publico (uti vocant) patibulo pedibus ſuſpenderunt, eratqve intrinſecus foeno, ſtramine, & particulis ligni oppletum cui inſcripſerunt: *Ici à bonne bierre de Rouan*, hoc eſt: *Hic venditur bona cerevisia de Rothomago.* Nos cum Pariſiis diſcederemus, & prope hunc locum præterveheremur, eſſetqve patibulum fortè fortuna reſeratum, ingreſſi ſumus, & non ſolum vidimus truncum ita pendentem, ſed manibus qvoqve noſtris tetigimus, & particulas ligni cadaveri extraximus; Vidimus qvoqve igni admotum & uſtulatum, qvod indicabant puſtulæ hinc illinc per totum cadauer ſparſæ, & caro rubens adepsqve affatim diffluens, ita ut nihil hoc ſpectaculo miſerabilius fere dici poſſit.

Eodem tempore, qvo hæc Pariſiis acta ſunt, in aliis qvoqve provinciis & Civitatibus Galliæ eadem crudelitate Hugenotæ trucidati ſunt. Scripſit Franciſcus

Hotomannus, celeberrimus Iuris consultus, qui Biturigibus Genevam elapsus est, ad qvinqvaginta millia hominum interfecta esse. Parisiis certe in tribus diebus septem millia hominum occisa esse constat.(*) In his multi qvoqve papistæ sunt interfecti. Nam si

(*) De numero occisorum non una est omnium sententia. THVANVS l. c. p. 170. proditum esse à multis scribit, plus triginta hominum millia toto regno in his tumultibus varia peste extincta esse; qvem eundem numerum qvoqve tradit WOLFGANGVS PRISBACHVS, Responsionem suam cit. ita exorsus: *Superiore proximo mense Augusto circiter triginta hominum millia in Regno Galliæ paucorum dierum spatio trucidata sunt: non in prælio, sed in summa qviete & otio: non armati & pugnantes, sed partim nudi atqve in lectulis dormientes, partim supplices ac misericordiam trucidantium implorantes: non unum in locum coacti, sed sui qvisqve in civitatibus ac domiciliis constituti: non per judicium & legitimam qvæstionem, sed rabie qvadam atqve impetu bacchantis furentisqve populi;* p. 3. EVSEBIVS PHILADELPHVS solo die Dominico XXIV. Aug. Lutetiæ atqve in suburbiis amplius decem millia procerum, nobilium, præsidum, Senatorum, advocatorum, studiosorum, medicorum, procuratorum, mercatorum, opificum, mulierum, puellarum, puerorum, & ministrorum cæsa; per totam autem Galliam hac tempestate amplius centies mille Hugonotas trucidatos esse asserit Dial. I. p. 64. & 78. edit. Gall. ZACHARIAS FVRNESTERVS, qvem gallum in Germania profugum nominat THVANVS lib. LIII, p. 199. alii

ſi quis cum altero inimicitias gerebat, vel alicvi debebat, eum Hugonotam eſſe cla-

alii HVGONEM DONELLVM, ICtum, eſſe putant, ap. PLACC. *Theatr. Pſeudon.* No. 1132. p. 296. ſq. in *Defenſione adverſus Joannis Monlucii, Epiſcopi Valentini, calumnias, pro juſto & innocente tot millium animarum Sangvine in Gallia effuſo*, qvæ una cum dicti Monlucii *Epiſtola ad Ordines Poloniæ, & Defenſione pro illuſtriſſimo Andium Duce* Luſiniani Pictonum 1574. 8vo min. edita eſt, in iſta immanitate pene plus qvam qvadraginta hominum millia toto regno cecidiſſe, Pariſiis autem eam paſſim ſtragem editam eſſe teſtatur, ut numerus occiſorum fidem ſuperet; p. 40. Ex qvibus facile eſt intellectu, qvanta crudelitate, qvanto furore laniena iſta fuerit peracta, ut eo magis mirum ſit, inveniſſe illam patronos, qvi eandem vel defendere vel excuſare ſuſtinuerint, qvales fuerunt MONLVCIVS, PIBRACIVS, BELLEVREVS, CARPENTERIVS, aliiqve, de qvibus vid. THVAN. Lib. LIII. p. 197. ſq. Anonymus qvidam, qvi libellum evulgavit *de la Religion Catholiqve & foy Chreſtienne des Roys de France*, à Paris 1572. 8vo haud veritus eſt contendere, ſancta qvadam inſpiratione hoc conſilium Regi veniſſe, DEumqve ſolum ceu Auctorem omnis boni, victoriam ipſi contra hoſtes eccleſiæ ac regni largitum eſſe; additqve idem: *Illa en un jour ij gagné pluſieurs batailles, & plus fait qve cinq ou ſix batailles n'avoient peu faire, & rendu à l'Egliſe de la France ſon premier honneur, un grand repos à ſes ſubjectz Catholiqves, & la liberte de vivre ſeurement en leur religion, & à la Chreſtienté un bon temoignage de la ſyncere & ſainte affection envers Dieu & ſon Egliſe*; lit. H.

Hotomannus, celeberrimus Iuris consultus, qui Biturigibus Genevam elapsus est, ad qvinqvaginta millia hominum interfecta esse. Parisiis certe in tribus diebus septem millia hominum occisa esse constat.(*) In his multi qvoqve papistæ sunt interfecti. Nam si

(*) De numero occisorum non una est omnium sententia. THVANVS l. c. p. 170. proditum esse à multis scribit, plus triginta hominum millia toto regno in his tumultibus varia peste extincta esse; qvem eundem numerum qvoqve tradit WOLFGANGVS PRISBACHVS, *Responsionem* suam cit. ita exorsus: *Superiore proximo mense Augusto circiter triginta hominum millia in Regno Galliæ paucorum dierum spatio trucidata sunt: non in prælio, sed in summa qviete & otio: non armati & pugnantes, sed partim nudi atqve in lectulis dormientes, partim supplices ac misericordiam trucidantium implorantes: non unum in locum coacti, sed suis qviqve in civitatibus ac domiciliis constituti: non per judicium & legitimam qvæstionem, sed rabie qvadam atqve impetu bacchantis furentisqve populi:* p. 3. EVSEBIVS PHILADELPHVS solo die Dominico XXIV Aug. Lutetiæ atqve in suburbiis amplius decem millia procerum, nobilium, præsidum, Senatorum, advocatorum, studiosorum, medicorum, procuratorum, mercatorum, opificum, mulierum, puellarum, puerorum, & ministrorum cæsa; per totam autem Galliam hac tempestate amplius centies mille Hugonotas trucidatos esse asserit Dial. I. p. 64. & 78. edit. Gall. ZACHARIAS FVRNESTERVS, qvem gallum in Germania profugum nominat THVANVS lib. LIII. p. 199. alii

ſi quis cum altero inimicitias gerebat, vel alicvi debebat, eum Hugonotam eſſe cla-

alii HVGONEM DONELLVM, ICtum, eſſe putant, ap. PLACC. *Theatr. Pſeudon.* No. 1132. p. 296. ſq. in *Defenſione adverſus Joannis Monlucii, Epiſcopi Valentini, calumnias, pro juſto & innocente tot millium animarum Sangvine in Gallia effuſo*, qvæ una cum dicti Monlucii *Epiſtola ad Ordines Poloniæ, & Defenſione pro illuſtriſſimo Andium Duce* Luſiniani Pictonum 1574. 8vo min. edita eſt, in iſta immanitate pene plus qvam qvadraginta hominum millia toto regno cecidiſſe, Pariſiis autem eam paſsim ſtragem editam eſſe teſtatur, ut numerus occiſorum fidem ſuperet; p. 40. Ex qvibus facile eſt intellectu, qvanta crudelitate, qvanto furore laniena iſta fuerit peracta, ut eo magis mirum ſit, inveniſſe illam patronos, qvi eandem vel defendere vel excuſare ſuſtinuerint, qvales fuerunt MONLVCIVS, PIBRACIVS, BELLEVREVS, CARPENTERIVS, aliiqve, de qvibus vid. THVAN. Lib. LIII. p. 197. ſq. Anonymus qvidam, qvi libellum evulgavit *de la Religion Catholiqve & foy Chreſtienne des Roys de France*, à Paris 1572. 8vo haud veritus eſt contendere, ſancta qvadam inſpiratione hoc conſilium Regi veniſſe, DEumqve ſolum ceu Auctorem omnis boni, victoriam ipſi contra hoſtes eccleſiæ ac regni largitum eſſe; additqve idem: *Illa en un jourÿ gagné pluſieurs batailles, & plus fait qve cinq ou ſix batailles n'avoient peu faire, & rendu à l'Egliſe de la France ſon premieur honneur, un grand repos à ſes ſubjectz Catholiqves, & la liberte de vivre ſeurement en leur religion, & à la Chreſtienté un bon temoignage de la ſyncere & ſainte affection envers Dieu & ſon Egliſe*; lit.

mabat, & pro tali is interficiebatur Multi qvoqve elegantius vestiti, propter vestes duntaxat sunt occisi. Nam ut qvisqve alteri obviam veniebat, si puer saltem clamaret, eum esse Hugonotam, ita statim interficiebatur. Duravit hæc laniena Parisiis per continuos sex dies, illisqve elapsis rex qvenqvam occidere edicto vetuit, sed, qvi essent suspecti, in carcerem trahi iussit. Itaqve multi qvotidie in carcerem detrusi, & postea noctu necati, & in Seqvanam proiecti sunt, idqve adhuc Parisiis agebatur, cum nos discederemus.

Fu-

H. 1. sq. Romæ certe GREGORIVS XIII. Papa accepto cladis nuntio haud vulgaris lætitiæ signa dedit, nec solum historiam rei gestæ tribus tabulis majoribus depictam in palatio suo tropæi instar suspendi jussit, verum etiam numos cudi fecit, altera qvidem parte effigiem suam, altera autem angelum exterminatorem stricto gladio in hostes ruentem, exhibentes, cum lemmate: VGONOTTORVM STRAGES. 1572. vid. M. MISSON *Voyage d'Italie*, Tom. II. p. 157. sq. GABRIEL inprimis NAVDÆVS multus est in laudando ac defendendo isto facinore, nec affirmare dubitat, factum hoc justissimum & notatu dignissimum fuisse, cujus causa justissima vocanda; in *Arcanis Status* Cap. III. §. 13. p 351. sq. edit. lat. Hal. 1712. 8vo cui doctam elegantemqve opposuit Dissertationem JOH. CYPRIANVS *de statu & motibus Galliæ in lanienam Parisinam desinentibus*, Lips. 1674. rationesqve ejus Cap. II. §. 30. sq. refellit.

Fuimus certe in maximo vitæ diſcrimine, (*) cum tanta licentia & impunitas gladiorum eſſet, neqve qvæſtio haberetur, qvaliscunqve etiam eſſet occiſus. Nam poſt alterum diem demum rex edictum propoſuit, ne qva extraneis iniuria inferretur, & tamen ſi qvis eſſet occiſus, nemo propterea in iudicium trahebatur. Ter venerunt armati in domum hoſpitii noſtri, qvæſiveruntqve ex hoſpite, qvales haberet convictores in ædibus ſuis: qvibus ille reſpondit, eſſe Germanos Catholicæ religioni addictos. Et præcipue profuit nobis ſacerdos qvidam commenſalis noſter, qvi atteſtatus eſt ſe converſari qvotidie nobiſcum, & ſcire nos eſſe bonos Catholicos. Venerunt qvoqve in cubiculum noſtrum, & interrogarunt an eſſemus Hugonotæ, cum nos eſſe negaremus, qvæſiverunt qvibus in templis miſſas audiremus, inſpexeruntqve omnes libros meos, ſed ego iam eos, qvi erant prohibiti, abieceram. Nullus tamen Germanorum, qvod ſciam, Pariſiis interemptus eſt, ſed qvatuor ſunt vulnerati,

cum

(*) Memorabile prorſus exemplum Nobilis cujusdam Saxonici, ALEXANDRI de MILTIZ, in hiſce periculis ſervati, cum per tres dies in columbario qvodam delituiſſet, ſiſtit ſumme Rev. Noſter GOETZIVS in præf. *Diptychis Exulum* præmiſſa, p. 34. ſq.

cum temere domo exiſſent. Qvidam nobilis Friſius Volckmerſcheim Rothomagi ſtrangulatus eſt, cum in Angliam aufugere vellet. Erat is præfectus morum Chriſtophoro, Palatini Electoris filio, eiusqve legatum agebat in Galliis. Comes Hanovienſis in maximo fuit periculo, cum noctu ſeminudus ſcala ad murum appoſita cum ſuis elaberetur in vicinam nobilis cuiusdam domum, qvi poſtea eum qvaſi captivum detinuit, coegitqve ſyngrapham dare, ſe pro redemptione 1200 Coronatos ſoluturum. Sed poſtea, ubi rex per qvosdam aulicos ſuos Germanos de hac re certior factus eſſet, ſyngrapham irritam & nullam, eumque liberum eſſe iuſſit. Cum primum elaberetur, vix de muro deſcenderat, cum in domum hoſpitis ipſius, qvi erat Hugonota, irruptio facta eſt, & omnia direpta ſpoliataqve, ita ut Comes in libris, veſtibus, annulis & catenis aureis aliisqve rebus ad trecentos coronatos amiſerit. Nos tamen Pariſiis tutiores fuimus, propter præſentiam regis, qvam aliis in partibus Galliæ Germani fuerunt. Aureliæ Germani omnes capti, & in unum locum coacti ſunt. Bona vero omnia ipſorum ſpoliata & ipſi pecunia ſe redimere compulſi. Iam vero omnes exceptis paucis, qvi neceſſitate coacti remanſerunt, in Germanniam reuerſi ſunt. Qvacun-

cunqve profecti fuerunt Germani, ubi tuto facere potuerunt, egregios titulos & versus (*) in laudem regis Galliæ parietibus affixerunt. Nos qvoqve illi in aliqvot hospitiis hos versus ascripsimus:

Gaude Carthago iam tot destructa per annos,
Qvod nota perfidiæ sit tenuata tuæ.
Namqve fidem si qvis fallat, neqve foedera seruet,
Gallica dicenda est, non tua, Poene, fides.
Dedecus hoc genti modò Carolus ille paravit,
Qvo rex perfidior nullus in orbe fuit.
Sed tamen est de quo dubites, num stultior, an sit
Perfidior, certe est æger utroqve malo.

Item aliud.

Ah miser, & si qvis primo periuria cælat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus;
Et tibi (Crede mihi) veniet rex Carole vindex,
Cui poenas tanta pro feritate dabis.

Prolixius hæc scribo, qvod sciam, multo aliter hanc Gallicam Tragoediam in Germania evulgatam esse, qvam acta est. Certè à condito mundo auditum non est, tanta qvem

(*) Prodierunt qvoqve *Illustrium aliqvot Germanorum carmina de laniena Parisiis patrata*, Vilnæ, 1573. 4.

qvemqvam regum perfidia & crudelitate usum esse, ut tot millia hominum per suam fidem decepta promiscuæ vulgi multitudini mactanda laniandaqve obiiceret; & sine omni dubio Deus iustissimus omnium delictorum vindex tantum facinus inultum non sinet. Qvia autem hoc iter in Germaniam subito nobis suscipiendum fuit & ipse morbus, qvo Parisiis laboravimus, multum pecuniæ nobis absumpsit, ferè omnino inanes & omni argento destituti in Germaniam accessimus. Nam & hospes noster Parisiensis qvadraginta fere coronatis nos decepit, cum eam pecuniam sibi redditam negaret, qvam ego per famulum nostrum, cum ipso ratione facta, numerari illi iusseram. Sciebant Breda & Nicolaus (*) me rationem cum ipso contulisse & famulo argentum dedisse, ut hospiti redderet. Sed cum famulus per mortem è medio esset sublatus, se recepisse negavit, omnemqve culpam in defunctum reiecit, quem ego fidelem nobis fuisso certe scio. Fuit Parisiis Capellanus reginæ Galliæ Filiæ Imperatoris, qvem secum ex Germania in Galliam ad-

(*) In *Genealogia Razoviana* p. 1 a. inter posteros BREIDONIS RANZOVII. ex linea OTTHONIS oriundi, memorantur BREIDO & NICOLAUS in Neverstorp, qvos si temporis ratio sibi satis constaret, hic indigitatos esse dici posset.

adduxerat, atqve frater Cancellarii Electoris Moguntini. Is maxima nobis beneficia tribuit. Nam literas ſalvi conductus a rege nobis confecit, & cum duo illi morerentur in cubiculis noſtris, effecit, ut nos propterea in periculo nullo eſſemus & illi honeſte ſepelirentur. Iuit enim ad Vicarium paroeciæ noſtræ eiqve ſignificavit, illos piè defunctos eſſe, & cum eſſent Germani, & neqve Gallicè neqve latine noſſent, ſe ipſis ſemper adfuiſſe, Confeſſionemqve audiviſſe, ſed propter ſummam ægritudinem ſacramentis uti non potuiſſe. Ita effecit, ut ipſi paterentur honeſtiſſime illos ſepeliri, & BROEMSEN qvidem in medio templo, (*) cui & Epitaphium in lapide parieti immiſſum collocari curavi.

II.

(*) Innuitur templum S. NICOLAI *du Chardonnet*, ſitum in circuitu Univerſitatis ad viam Bernardinorum (rue des Bernardins au qvartier de l'Université) Num vero epitaphium cujus hic mentio injicitur, ibidem adhuc conſpiciatur, dubium eſt, præſertim cum templum hoc de novo extructum ſit ann. 1656. vid. *Deſcription de la Ville de Paris* par GERMAIN BRICE, Tom. II. p. 236. ſq.

II.

Meditatio Schediastica
J. C. Harenbergi
ad Rom. XII. 18. 19. 20. 21.

§. I. *Paulus fuit doctissimus.* II.) *Talmudica sæpe adlegat, sed ab omni errore defæcata.* III.) *Phrasibus heic etiam utitur cum Talmudicis doctoribus sui temporis sibi communibus.*

§. I.

Qui cum Hieronymo, & nostra ætate cum Joanne Clerico, Paulum stili idiotici arguunt, eam novaturientibus videntur ingenerare sententiam, qvæ Paulo simul omnem eruditionis & palmam & laudem detrahit. At rem aliter sese habere, meo mihi iure existimare videor. Nam illud non infitiatus, stilum Pauli esse simpliciorem, nec tamen plane idioticum, ne qvis putet, eloqventia stetisse originem doctrinæ diffusæ, qvæ a Christo nomen hausit; alterum tamen illud, qvod doctrinam Pauli adtinet, calculo meo comprobare non ausim. Nam qvis est, qvi Græcos Astronomos & Poëtas Paulo arbitretur

tur fuiſſe incognitos? Qvod cum nemo neget, pronum eſt adfirmatu, Paulum Tarſenſi interfuiſſe Gymnaſio, ſiqvidem Judæorum Scholæ a Græca Poëſi erant remotiſſimæ, & lectio profanarum Græciæ litterarum Hieroſolymæ Judæis non erat indulta omnibus, (*) præcipue Beniamitis. Audeat Strabo in ſcenam prodire, nos edocens de Tarſenſium litterata induſtria. Ille ait (**): *Tantum Tarſenſibus ſtudium circa Philoſophiam fuit, & reliqvam omnem encyclopædiam, ut Athenas & Alexandriam ſuperarent, & ſiqvis alius locus dici poteſt, in qvo Scholæ & Philoſophiæ exercitationes fuerint. Sed hoc uno plurimum excellit, qvod hic indigenæ diſcunt, peregrini vero non multi huc adveniunt. At nec ipſi illi hic manent, ſed foris perficiuntur, & perfecti libenter peregrinantur, detinentur autem perpauci.* Qvi igitur Judæi erant, ii primis rudimentis dextre perceptis Hieroſolymam deſcendebant, erudiendi *εν τη συναγωγη των απο κιλικιας* (Act. VI. 9.) *in ſchola Ciliciæ nationis Hieroſolymitana.* Ita etiam feciſſe Paulum, non eſt qvod dubitemus. Qvum enim Græcæ

 Phi-

(*) *Gemara* in *Bava Kama fol.* 82. b. *Sotah* c. IX *miſchn.* 14.

(**) L. XIV. p. m. 392. T. II. conf. M. Beniamini Hederici *Commentatio brevis de Schola Alexandrina & Tarſenſi* 1704. *Witeb.* 4.

Philoſophiæ id temporis Judæi eſſent addictiſſimi, & Paulus profanæ ſcientiæ Græcæ veſtigia exſtare voluit, operam utiqve dedit Græcis præceptoribus. Eiusmodi inſtitutiones erant Pauli ætate tam vulgatæ, ut etiam teſte Sotah l. c. Rabbini בפולמוס של אספסינוס גזרו -- שלא ילמד אדם את בנו יוונית *orto bello Veſpaſiani decreto publico abrogaverint -- nequis filium ſuum in Græcanicis erudiret*, ut olim tempore Hyrcani (*) Hilleliani tamen & familia Rabbani Gamalielis erant ab eo interdicto exemti (**) J. C. Wagenſeilius qvidem fidem demere hac in re Talmudicis laborat, (***) ob Joſephi (****) ſilentium & *ἐναντιοφανειαν*. Sed contradictio illa evaneſcit, & ſilentium illud eſt exigui momenti, qvia res ipſa maxima ſeſe probabilitate commendat. Nam Antiocho Epiphane in Judæos ſæviente, Græca in Judæa erigebantur gymnaſia (*****), rebusqve Judæorum poſtea reparatis ab Asmonæis religio qvidem pura reſtituebatur, at amor

(*) Raſchi ad *Sota* l. c. in *Seder naſchim* p. פט ed. Berol. 8

(**) *Lightfoot in Horis ad Act.* VI. 1. p. 51. ſq. *ed. Carpzov.*

(***) In *Notis ad Sotah* c. IX. m. 14. p. 967, ſq.

(****) *Antiq. Jud.* L. XIV. c. 8.

(*****) 1. Macc. I. 15.

amor ſcientiarum Græcarum non erat ſimul exſtinctus. Ipſe poſtea Αριστοβουλος χρηματιστας Φιλελλην *Ariſtobulus dictus Græcorum amator* (*) ſummo ardore Græcam amplexabatur litteraturam, adeo ut etiam Alexandrinam verſionem vel direxiſſe vel pertexendam curaſſe merito credi poſſit. Vileſcente vero hac ratione ebraica litteratura & populo proditionibus ita expoſito, anſa interdicto illi facilime ſubnaſci potuit. Patebant igitur Græca etiam Paulo penes Gamalielem, præcipue tamen Talmudica, qvia Phariſæus erat, qvi Talmudica, ſeu ritus humanos divinosqve præpoſtere adſervabant. Qvis dubitat porro, qvin Paullus cum Stephano (**) decertaverit, & ideo qvia erat doctus & callidus, a Synedrio huc illuc ad Chriſtianos conſectandos (***) fuerit ablegatus? At inſtas, Paulum Hieroſolymis eſſe ανατεθραμμενον *educatum* ideoqve Tarſi non fuiſſe inſtitutum. Reſpondeo tamen, qvod educatio multis progreſſu temporis in locis peragi qveat. Et ſi vel maxime largirer, Tarſi eum Græce non fuiſſe inſtitutum, nihiloſecius litteratura Pauli Græca firmo adhuc ſtaret talo.

(*) Joſ. L. XIII. *Ant. Jud.* c. 19. p. 455. *ed. Colon* 1691. *fol.*

(**) Act. XXII. 20.

(***) l. c. v. 3. Gal. I. 14. Phil. III. 5. 6.

Interim haud eo inficias, Strabonem multos Græce doctos eosqve Palæstinos memorare (*).

II. Non est autumandum, qvod R. *Jehudah hakkadosch* finxerit Mischnaios suo demum tempore, sed in confesso est penes Doctores tam Christianos qvam Judæos, harum rerum peritos, R. Jehudam schedas & doctrinas suorum maiorum (**) per manus traditas constipasse, qvia metuebat, ne sua gens iam hinc inde dissipata vel dissipanda ritus patrios oblivione contereret. Ex qvo enim lucerna sive lampas media ac occidentalis fuerat exstincta, & *portæ templi* (seu *velum*, Syro תרעא דהיכלא *porta templi*) diuinitus aperirentur (מאליהן *ex semetipsis*) qvadraginta circiter annis ante excidium templi; nec amplius de reconciliatione cum Deo & remissione peccatorum in Judaismo constaret (***); tenebrae obruebant Judæos, calamitates & inscitiæ, veloqve templi scisso *velum* sibi obtexebant *Mosis*, qvo veritas evangelii paullisper obumbrata erat

(*) L. XVI. p. m. 539. T. II.

(**) Carpzov *Introd.* in *Theol. Jud.* c. 5. §. 4. J. Buxtorf. in *recensione operis Talmudici* p. 246.

(***) Qvæ singula distinete ita accidisse adfirmat Joma c. 4. fol. 39. p. 2. & in tempus passionis Christi incidunt, ut alibi fusius docui. Conf. Buxtorf. l. c. p. 234. 235. Lightfoot autem rem arbitrio lectoris permittit P. I. Opp. p. 588.

erat per ritus iugumqve cerimoniarum. Inde ortæ ſunt tot diſſenſiones & lites in Talmude ipſo, inſcitia multarum rerum maximi momenti, multa falſo efficta, genealogiarum ſuarum interitus, ut ſi vel maxime aliqvis veniret Meſſias, Judæis tamen incognitus eſſet, ut ex eo errore intelligimus, qvo qvemlibet impoſtorem amplexi ſunt. Sunt tamen multa egregie dicta in Miſchnajoth, tam moralia, qvam ritualia, qvibus inſuper habitis multa nobis caligo in legendo N. T. offunditur. Eximium ritualis illius ſcientiæ ſpecimen edidit Paulus (*) in Ep. ad Ebræos, qvæ firmiſſime, ex traditionibus etiam aliqvando tum receptiſſimis, veris tamen, Meſſiæ perſonam & officia adſtruit. Ipſe enim dicit, qvod fuerit Hieroſolymis ἀνατεθραμμένος παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ, πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου (**) Gamaliel ille erat ſummus doctor Talmudicus, qvi primus ætate Chriſti dictus eſt רבן, & cuius tot conſulta in Miſchnicis Tractatibus occurrunt, præcipue in Capitu-

 lis

(*) Videtur etiam omnino Paullo ebraice litteratiſſimo argumentum illud tribuendum, qvod, ex Gen. I. 26. XI. 7. pro pluralitate perſonarum divinarum deſumtum; retundere conantur Judæi, in *Talm. Babyl. Tr. Sanhedrin* f. 38. b. l.

(**) Act. XXII, 3.

lis Patrum, cuius etiam filius Ιησους *Josua*, si Josepho, Nicephoro, & Chronico Alexandrino credimus, fuit penultimus Pontifex summus, Talmudicis dictus ישמעאר שרה unde oritur ישעה si prima & ultima legas, media eiicias. Παρα τους ποδας Γαμαλιηλ est phrasis Judaica. *Pirke avoth* (*) יוסי בן יועזר אומר יהי ביתך בית ועד לחכמים והוי מתאבק בעפר רגליהם והוי שותה בצמא את דבריהם *Josi filius Joeseris dixit: Esto domus tua domus & conventus dicatus sapientibus* (legis peritis) *& adhaereto pulveri pedum illorum & imbibe sitienter verba illorum.* R. Salomo illud מתאבק explicat per שתהא משמש *ut ministres illis.* (**) Immorigeri enim & refractarii discipuli erant Judæis intolerandi & exsecrabiles (***) Discipulorum enim erat, summam submissionem præstare, & sese vel ad pedes eorum demittere. Præstolatus igitur est Paulus Gamalieli sedenti, edenti atqve docenti, tanta cum animi *humilitate* (loqvi ita mihi liceat), ut volueret & ornaret sese (****) in puluere pedum magistri, reverendo & svavi.

Si

(*) c. I. m. 4.
(**) ad l. c. p. m. קמג.
(***) Vid. סוטה Gem. c. III. §. 10. apud Wagenseilium p. 536. sqq.
(****) conf. Wagenseil. l. c. p. 993. sq.

Si *educationem*, secus ac Wagenseilius fecit, simul de institutione, cibo animæ mentisqve nutritione, explices, qvod fieri utiqve potest, tum respicitur simul ad βηματα & cathedras doctorum excelsas, ad qvarum ima discipuli sedebant (*). Vt autem ostendam, Paullum non frustra se convoluisse in pulvere pedum Gamalielis, doctoris celeberrimi, analecta qvædam sunt adponenda, qvæ nonnisi ex scriniis Gamalielis exponi commode qveunt. Traditur 1) a Paullo Rom. VI. 7. ὁ αποθανων δεδικαιωται απο της ἁμαρτιας, *qui mortuus est, justus habetur & immunis a prævaricatione.* Gnome hæc generalis dein accommodatur ad mortem, qva peccatis morimur & cum Christo vivere incipimus. Vehementer sese interpretes heic torqvent. Sed Judæorum ritus facillime difficultatem tollit. Qvodsi enim hi facinorosum qvendam uno qvatuor capitalium suppliciorum genere jamjam adfecturi essent, reus commonebatur de עולם הבא *sæculo futuro*, & ut eius respectu fateretur, si qva celasset, alia crimina. (**) אם אינו יודע להתודות אומרים לו אמור ההא מיתתי כפרה על כל צונותי *Si nihil nosset, qvod fateretur, tum* iube-

(*) *Neh.* VIII. 4. *En Jacob fol.* 8. *Matth.* XXVII. 19. *Sotah* c. VII. *Mischn.* 8.

(**) *Sanhedrin* c. VI. m. 2.

iubebant eum dicere: ecce mors mea expiet omnia peccata mea Gloſſa ad *Sanhedrin fol. 45. 2. Non plangunt eum* (damnatum in Synedrio, ſed plangunt in corde) *ut iſtud vilipendium cedat ei in expiationem.* Eadem ratione qvivis Judæi in lecto emortuali defixi confesſioni ſuæ peccatorum ultimæ iſta inſerunt(*) תהי מיתתי כפרה על כל חטאים ועונות ופשעים *Sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis, iniqvitatibus & delictis meis.* Ne vero putes, ritum iſtum promiscue ita orandi & deprecandi recentiorem eſſe aeuo Pauli; Miſchnicus ille locus paullo ante indicatus, idem formulæ genus recitaſſe omnes, poſtqvam reus prior illam dixiſſet, nos docet. אמרו לו אמ״ יהו כל ארם אומרים כך כרי לנקות את עצמן *Dicant ei* (reo), *Amen ita ratum ſit, & omnes homines dicant ſimiliter ad innoxios declarandos ſeſe.* Paulli igitur ſenſus eſt: Dicimus penes Judæos per adagium: *Qvi mortuus eſt expiationem recepit a peccato,* dum poenæ eius ſatisfecit. Qvanto magis illi, qvi cum Chriſto eiusqve gratia mortui & cruci adfixi ſunt, qvantum adtinet veterem hominem & vetus corpus peccati, iuſtificati ſunt per Chriſtum, adeo ut priora delicta eis non tribuantur in culpam, ſed eis factum ſit ſatis per Chriſtum mo-

(*) J. Buxtorf. *Synag. Jud. c. 49. p. 692.*

morientem, qvocum moriendi patiendiqve societatem inierunt pii, abstinendo a vitæ voluptate ac vanitate, cibando sese præceptis Dei, vivendo viribus Christi. Judæi reis capitali supplicio functis, immo omnibus Israëlitis, tribuunt in resurrectione facta, qvam adventui Messiæ iungunt, corpora, non sauciata, lacera, infamia, sed splendida ac honorata, & ab omni deformitate tum separanda. (*). Sed nos vere in nova vivendi ratione resurgimus & incedimus, si cum Christo δια τȣ βαπτισματος συνεταφημεν εἰς τον θανατον. Qvi ita mortuus est, citra errorem peccatorum suorum immunis ac divinitus pulcher est. 2) Cognitio Dei secundum gradus distribuitur 1 Cor. XIII. 12. in eam qvæ fit δι' εσοπτρȣ εν αινιγματι, & eam qvæ fit προσωπον προς προσωπον, adludendo ad *specularia*, per qvæ dicuntur Prophetæ Deum fuisse contemplati (**). 3) De innovatione sæculi Paulus & Petrus multa. 2 Cor. V. 17. 18. 2 Pet. III. 10. 11. 12. 13. &c. 4) Ad *lapidem fundamenti* Paullus sæpius respicit, ut in illis

 1 Cor.

(*) Theod. Dassovius in *Diatribe de resurrectione mortuorum ex mente Judaeorum* c. 4. §. 3. p. 48. sqq.

(**) Ut fusius ostendi in Diss. *de specularibus Veterum* Præside Jo. Oldermanno τῳ πανυ habita Helmstadi 1719. 4.

1 Cor. III. 11. 2 Tim. II. 19. &c. 5) Ad ædificationem templi ſecundi Hieroſolymitani, ex varia materia, reſpicitur 1 Cor. III. 12. 13. 14. 15. 16. 17. innuendo lapidum firmitatem, vivorum ſcilicet, & metallorum αφθαρτοτητα, templiqve N. T. comparationem cum priori, qvod mox erat vrendum. 5.) En conſilium Gamalielis Act. V. 38. 39. in illo Rabbi Jochanani Sandelarii: (*)

כל כנסיה שהיא לשם שמים סופה להתקיים ושאנה לשם שמים אין סופה להתקיים

Omnis congregatio, qvæ eſt a Deo, ſtabilis eſt: qvæ vero non eſt a Deo, deſtruetur. 6) *Αναβαινων αλλαχοθεν, εκεινος κλεπτης εστι και ληστης* Jo. X. 1. dicitur ex adluſione ad eos, qvi decimas reddere recuſabant, per porticum greges vel decimanda introferebant, ut fraudes comitterent & conſeqventer vitam demerent ſacerdotibus. 7) Qvid dicam de agno Paſchali, de azymis, de oblationibus, *απαρχαις*, propitiatorio & throno gratiæ, ſponſa Eccleſia eaqve virgine, hirco emiſſario, vacca rufa. ritu agitationis, & Hieroſolyma *τη ανω* & *ελευθερα* qvæ in coronis ſponſarum faſtigium tenebat, atqve de aliis multis ritibus, qvos Paullus leviter perſtringit, dum ad rem ipſam feſtinat, citra

(*) *Pirke aboth* c. IV. m. II.

citra qvorum expoſitionem alucinari neceſſe eſt. 8) Qvid illud eſt Ebr. X. 26. *ἑκουσίως ἁμαρτανόντων -- οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία*, niſi qvod in regno Meſſiæ Judæi traderent omnia ſacrificia eſſe ceſſatura, præter ſacrificium laudis? Kimchi ad Jer. XXXIII. 11. כו״ל אמרו כל הקרבנות בטלים לעתיד לבא חוץ מקרבן תודה *Doctores noſtri Talmudici tradunt, ſacrificia omnia tempore Meſſiano ceſſatura eſſe, excepto ſacrificio gratiarum actionis.* At vero Jeſus eſt verus Meſſias ſecundum omnia ſigna dextre explicata. Ergo Paullus recte dixit cum Talmudicis, non ſupereſſe חטאה *ſacrificium pro peccato.* (*) Ὁδὸς pro *doctrina* eſt ſignum ſtili Talmudici Act. XXII. 4. *πάντα εἰς δόξαν θεοῦ ποιεῖτε* 1. Cor. X. 31. convenit cum illo (**): כל מעשיך יהיו לשם שמים *Omnia opera tua fiant in honorem Dei.* Sufficiant iſta in præſens. Nolo id qvidem in me ſuſcipere, qvod Apoſtoli ſcrinia Ebræorum compilarint. Nam & Spiritus ſanctus, & conloqvia qvotidiana de rebus tunc tritiſſimis, Apoſtolis inſtillarunt illa, qvæ ebraicam litteraturam ſapiunt. At vbi fruges Palæſtinæ præſto ſunt, ibi ceſſat Manna.

Sic

(*) conf. Raimundi Martini *Pugio fidei* p. III. *Diſt.* 3. c. 12. §. 16. ſqq. f. 617. ſed ed. *Lipſ.* 1687. p. 874. ſqq.
(**) *Pirke aboth* c. II. m. 12.

Sic supernaturali directione qvidem erat opus, ut ea scriberet Paullus, qvæ Synagogæ erant familiarissima, & qvæ non poterat ignorare, sed nova revelatione in hisce opus non erat. Inspiratio sane latius patet qvam revelatio.

III. Ut huius rei porro patescat specimen, descendere libet ad Rom. XII. 19. 20. 21. qvæ sic transfero: Vos privati & *Christiani, ne vobis ipsi ultionem* & vindictam ab aliis *exigite, sed mittite* & abhorrete *eam iram*, qva homines in viscera sua & Socios sævire solent. *Scriptum est enim* de Deo, qvod is secus fieri velit, dum sibi soli vicariisqve suis poenam & vindictam vindicat, *dicens: Mihi vindicta* de iure propria est: *ego rependam* malum pro malo & bonum pro bono Unde sua sponte fluit, qvod nil nisi mutua caritas Christianis sit relicta & iniuncta. *Si igitur esurit ille inimicus tuus*, in qvem vindictam spiras, tum vel *offa in os inserta eum ciba; Si sitiat, potionem illi præbe. Nam, dum hoc facis, carbones ignitos* (prunas) *cumulabis in caput eius. Ne uinci te sine a malitia*, ut malum malo rependas. *Sed vince benignitate malitiam malumqve actum*, qvo homines inimici te sæpius adficiunt. Illud *δοτε τοπον τη οργη date locum iræ* durius videtur dictum, dum iræ obseqvium imperari videtur, qvod tamen scopo Paullino e dia-

e diametro obſiſtit. *Iram divinam*, cui locus ſit dandus, ad unum omnes Interterpretes vetuſti intelligunt. Inveſtigavi igitur omnia diverticula & tramites, an olim hic variaverit lectio. Sed J. Millius (*) ſitim non reſtingvit cum ſui generis compilatoribus, qvi ſilentium colunt. Theodorus Beza, (**) Erasmus Schmidius, (***) qvos potiſſime nomino, ſupplent iram *Dei vindicaturi*. Syrus ceteræqve verſiones vetuſtæ iſtud ſupplementi ignorant. Genevenſes litteræ inſiſtunt, reddendo (****) *Donnez lieu à la colere.* Hieronymus Emſerus (*****) gebt raum dem Zorn; qvibus addunt Lutherus in qvibusdam exemplaribus & Piſcator, per parentheſin: GOttes. Anglus, Batavus, Reizius, Vhlenbergerus aliiqve verbum verbo exprimunt, in modum Syri & Vulgati. Durum profecto eſt, vocem θεῦ omiſſam eſſe a Paullo vel univerſaliter excidiſſe. Qvare commodum ſe obfert Lambertus Bos (******), qvi exponit venuſte: *date ſpatium iræ* i. e. differte. Ex ſcriptori-

(*) p. 318. *ed. Amſtelod.*
(**) p. 445. col. 2.
(***) p. 1029.
(****) in N. T. p. 184. col. 2.
(*****) f. III. col. 1. 1527. Dresden. fol.
(******) in *Exercitationibus philologicis* Ed. II. Franequ. 1713. 8. p. 116.

ribus Latinis eum sensum distincte satis comprobat. Sed est, qvod in hac expositione desidero. Nam 1) iracundia & ulciscendi cupiditas, qvæ heic ὀργὴ dicitur, debet plane abesse & exsulare (*) ab homine Christiano. Qvi vero *spatium*, hoc est, moram *iræ dat*, & dilationem, ne prorumpat, is nihilosecius iræ flammam animo concepit, & qvidem peccato plenæ, qvia odio proximi incaluit & in exitium eiusdem tendit. 2) Ira humana, qvæ Deo grata est peccatiqve expers, consistit (**) in ardore promovendæ voluntatis divinæ & horrore serio pioqve in impedimenta malitiosa, qvæ obstant, qvo minus voluntas Dei effectui detur ab hominibus. At de tali ira heic non est sermo, sed ἐκδικητικὴ, ultionis plena, & id inter privatos & socios, qvæ utiqve debet abesse, quia e contrario concordia & pax animo sunt firmissime imprimendæ (***). Qvare puto, δότε τόπον τῇ ὀργῇ vertenda esse: *facessite illam iram*, missam facite ulciscendi cupiditatem.

(*) Vid. *Clemens in Ep. ad Corinthios* p. 8. sq. ed. 8. Oxon. 1669. *The Whole Duty of Man* Sunday X. B. 18. p. 211. sq. London. 1696. 8.

(**) Vid. B. Pictet dans *la Morale Chretienne* T. II. ch. 9. p. 113 sqq.

(***) Henry Hammond *dans la Pratiqve de la Morale Chretienne* L. II. p. 178. Amsterd. 1696. 8.

tatem. Locum damus rebus vel gratis vel ingratis. Gratis iucundisqve rebus damus locum, dum eas excipimus, libenter (*) audimus, tempore (**) loco (***) & mora (****) dignamur. Si locum damus rebus ingratis & invisis, ubi arbitrio nostro locus est, tum eas expellimus, extrudimus, declinamus. Si vero locum damus rebus nec nobis gratis nec ingratis, fit illud *præbendo occasionem* qvacunqve ratione. Iracundia est res Christiano indigna ideoqve merito ingrata & invisa esse debet. Cui si *locum damus*, eam facessimus, mittimus, declinamus. Terent. *Heautont.* Act. III, sc. 3. Syrus: *Jube hunc abire hinc aliqvo.* Cl. *Qvo ego hinc abeam?* S. *Qvo lubet, da illis locum* (i. e. extrude, ut postea) *abi deambulatum.* Cl. *Deambulatum, Quo?* Curtius L. VI. c. 6. n. 31. *Sed qva flamma dederat locum, hostis obstabat* i. e. ubi flamma abitum dabat. Scrutanti plura sese offerent exempla in multis linguis. Tropus est mutuatus a rebus animatis ingratis, qvibus locum patere volumus, ut possint abire, fugere, nostrumqve liberare animum & obtutum. Qvare δοτε τοπον τῃ οργῃ est: weg mit solchem Zorn/ *apage*

(*) Plautus Capitiv. Act. II. sc. 1. p. 134.
(**) Tac. L. I. Ann. p. 29. Ter. Andr. Act. I. sc. 3.
(***) Curt. IV. 16. Ter. Hec. Act. III. sc. 3.
(****) Cic. L. XV. Ep. 6. Cæs. de B. G. L. VIII. c 51.

apage istam iram, facescite iracundiam. Ne vero homo conqveratur de iniuriis innoxio sibi inlatis, neue existimet, tyrannos & iniuriarum auctores omnia impunè ferre, ideo vindicta Deo reservatur, qvi iusto tempore & modo iustam expromat poenam & talionem exerceat. Egregia in hanc rem est sententia Hillelis (*): הוא היה אומ׳ אין בור ירא חטא ולא עם הארץ חסיד ולא הביישן למד ולא הקפדן מלמד ולא כל המרבה בסחורה מחכים ובמקום שאין אנשים השתדל להיות איש: אף הוא ראה גלגלת אחת שצפה על פני המים אמר לה על דאטפת אטפוך וסוף מטיפיך יטופון *Ille dixit* (Hillel): *Homo bardus, ac impolitus, sapientia & dignis moribus carens, non erubescit peccare* (**) *& homo plebeius* (***) *non est benignus piusqve in Deum, nec ægrotus discit, nec iracundus ad docendum est aptus, nec mercimoniis totus inhians sapientiam ingerere novit, atqve in loco, ubi non sunt viri, ut virum te præstes, enitere.* (ubi vero vir officio suo fungitur, eum noli turbare vel deturbare). *Qvin immo ipse vidit cranium qvoddam flu-*

(*) in *Pirke aVoth* c. II. §. 5. 6.

(**) Attendenda est heic universalitas moralis vid. *Arnaldi Artem Cogitandi* c. 12. p. 135. ed. Hal.

(***) conf. *Jo.* VII. 49. & *Wagenseil ad Sotah* p. 518. sqq. cum Lightfooto ad Jo. l. c. *Pirke aVoth* c. III. §. 10.

fluitans in superficie aqvæ, qvare de eo dixit: Ideo qvia natare fecisti (tu, cuius illud est cranium, submergendo & in exitium ruendo alium hominem) *Ideo natare fecerunt te, & rursus illi, qvi in culpa fuere tuæ submersionis* (& exitii) *natabunt.* (*) Hæc divina vindicta demandata est etiam vicariis Dei, magistratibus, qvare de iis mox agit Paullus. Heic tamen de privatis sermo est, ne putes, dandum esse locum iræ magistratus, ut qvidam hunc locum exponebat in examine magisteriali. Cumulatio porro prunarum est crux nobis fixa, qvam pleriqve ex proverbiis Salomonis soluunt. Sed de benignitate sermo est, non de immissione iræ divinæ. Explico igitur *prunas* de regulis & præceptis sapientum, qvæ exercenda sunt in iracundos & sævos. Præcepta enim sapientum, qvi mansvetudinem inculcant, sunt *ανθρακες πυρος, prunæ ignitæ.* Pirke abhot (**) ר׳ אליעזר אומר יהי כבוד חבירך חביב עליך כשלך ואל תהי נוח לכעוס ושוב יו׳ א׳ לפני מיתתך והוי מתחמ׳ כנגד

(*) Vid. Diss. Philippi Julii Rethmeieri de *Jure Talionis* Præside J. A. Danzio habita Jenæ 1700. 4. item עץ חיים & R. Salomo in l. c. *Pirke*, cum Abarbanele.

(**) c. II, m. 10.

כנגד אורן של חכמי' והוי זהיר בגחלתן שלא תכוה שנשיכתן נשיכת שועל ועקיצתן עקיצת עקרב: ולחישתן לחישת שרף וכל דבריהם כגחלי אש *Rabbi Eliefer dixit: Esto honor socii tui tibi dilectior & carior* qvam *honor proprius*, nec esto *proclivis ad irascendum & emenda te uno die ante mortem tuam* (i. e. semper esto sine invidia, ira & omni malitia, ut semper tranqvilla cum conscientia mori qveas (*) *& te calefac e regione lucis sapientum, & esto admonitus de prunis illorum, qvæ non exstinguuntur, nam morsus illorum est morsus vulpis, & compunctio illorum est compunctio scorpionis, & mussitatio illorum est mussitatio in presterem* (**) *& omnia verba illorum sunt ut prunæ ignitæ.* Verba illa sapientum brutis hominibus crebro sunt ingerenda, ut inde *lucem*, i. e. intelligentiam & digestionem, concipiunt. Prunæ illæ, qvæ lucem eam præbent, sunt doctrinæ Ethicæ & eximiæ, de vita recte instituenda & vita futura impetranda. R. Salomo Isaacides de iis: שתשמע לדבריהם

ut

(*) R. Salomo Isaacides ad h. l. כלומר: בכל יום ויום עשה תשובה דשמא למחר אתה מת. *Qvasi diceret: qvovis die age poenitentiam, ne procrastinando moriaris.*

(**) Vid. Jobi Ludolfi *Historia Æthiopica* indeqve *Acta Eruditorum* a. 1682. p. 65.

ut obtemperes verbis illorum, qvia ut tandem addit. בכל ענין הם מזיקים ל עובר כל דבריהם. *In omni re adfligunt illum, (*) qui prævaricatur contra ulla eorum verba.* Qvænam autem verba potius Christiani usurpassent ad sedandam iracundiam, qvam magistri sui Jesu? Conf. Matth. V, 5. 9. 44. &c. Eius verba sunt prunæ, qvia calefaciunt accenduntqve animos, lumen ingerunt mentibus, æternumqve non exstinguuntur, sed potius, si qvis eis refragatur, reum iudicant in die pantocritico Jo. XII. 48. Hæc verba, nisi obtemperes, mordent conscientiam aliqvando acutissime, pungunt (**), & instar herbæ Assazoë, qva Psylli (***) Æthiopes ad venenum aspidibus serpentibusqve tollendum utuntur, venenum tollit, & illud qvidem animorum. לחישה est illa recitatio verborum vel cantus, qva Psylli in speciem utuntur, ne ars sua evulgetur. Scorpius contritus ac impositus seipsum curat (****): Ita animus verbis

 le-

(*) *qvasi essent dæmones tortores*; nam מזיקים sæpe sunt cacodæmones. conf. Buxtorfi *Lexicon Talmudicum* p. 1325.

(**) Act. II. 37. ακȣσαντες διενυγησαν τη καρδια.

(***) Vid. Solinus c. 40. v. 591. sq. ed. Reiher ibidemqve Salmasius. Potissime tamen Jobus Ludolfus in *Descriptione Aethiopia.*

(****) Hafenrefferi *Nosodechium* L. III. c. 12. p. 473.

legis & minarum inflammatus eodem verbo Dei sanatur, curatur & relevatur. Illud demum est, *malum bono vincere*, si inimicum, vel eum, qvi tecum rixari cupit, doceas instar fidelissimi præceptoris tam verbis qvam exemplo, qvomodo sectatores Christi incedere deceat. Hæc doctrina, si eam ipse fructiferam in te ostenderis, docet & sanat, sin alter respuat, accendit & aeternum rit, sed non ex cupiditate & vindicta nostra. *Επι κεφαλην αυτȣ* est *επ᾽ αυτον in*, *super illum* inimicum. Exempla huius rei ubiqve exstant, conferri tamen merentur Albertus Schultens (*) & Theodorus Hasæus (**) Duumviri nostræ ætatis longe præcellentissimi. Neqvis vero putet, hæc dicis gratia de *ανθραξι πυρος prunis* dicta esse, is velim perpendat 1) qvod verba sapientum vocentur ita; 2) qvod R. Elieser fuerit æqvalis ac suppar ætate Gamalieli: nam Elieser uterqve, tum filius Hyrcani, tum filius Arachi, erat discipulus Jochanani filii Saccai, & hic tandem Hillelis famosissimi, qvi circa natalem Christi obiit; 3) Qvod cibus animæ, Doctrina Christi & Apostolorum, optime succedat ci-

(*) in *Observ. ad Vetus T.* p. 191. 192.

(**) de *Leviathane Jobi* p. 262. En etiam exemplum ex *Tr. Mischn. Nedarim* c. V. m. 6. יהא גון
בב i. e. תדור בראשן.

cibationi ac potioni corporis. 4) Qvod mansuetudinem & liberationem proximi ex gehenna, qvantum fieri potest, Paullus heic præcipiat, non vero imprecationes & cupiditatem contrahendæ alteri vindictæ divinæ

III.

Bulla indulgentiarum,

Petitionem Civium qvorundam Slesvicensium, & Concessionem *Petri*, Cardinalis ac Presbyteri Romani, *Leonis* X. Papæ nomine ann. 1513. factam, continens.

Ex originali.

BEatissime Pater. Ut animarum saluti devotorum oratorum vestrorum, Gertrudis Hansen, vidue, & Bartholdi Hansen, laici, ejusqve uxoris, & eorum utriusqve sexus liberorum, Slevisensis diocesis, salubrius consulatur, supplicant humiliter Sanctitati vestræ oratores prefati, qvatenus eis specialem gratiam

(*) Authenticum hoc documentum, in membrana scriptum, asservatur in Coenobio Flensburgensi, ex qvo illud plurimum rev. Mich. Geerken, Ecclesiastes Flensburgi Nicolaitanus meritissimus, mecum communicavit, qvam humanitatem grata mente agnosco. I. H. a S.

tiam facientes, ut Confessor idoneus secularis vel cujusvis ordinis regularis, qvem qvilibet ipsorum duxerit eligendum, ipsos a qvibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisqve ecclesiasticis sententiis, censuris & penis, a jure vel ab homine qvavis occasione vel causa latis, ac votorum qvorumcunqve, juramentorum mandatorumqve ecclesie ac jejuniorum transgressionis, homicidii mentalis vel casualis reatibus, penitentiarum injunctarum & divinorum officiorum omissione, ac ab omnibus eorum peccatis qvantumcunqve gravibus, etiamsi talia forent, propter qve sedes apostolica merito foret consulenda, de qvibus corde contriti & ore confessi fuerint, & de reservatis semel in vita & in mortis articulo, exceptis contentis in bulla Cene Domini, de aliis vero sedi apostolice non reservatis casibus totiens qvotiens opus fuerit absolvere, ac penitentiam salutarem injungere, vota vero qvecunqve, Jerosolimitanum, Liminum apostolorum Petri & Pauli de urbe, atqve Jacobi in Compostella, Religionis & Castitatis vobis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac juramenta qvecunqve sine alieno prejuditio relaxare, nec non semel in vita & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum re-

remiſſionem & abſolutionem auctoritate apoſtolica impendere poſſit: Et inſuper liceat oratorum cuilibet presbytero vel nobili ſeu graduato habere altare portatile cum debita reverentia & honore, ſuper qvo in locis ad hoc congruentibus & honeſtis & non ſacris & eccleſiaſtico interdicto ordinaria auctoritate ſuppoſitis, dummodo hujusmodi interdicto cauſam non dederint, etiam anteqvam elucefcat dies, circa tamen diurnam lucem, per proprium aut alium ſacerdotem ydoneum in eorum & cujuslibet ipſorum ac familiarum ſuorum domeſticorum preſentia Miſſas & alia divina officia celebrari facere ſeu celebrare, & intereſſe divinis, ac euchariſtiam & alia ſacramenta eccleſiaſtica, preterqvam in die paſcatis, & ſine rectoris prejuditio, recipere, & decedentium oratorum corpora tempore hujusmodi interdicti ſine funerali pompa eccleſiaſtice inibi tradi poſſint ſepulture; Nec non ut unam vel duas eccleſias, aut duo vel tria altaria in partibus, ubi eosdem oratores pro tempore reſidere contigerit, qvam qvas vel qve qvilibet ipſorum duxerit eligenda, ſingulis qvadrageſimalibus & aliis diebus ſtationum urbis cujuslibet anni devote viſitando, tot & ſimiles indulgentias conſeqvantur, qvas conſeqverentur, ſi ſingulis diebus eisdem ſin-

singulas urbis ecclesias, qve a Christi fidelibus propter stationes hujusmodi visitari solent, annuatim personaliter visitarent. Preterea qvadragesimalibus & aliis diebus prohibitis ovis, butiro, caseo, aliisqve lacticiniis & carnibus, de consilio utriusqve medici sine conscientie scrupulo ubilibet uti, vesci, & frui possint; Ceterum ut mulieres, & qvelibet earum, una cum tribus aut qvatuor honestis mulieribus, qvecunqve monasteria monialium cujusvis ordinis, & Sancte Clare qvater in anno, de licentia presidentium ingredi, cum monialibus comedere & conversari, dummodo non pernoctent, possint & valeant; licentiam & facultatem concedere & indulgere dignemini de gratia speciali, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, regulis Cancellarie in contrarium editis & edendis, qvibus hac vice derogare placeat, ceterisqve contrariis qvibuscunqve cum clausulis consvetis.

Et de reservatis semel in vita & in mortis articulo, premissis exceptis,
Et de non reservatis sedi apostolice casibus totiens qvotiens opus fuerit,
Et de commutatione votorum premissis exceptis & relaxatione juramentorum,

Et

Et de plenaria remissione & absolutione semel in vita & in mortis articulo,

Et de Altari portatili cum clausula ante diem & locis interdictis ut supra,

Et qvod tempore interdicti divinis interesse, sacramenta recipere, & sepeliri possint, ut prefertur,

Et de indulgentiis stationum urbis visitando ecclesias aut altaria ut supra,

Et de esu butiri, ovorum, aliorum lacticiniorum & carnium, temporibus prohibitis, ut premittitur,

Et de licentia ingrediendi monasteria monialium pro mulieribus, ut supra,

Et cum derogatione predictarum regularum Cancellarie pro hac vice duntaxat,

Et qvod presens indultum duret nec censeatur revocatum durante vita dictorum oratorum,

Et qvod presentium transumptis manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus persone in ecclesiastica dignitate munitis, plena fides adhibeatur, qve pro singulis oratoribus confici possint,

Et qvod presentis supplicationis sola signatura sufficiat absqve aliarum literarum expeditione.

Concessum ut petitur in presentia domini nostri Pape P. Car. Sti Eusebii.

PETRUS, miseratione divina titulo sancti Eusebii sacrosancte Romane ecclesie Presbyter Cardinalis in Romana Curia residens, universis & singulis presentes literas sive presens publicum Transumpti sive Vidimus instrumentum inspecturis, lecturis pariter & audituris, notum facimus per presentes, qvod supplicationem originalem confessionale nuncupatam, cujus copia preinseritur, omissis nihilominus nonnullis propriis nominibus in eadem supplicatione descriptis, qvoad presens minime necessariis, vidimus, tenuimus, legimus, & diligenter inspeximus, illamqve manu nostra propria in presentia domini nostri Pape signatam fuisse & esse reperimus. Protanto fuimus pro parte Gertrudis Hansen, vidue, & Bartholdi Hansen, laici, ejusqve uxorum & eorum utriusqve sexus liberorum Slevisensis diocesis in preinserta supplicatione nominatorum principalium debita cum instantia reqvisiti, qvatenus supplicationem ipsam transumi & exemplari, & in hanc publicam Transumpti formam redigi mandare dignaremur. Nos igitur Petrus Cardinalis prefatus attendentes, reqvisitionem hujumodi fore justam

&

& rationi consonam, supplicationem ipsam transsumi, & exemplari, & in hanc publicam Transsumpti formam redigi mandavimus, decernentes, prout idem dominus noster Papa decrevit, huic publico instrumento Vidimus nuncupato tantam adhibendam fore fidem, qvanta dicte supplicationi adhiberetur, si in medium produceretur. In qvorum omnium & singulorum fidem & testimonium premissorum presentes literas exinde fieri, & per Notarium publicum infrascriptum subscribi mandavimus, sigilliqve nostri jussimus appensione communiri. Datum Rome in Edibus nostris sub anno a Nativitate Domini Millesimo qvingentesimo tertio decimo, Indictione prima, die vero vicesima tertia mensis Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Leonis divina providentia Pape decimi, anno primo, presentibus ibidem dominis Thadeo de Scrosatis, laico, & Johanne Vigeron, clerico, Mediolanensis & Pictavensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter atqve rogatis.

Et ego Ludovicus Tron, clericus Turonensis diocesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus No-

Notarius, qvia premiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut premittitur, fierent & agerentur una cum prenominatis teſtibus preſens fui, eaqve ſic fieri vidi: ideo hoc preſens publicum Tranſumpti inſtrumentum manu mea propria fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoqve & nomine meo ſolito & conſveto, una cum prenominati Reverendiſſimi D. Petri Cardinalis Sigilli appenſione ſignavi, in finem omnium premiſſorum rogatus & reqviſitus.



IV.

IV.

Epiſtola MATTHÆI MACIGNI ad COELIVM CALCAGNINVM, ex ſchedis Bibliothecæ Gudianæ, in qvibus non pauca lituris mutata & correcta erant, ut autographæ ipſius ſcriptoris haberi poſſent, deſcripta.

Coelio Calcagnino
S. D.
Matthæus Macignus.

(*vid. Epiſtol. Calcagnini libr. IX. p. 284.*)

TAm gratæ mihi fuerunt literæ tuæ Coeli Jucundiſſime, qvam qvod gratiſſimum. Gratiſſima enim ſemper (ut inqvit ille) Munera ſunt autor qvæ pretioſa facit. Et mehercule ſi utrumqve rectius conſiderem, muneris inqvam genus, mittentisqve animum & dignitatem, invenio utrobiqve, qvod me tibi obnoxium maxime reddat; Siqvidem & tu vir graviſſimus Eruditiſſimusqve, ſumma benevolentia ductus, eo præſertim tempore, qvo tibi maximis arduisqve curis impe-

pedito minimum otii conceditur, me puerum literis admonere, ut magnam infamiam fugiam, non deſiſtis. Literæ vero hujusmodi ſunt, ut ſententiarum gravitate & copia, verborumqve lepore & ſvavitate neſcio qvid cygneum ſonent. Qvapropter, utrum á gratiarum actione exordiendum mihi ſit, an potius ſingulæ epiſtolæ tuæ partes percurrendæ, non ſatis ſcio. Illud tamen (qvamvis difficile) non omittendum eſt, hoc eo diligentius exeqvendum qvo intelligas me eam terqve qvaterqve perlegiſſe, & diligenti (ut par eſt) animo, perſpexiſſe. Sed qvædam prius præponenda qvæ τὸν ἐμὸν σκόπον contineant, qvem qvamvis tibi ſubobſcurius poſtremis ad te meis ſignificaverim non tamen ab re fuerit, clarius eum rurſus explicare. Sic enim res, de qva hic agendum eſt, expoſtulat. Ego enim Ἡδονικὸς ſum & Epicuræorum dogma conſector nec illud verear palam profiteri cum Simplicium videam dicentem: οὐ γὰρ δι ἡδονῆς οἱ Ἐπικούρειοι τὴν ἡδονὴν ἐθήρων, ἀλλὰ διὰ πόνων μάλιστα καὶ ἐγκρατείας. In hoc fortaſſe differimus qvod hi temporariam qvandam, ægo æternam voluptatem venor, qvam in hoc ſeculo haberi non poſſe facile contendam. Hanc non niſi domita aſinaconſeqvi

qvi-

qvispiam poteft. Illam absqve sensu attingere difficile est, cum omnis nostra cognitio ortum a sensibus, capiat. Huc Christus rapit. Illuc arcanarum naturæ rerum cupido perducit. Non igitur culpandus sum qvod mihi plus æqvo tribuam, sed qvod jampridem accitus, adhuc obdormiam. Amicorum ego & Parentis imprimis consilia magni facio: qvod tamen summus omnium rerum Parens humanitatem nostram indutus agendo consilium præbuit, id ego non modo Sanctissimum assero, verum etiam præcipuum ad veram felicitatem conseqvendam iter esse confirmo. Qvodsi πάντα αὐτοφυῶς τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεται danda est mihi sedulo opera, ut ejus vestigia qvoad humana patiatur fragilitas, diligenter observem. Hic portus est. Hæc vera est qvies. Ad hanc facile conseqvendam illud maxime confert, qvod ad actuosam partem spectat, Asinæ, inqvam, ipsius domatio, qvæ qvomodo domanda sit, ab illo, qvi illam rectissime domuit, exempla sunt sumenda: Facit & illud, qvod πρὸς τὸ θεορητικὸν εἶδος pertinet, virtutum scil. iter, & Naturalium Mathematicarumqve disciplinarum imprimis diligens studium, non, ut in his ætatem omnem absumamus, sed, ut & facilius & citius

τέ

τὸ Θεολογικὸν μέρος asseqvamur. In hoc enim diutius immorandum esse contenderim, qvod πρὸς τὸν ἀυτὸν σκόπον dirigatur. Tu vero fortasse ad id dubitabis, cum in successivis studiis τὰ Μαθηματικὰ haberi malis, ac inertiam qvandam in dimetienda qvadrati diametro, ut Trianguli basin reperias. Ἀλλὰ παρέχει τὸν νῦν si lubet, & inspiciamus paulisper, qvid ad hæc conferant Mathematicæ. Et mihi qvidem, nec diutius cogitanti, illud occurit, qvod invenerunt prisci Philosophi, dum circa harum principia studiosius versantur, ubi Trinitatem in divinis considerent. At, hæc fortasse somnia, an potius ita se res habet, ut, qvi *Ter* dicat, totum dicat, cum omnia Longa, Lata, Profundaqve dimensione metiri qvispiam possit, nec alia præter has detur dimensio. Sed, qvi qvæso sunt, qvi Longitudinem, Latitudinem, & Profunditatem considerant? nonne hi sunt Mathematici, qvi statim in jaciendis eorum Fundamentis Punctum ἀμερος, Lineam longam sine latitudine & Profunditate considerant, in superficie Longitudinem & Latitudinem absqve Profunditate intelligunt, Corpus vero trinam dimensionem complecti confirmant. Sed qvid ego clavam de manu Herculis, qvod ajunt,-

cri

eripio, aut qvid in alienam segetem manus temerarie admodum injicio? Dicat igitur Aristoteles ipse, hac de re qvid sentiat, simulque harum scientiarum Divinitatem & sententiarum suarum, proferat. Ille autem in eo libro, qvem de Cœlo & Mundo scripsit, & qvidem in principio, ita loqvitur: Et Continuum qvidem est, qvod est divisibile in recipientia divisionem successive. Corpus autem est divisibile in omnes mensuras. Magnitudinis vero qvod est unius mensuræ, est Linea, qvia qvod duarum, Superficies, trium autem Corpus. Et post illud nulla mensura est. Omnia enim sunt tria, & divisa in tres mensuras. Et similiter inqviunt Pythagorici, qvod causæ & res terminantur tribus mensuris, fine, medio & principio. Et hic est numerus cujuslibet, & res demonstrans Trinitatem rerum, & non invenimus istum, nisi ex natura, & sustinemus ipsum qvasi legem nobis; & secundum istum numerum tenemur magnificare Deum Creatorem, remotum á modis creaturarum. Appellamus etiam istum numerum secundum hunc modum. Dico, qvod nominamus duos numeros: Duo; & duos viros: Duos viros; & non dicimus omnes. Secundum hoc omne non dicitur nisi de tribus, & per ipsum nominantur tria primò;

mò: Et hoc qvia natura ita ducit & nos seqvimur ita suum opus, sicut prius narravimus, Qvid tu hic? Inertem me ad huc appellitabis, si trianguli hypotenusam, aut angularem Qvadrati lineam dimensus fuero, ut divinum qviddam sub tali dimensione absconditum facile percipiam. Sed dicet fortasse qvispiam, qvod unicuiqve facile sit, hoc ex Aristotelis verbis deprehendere, &, qvæ ibi tradantur, Mathematicum hominem non desiderare. Audiat hæc ille qvæso, qvæ seqvuntur. Probat Aristoteles Animam immortalem esse textu XII. in 2do de Anima libro his verbis: At enim cum ex obscuris qvidem, magis autem manifestis, fiat id notum, qvod est dilucidum ac notius ratione: enitendum est rursus hoc pacto de ipsa anima pertractare. Rationem enim Diffinitivam non solum esse significare, ut complures dicere diffinitiones videntur, sed etiam in ipsa causam inesse ac apparere oportet. Nunc autem diffinitionum complures ut diffinitiones esse videntur, veluti: Qvid est Qvadratio? Confectio figuræ laterum æqvalium angulorumqve rectorum; atqve diffinitio talis cognitionis occupat locum: at ea, qvæ qvadrationem inventionem esse medii dicit, ipsius rei profecto causam, ut par, assignat. Hæc non percepta in eam opinio-

nio-

nionem rem adduxerunt, ut non desint, qvi confirment ac publice profiteantur, animam ex Aristotelis sententia corruptioni esse obnoxiam. Qvod si rem diligentius animadvertissent, & Mathematicas artes non neglexissent, in tantum errorem miseri prolapsi profecti non fuissent. Cum enim Qvantitatis altera Continua sit, altera Discreta, illa vero tum rationalis tum irrationalis sit, cumqve divinus Plato Rationalem partem sit complexus, animamqve armonicis numeris applicatam immortalem ostenderit: Aristoteles continuam sibi assumens tetragonali mediæ lineæ ipsam accommodando idem mirum in modum confirmat, non qvod animam Lineam esse arbitretur, sed qvod ambarum operatio admodum similis existat. Siqvidem & hæc de foris immigrat, & corpori adjuncta ipsum perfectum reddit, extra autem corpus ipsa per se subsistit. Nam si ἑτερομήκης qvid imperfectum describatur, cujus qvidem minora latera qvatuor sint pedum, longiora vero novem, aream ipsorum 6. & 30. esse ex diffinitione manifestum est; Si qvis vero perfectum illud efficere cupiat, non oportet eum, ut aliqvis sibi fortasse persvadere posset, hosce una conjunctos per æqvalia dividere, ita ut tetragonum describat cujus qvodlibet latus pedum 6.

ſit & pedis dimidium adhuc ſuperſit, qvod par ſit; medium majorem enim continebit, ut patet ex iisdem in ſe ductis; ſed majorem minori conjungere debet, ac ſuper totum Semi-Circulum deſcribere, & á conjunctione ad circumferentiam perpendicularem erigere, qvæ ea erit, qvæ a nobis qværitur; ſiqvidem de foris immigrat, ex ſe ſubſtiſtit, perfectumqve idem corpus conſtituit, & Media vocatur, qvod mediam inter utramqve proportionem contineat. Sex enim pedum erit neceſſario, qvare ad utramqve cœterarum collata hemiolio propior evadet. Num qvid igitur potuit ille, qvod intendebat, aut divinius explicare, aut evidentius demonſtrare? Videntur tibi hæc ita nullius eſſe momenti, ut tam facile ab hominibus contemnantur? Atqvi mediæ huius lineæ qvantitatem non prius reperies, qvam trianguli hypotenuſam diligentius metitus fueris. Verum, qvando Mathematicus ſum, & trinum numerum ſuſpicio, tertium his me exemplum addere decet. Qværebam jampridem, qvid ſibi illud vellet, qvod primo *περὶ Γενέσεως τȣ̃ κόσμȣ* legitur libro; id, inqvam: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, qvid per *Imaginem* qvid per *Similitudinem* ſignificaretur? Tunc ad Præceptorem meum me contuli,

qvi

qvi hæc audiens: Legas, inqvit ille, Dantem, Poëtam qvidem præclarissimum, in ultimo Paradisi sui capite circa finem, ibiqve reperies per Imaginem humanam naturam significari, eamqve Circuli Diametro accommodari. Circulus enim qvi Diametro caret & termino merito Divinitatem designat. Qvodsi tu fortasse principium qvoddam ibi qvæsitum concesseris, humanam & Divinam naturam in uno conjungi posse subjecto perspicies. Hæc ego diligenter scrutatus animadverti (dictu qvidem mirabile) si qvis Archimedes Circuli ad Diametrum proportionem triplam & sesqvi septimam esse in verum confirmet, posse describi Circuli unius Diametrum, si 14 pedum sit, illius peripheria 44 sit, secatoqve ad 11. partes facile Diametro, & a sectione ad circumferentiam ducta orthogonaliter linea, atqve ab ea ad centrum altera pertracta, Lineam ab extremitate Diametri ad idem punctum ductam, duobus pariter angulis, recto scil. atqve obtuso, opponi, atqve utriusqve horum respectu ejusdem esse qvantitatis, qvod Linea ea Qvadratum Circuli areæ æqvum esse probari mirum in modum possit, siqvidem utriusqve area 100. & 54. pedum exstiterit. Voluit qvidem ille hoc innuere, qvod qvamvis de rebus divinis verba facere dif-

ficile sit, sic tamen accommodata Mathematicarum artium præstantia, qvæ credimus, ita oculis nostris subiiciat, ut ἠναγκασμένον ἐπιστομίζεσθαι contineant. Hæc ego fortasse longius qvam par erat, percurri, ne qvis ideo ingenuo mordendas eas artes, qvas Græci Μαθηματικὰς appellant, esse existimaret, qvod ad architectorum usum faciant, cum sint ἐκ τῶν μέσων, ac divinis accommodata Divinitatem complectantur. Plura pluribus de causis prætermittenda mihi sunt, qvæ tamen hinc facile colligi possunt. Monet me insuper & epistolæ modus. Superest tamen id, qvod ad alteram epistolæ meæ partem attinet, gratiarum scilicet actio, qvod, cum arduum etiam sit, verearqve, si multa dixerim plurima præterire, omittendum satius esse existimavi. Id unum tamen tacitus præterire non possum, me tibi in perpetuum divinctum fore. Vale. Venetiis. (*)

V.

(*) Epistolam hanc debemus favori Pl. Rev. M. MATTHIÆ LOBETANTZ, Pastoris apud Sandesnebienses meritissimi, cui propterea nos valde obstrictos fatemur.

V.

M. Jo. GERARDI PAGENDARMII, Lubecensis,

Pastoris Paschkervicensis in Oelsnensi apud Silesios Ducatu,

Disqvisitio Epistolica de Abhi-Milkah & Abhi-Iiskah, ad Gen. XI. 29.

V. C. atqve Summe Reverendo, M. CHRISTOPHORO ECKMANNO, *Pastori Peucensium longe vigilantissimo,* (a) S. P. D.

NUper admodum ex improviso nos salutasti; verum non salutasti modo, sed & mirum in modum recreasti. Tantus erat sermonis Tui splendor, tanta

(a) Theologus hic Silesiæ Evangelicæ multarum rerum scientia celeberrimus, Vratislavia oriundus, sexagenarius, ætatisqve ingravescentis causa Ministerii Oelsnensis Senior dicendus, in Pago Peucæ (Peucke) duos lapides a patria distante, Ecclesiæ Evangelicæ summa cum laude ultra XXX. annos præest. De Philologia & Exegesi S. bene mereri eum, testantur ingenii præstantis monumenta, qvorum potiora sunt:

venuſtas, tantum argumentorum inſperſorum ob gravitatem pondus, ut me iis haud parum adhuc delectari, non negem. Vnum inprimis altas in mente radices egit, qvod altioris eſſe indaginis, videtur, a Te, ex Geneſ. XI. commm. 29. ſummo ingenii

1. Exercitatio de דּוּדָאֵי תְאֵנָה in locum Jerem: 24. comm: 1. ſq. qvæ 1717. VII. Beytr. des freywilligen Heb-Opffers inſerta extat.

2. Verſuch der Erkläḧrung des hohen Liedes Salomonis nach dem Senſu literali v. Sinn des H. Geiſtes/ welcher durch Hülffe der Hebräiſchen Methode des ſeel. Herrn Caſp Neumanns gethan worden. Breßlau/ 1720. 8. 19. pl Hunc librum in lucem miſit, ſub nomine eines Chriſto Ergebenen. In qvo qvid deſiderari poſſit, in præſens judicare ſuperſedeo, indicaturus tantum, p. 90. & p. 240. ſeq. huius ipſiusmet libri a cl. cujusd. Viri cenſuris ſententiam ſuam de Dudaim Auctorem defendiſſe.

3. Exſpectare nos huius Exegetæ & Philologi induſtria præter alia ſcriptum hoc maxime ſingulare jubet: *Prophetiam Ahiæ Silonitæ ſuperſtitem*, ſ. explicationem verborum Agur, Proverbiis Salomonæis c. 30. annexorum. Nimis prolixum eſſet recenſere omnia, qvæ de hoc momento inter hunc Theologum & me, absqve ulla tamen cavillatione, ſint acta, qvæqve iuſto tempore locoqve iuſto, ſi Dei Numen velit, evulgabuntur. Conceſſum mihi *Mstum* ipſum ex humanitate in me incredibili, perlegere, in qvo, ut ingenioſiſſima argumenta & eruditionis inſignem apparatum deprehendi, ſic & admirabundus obſervavi, in eo demonſtrari, Agurem eſſe Ahiam, & Salomonem Ithie

genii acumine depromtum, nimirum, utrum comatis hujus verba אֲבִי־מִלְכָּה וַאֲבִי יִסְכָּה Saram, filiam Haranis, an Haranem ipsum subintelligendum velint. Prior sententia, nisi me animus fallit, erat Tua, altera cum interpretibus scripturæ, nisi omnibus, sanioribus tamen, numero haud paucis,

Ithielem, eiusqve ministrum aulæ primarium, Vchalem, ad qvos locutus fuerit, ad illum, inqvam, ne falli ab Uchale se patiatur: ad hunc, ne Salomonem persecutione Jerobeami, ipsi instillata, fallat. Occasionem tractatus ipsius, ut inter legendum animadverti, dedit II. Paral. IX. comm. 29. qvo commate mentio fit verborum Nathanis Prohetæ, Prophetiæ Ahiæ Silonitæ, & Jeddonis Videntis visiones. Autor circa id: comaαὶς ἐν παρόδῳ monet, superesse etiam adhuc verba Nathanis, in qvibus prima Salomonis acta contineantur, eaqve prioribus 9. capitibus contineri, Visiones autem Jeddonis c. 25. Proverb. & seq. ad 29. inclusas contineri. Conf. fortgesetzte Sammlung von alten und neuen Theol. Sachen ann. 1723. Part. IV. ubi p. 661. sq. exhibetur: *Philologi cujusdam Silesii Prophetia Ahia Silonita superstes. sive explicatio capitis XXX. Proverbiorum Salomonis, ductu Hypotheseos Hieroglyphica considerata, qvam exhibet cultor Exegeseos.* Quæ omnia si veritatem saperent ab errore immunem, adversus eos admodum illa crederem profutura, qvi ex libris Scripturæ S. canonicis vel intercidisse nonnullos vrgent, vel eos imperfectionum defectuumve nullo suffusi rubore incusant. *Vide celeb. Buddeum in Instit. Theol. Dogm. L. I. c. II.* §. 19. *p. m.* 118. *sqq.*

mea. Noli autem irasci, lingvæ sanctæ cultori, mihi, inqvam, *ἀντιλέγοντος* munia obeunti, in causa, illis alioqvin suspecta, qvi cum incomparabili *Casp. Neumanno* (β) faciunt, atqve ex tripode qvasi dicta, qvæ ab ipso dicta sunt, arbitrantur. Hujus tanti Viri merita in Litteraturam Ebræorum, ut, cum in vita superstes esset, valde suspexi, ita & post fata eum ipsum suspicio, ac præcipue illius hypothesin, utriqve nostrum haud ignotam, summum in modum suspiciam, dum spiritus meos recturus sit artus. Neqve me adversus Neumannum credo acturum, Haranem, allegato loco, Saram minime, intelligendum, sta-

(β) Non me adeo tanti Philologi amor cepit cœcus, ipsius in verba tanqvam enthea sine ulla mentis hæsitatione ut jurem. Qvin potius hypotheseos, qvid? sententiæ veritate tantum inductus, ita statuere cogor, uti in oratione funebri eaqve Franckenbergiana Vratislaviæ 1726. fol. edita, p. 5. obs. 3. contra Antagonistam beati Neumanni, infelicem, utut doctum, monui, qvem qvod addere h. l. liceat, nostratis verba neqve aut probe intellexisse, aut intelligere noluisse, a cavillandi studio alienissimus, prudens aio. Qvæ & causa fuit, (fuisse vero hanc ex amicorum B. Viro intimiorum relatione novi) princeps, cur is eum responsione minime habuerit dignum, nisi responsionis loco habere velimus, qvæ Auctor B. *in clave Domus Heber* c. I. p. 132. postulato 1. & 2. potissimum urget.

ſtatuens juxta ac demonſtrans. Anteqvam vero illud a me fiat, veniam dabis, Vir ſumme Venerande, ſententiam Tuam, eamqve ingenioſiſſimam ſub disqviſitionem ut uocem, qvam duabus rationibus, iisqve ponderoſioribus, ſuffultam recordor. Si, ajebas, vulgus interpretum h. l. prævalere, ſtatuitur, actum eſt de hypotheſi Cl. Neumanni, qvi in vocabulis Ebræorum nullas dari litteras otioſas, in *clavi Domus Heber*, p. 179. demonſtrat. H. L. ſuperfluam bis literam י cum puncto ſuo in voce אב ex doctrina Grammaticorum, immo & magni Danzii in מדקדק c. VIII. §. 54. Membr. II. ſq. novimus, id qvod ſtatuere idem eſt, ac Neumannum loco veritatis fixo movere. Pergis, V. C. ſententiam Tuam ex Hiſtoria S. de Sarah, Abrahami uxore, demonſtrare, ac vel ideo c. XX. Geneſ. ejusqve commata 2. & 16. modis omnibus commendare. Ex priori commate, inqvis, elucet, Abhi-Melechum, Regem Geraris Palæſtinorum, Saram adducendam curaſſe, qvo ſibi conjugio conjungeret ipſam. Unde colligere liceat, tunc temporis a Gerarienſibus, qvod ex obſeqventia in Regem pro Regina Saram habuerint, Abhi-Milkam nuncupatam fuiſſe. Alterum illud ob oculos ſiſtere putas כְּסוּת velamen illud, cujus meminerit

rit Abhi-Melechus, qvodqve ansam haud dubie præbuerit Gerariensibus per vocem יִסְכָּה Saram appellandi. Hæc fuerunt argumenta, qvantum memini, potiora, qvibus Sententiam Tuam de Sarah per Abhi-Milkah & Abhi Iiskah copiosius delineatam, corroborare allaborasti, non eum in finem, ut illius veritatem, numeris omnibus absolutam, alii mecum credant, sed ut veritas S. codicis magis magisqve illustretur. Qvod ultimum, scias, & in votis meis desideriisqve ab illo ætatis tempore fuit, qvo, qvid S. codex sit, qvidqve complectatur, paulo curatius intelligere cæpi. Qvare & coram dissentire ab hac Tua sententia acutissima sum ausus, & literis præsentibus haud erubesco, minime dubitans, qvin conatus hos meos, veritatis causam agentes, æqvi boniqve consulas, eorumqve lapsibus, si qvi darentur, condones. Nunc me accingo ad perlustrandum par rationum Tuarum, earumqve graviorum, qvarum una Grammatica, altera Historica dici meretur. Qvod ad illam attinet, fateor, a Grammaticorum turba circulum lingvæ S. magis turbari, qvam absolui, qvorsum præsertim apud eos faciunt Figuræ, qvarum numerum Paragoge, qvam vocant, adauget, qvamqve & commate 29. Gen. XI. bis oc-

cur-

currere ſatis audacter æqve impudenterqve contendunt, cum tamen paulo inferius mathematica qvaſi demonſtratione oſtendam, nil minus, hac tali figura h. l. inueniri, atqve Jod illud, bis adjectum neqvaqvam hic otiari. Ex qvo apparet, argumentum, qvod fingitur, tale, talo ſuo non ſtare: Aut Saram, per appoſitionem declaratam, hic ſubintelligendam eſſe, aut Neumannianæ Hypotheſi fieri ſatis haud poſſe. Qvin potius me converto ad rationem Tuam Hiſtoricam, alias ex nomine proprio Abhi-Melechi, alias ex vocabulo כְּסוּת hauſtam, qvam majori attentione, digniori qve inqviſitione dignam judicamus. Non opus eſt, Te certiorem reddere de iis, Gerari qvæ Saræ acciderunt, Oceano niſi aqvam infundere, ac ſoli meridiano candelam accendere vellem. Sufficiat, inqviſiuiſſe, utrum Sara a Gerarienſibus pro Regina habita ſit, an ſaltem ab his in venerationem devotiſſimam ſui ipſorum Regis, Abhi-Milcah dicta, atqve, an Moſes vel ideo eam eiusmodi denominatione cenſuerit perqvam dignam. De priori utroqve momento altum eſt ſilentium, ut in Scripturæ S. locis aliis, ſic c. Geneſ. ſemel atqve iterum memorato, neqve veriſimile, a Gerarienſibus Saram Regis ſui donatam nomine, qvam Abra-

ham

hami uxorem esse, altero ferme die auribus audiverant suis, suo omnium fastidio atqve metu. Neqve a me impetrare possum, ut credam, Mosi ea de causa Saram Abhi-Milkam Gen. XI. dictum, qvi hoc nomen c. 20. longe commodiori ratione illi tribuere potuisset. Addo hunc vocabuli Abhi-Milkah usum naturæ atqve indoli lingvæ S. repugnare, qvæ qvidem nomen Maris seu viri appellatiuum in ה- determinat, ubi uxoris vel fæminæ denominatione opus est, neutiqvam vero proprium viri vel maris. Ubi enim legitur, Adami, Jacobi, Davidis, Josephi conjuges, Adama, Jacoba, Davida, Josepha dictas? Nullibi. Qvid itaqve Sarah Abhi-Melechi putatitia conjux Abhi-Melecha, vel, ut accommodatius Ebræorum more loqvar, Abhi-Milkah dicitur? At instas, aliam esse lingvam sanctam, aliam, qvæ Gerari floruit, &, qvæ lingvæ S. inusitata novimus, ea Gerariensium lingvam fugisse, qvis statuet? Ita, ni fallor, sentiebas, Vir ingeniosissime, cum ab ore Tuo, me meo in hortulo dependere liceret, qvamqvam, Tecum cur ita sentiam, causa subesse nulla videatur. Non aperte pronuntio cum *Josepho Scaligero Epistol* 42. & 362. *Thoma Erpenio, peculiari oratione, Petr. Daniel. Huetio, in Demonstratione Evang.* aliisqve patronis lin-

lingvæ Cananæorum, qvorum terræ unam partem Gerarienses, *Cellario* & *Relando* testibus, occuparant, cum hac Ebræam fuisse eandem. Id duntaxat existimamus atqve defendimus, ex collatione aliarum lingvarum Orientalium, qvæ Ebræam matrem agnoscunt, eandem filiabus cum matre indolem ac naturam, qvoad nomina propria utriusqve sexus esse. Deniqve non nihil differendum de vocibus Abhi Iiska, ex qvibus, si qvid iudicare possum, duntaxat intelligendum, Haranem fuisse patrem Saræ, qvæ & Iiska appellatur. In subsidium vocare detestor, Cabbalistarum Judaicorum Φλυαρίας, qvi Saram nomine Iiskah Gen. XI. c. 29. exprimi clamitant, qvod per suum אתב״ש id confirmari opinantur, neqve adeo hanc in rem curo *Josephum*, *Augustinum*, *Lyranum*, *Chytræum*, *Lyserum*, *Junium*, *Cornelium a Lapide*, ac *Bellarminum*, qvibus Tua, Vir doctissime satis probatur sententia, qvæ Saram ob velamen illud Gen. 20. c. 16. memoratum & Iiskam dici posse, cupit, cui tamen lubens accedo, utut vocabulum יִסְכָּה vocabulo כְּסוּת minime cognatum credam, hoc ex præfixo כ & סות compositum credens. In hoc autem, uti iterum iterumqve monui, dissentio, qvod Sara

Mosi

Moſi Gen. XI. ſit Abhi Iiskah. Repetere in præſens ſuperſedeo, qvæ de י fruſtra ſic dicto Paragogico paulo ſuperius promiſi in proxime ſeqventibus declaranda, ordinis ratione inductus, oſtendere, qvod neqve aut nomina Abhi Iiskah aut Abhi-Milkah ad Saram per appoſitionem accommodanda ſint. Provoco ad verba Moſis:

יִּקַּח אַבְרָם וְנָהוֹר לָהֶם נָשִׁים שֵׁם אֵשֶׁת
־אַבְרָם שָׂרָי וְשֵׁם אֵשֶׁת־נָהוֹר מִלְכָּה
בַּת־הָרָן אֲבִי־מִלְכָּה וַאֲבִי יִסְכָּה׃

Hic præter alia, deinde inſinuanda τὸ Abhi-Milkah Va Abhi Iiskah non ad vocabulum Sarai, qvod qvatuor propemodum voces ab eo diſtat, ſed ad vocabulum præcedens Haran αὐτῶς reſtringendum a nobis eſſe patet, niſi ſcopo atqve intentioni Spiritus S. obicem ponere geſtiamus. Scopus enim erat, atqve intentio Sp. S. de Harane plura dicere, qvam ante commate 27. dixerat, ubi illum fuiſſe Lothi Patrem indicarat. Hoc vero loco & patrem duarum filiarum illum conſtituit, talium tantarumqve videlicet, qvarum poſteri per orbem terrarum celebritatis famam nanciſcerentur, de qva re forſitan deinceps ediſ-

ſe-

feretur. Juuat insuper observare, vel accentuum ordinem, comm. h. occurrentium, in faciem Tibi contradicere, Saram per Abhi-Milkah expressam sentienti, qvem certe non latet, accentus Tiphchae, qvem Grammatici respectu Imperatoris sui Sillucki, subdistinctiuum minorem regem nominare consveverunt, qviqve sub vocabulo Abhi-Mil a exstat, ministrum esse, seruum servorum Merkam. Qvemadmodum itaqve hic servus Merka sub vocabulo proxime præcedente positus, legitur: ita & cum Doctoribus ex sexcentis xemplis, qvid? ex eorum myriadibus convicti, regulam sua veritate & h. l. stare, credimus, qva docetur, *omnem accentum seruum actu talem* (qvalem Merkam commate sæpius dicto esse, αὐτοψία confirmat) *conjungere voces*: Lege præter *Samuëlem Bohlium*, qvi immortale nomen, restituta, qvantum potuit, accentuum inter Christianos doctrina, meritus esse, & præter *Casparem Ledebuhrium*, (cui post Bohlium initia artis tribuunt) restauratorem Lingvæ Ebrææ, *Matthiam Wasmuthum* in Institut. Accent. p. m. 26. axiom. 2. Ex qvo, ut ipse vides, conseqvitur, qvod toties inculcavi, Haranem, non Sarai, commate nostro per Apposs. dici Abhi-Milkah. Rides forsitan inter legendum, atqve cogitas, cur memoria exciderint mea, qvæ

de Accentibus Ebræorum ex ore Tuo percipere licitum fuerit mihi, qvorumqve summa huc redit: *Qvam diu natura accentuum eodem pacto, qvo B. Neumannus in literis usus fuerit, non indagetur, tamdiu omnes illos conatus, qui per accentuum studium adhuc inter nos receptum, ad scripturam s. eo facilius intelligendam adhibentur, irritos esse, & in fumum abire.* Habet profecto aliqvam veritatis speciem hæc ratiocinatio, immo veritatem ipsam auctoritate cum primis magni nostri *Neumanni* in *Præf. Cl. Heber* ita disserentis, firmatam. Sed præ ceteris observetur, velim, nullum ex hoc fonte idoneum argumentum confici posse, qvo ostendatur, vel his omnibus concessis Accentuum Tiphchæ & ejus ministri Mercæ, positum sub vocabulis Abhi-Milkah & Haran non probare a nobis dicta. Enimuero non negamus, accentuum studium nævis suis premi ac deformari, *sensusqve eorum formalis* auroram non apparuisse, nedum lucem ipsam tot doctorum cateruis per aliqvot lustra desideratam. Qvis vero negare ausit, *Sensus accentuum materialis* generatim dicti facem a paulo ante allegatis luminibus non accensam? Unde tot Regulæ, tot Axiomata extiterunt, in qvorum numerum retulimus Axioma proxime dictum, qvo de ordine vocum in comm.

Mo-

Mosaico pro nostra sententia stabilienda inter nos tanto facilius constaret. Atqve hæc sunt, V. C. qvæ contra sententiam Tuam in medium produxi, qvæ si intacta dimitti nolis, mihi, ad discendum sato & nato pergratum præstabis officium, Musis Tuis me æternum obligaturus. At vero speciatim ad meam sententiam de Harane solo a Mose c. 29. intellecto, ac summis laudibus exornato, annotare qvædam, ac rationem saltem unam proferre præstat, cuius gravitate persvasi, locutionem illam Abhi-Milkah, Va-Abhi Iiskah, Harani dicamus. *Ratio hæc est, qvia littera* י, *qvæ nomini Abh semel repetito bis adiicitur, excellentiam Haranis sive in sensu activo, sive passivo manifestat.* Qvæ de Jod paragogico hic inferri solent, a nobis in præcedentibus explosa sunt, hypothesin Neumanni pressius secutis, pariter ac secuturis. Neqve amplius causa nos ulla movet, cur plura verba faciamus, demonstratura, Haranem c. dicto a Mose Abhi-Milkah nominari, nisi eandem cramben, bis, immo decies recoctam apponere cupiamus. Aliud & fortius telum in eos conjiciendum, qvi, Spiritum S. nulla graviori causa impulsum, duplex illud Jod Mosi scribendum inspirasse suspicantur. Uti Spiritus S. spiritus sapientiæ existit, qvi nil in codice s. a

viris θεοπνεύστοις scribi passus est, significatione sua peculiari destitutum: ad eundem modum & Mosi duplex illud Jod inspiravit, legentibus attentio ut inspiraretur, & ansa relinqveretur, sedulo investigandi mysteria, qvæ hac littera contineantur. Per Dei gratiam nodum, ut puto, Gordium solui, non ense illo Alexandri, sed precum ardentiorum, qvas ad Deum fudi, & resultantium inde meditationum, qvas hypothesis Neum. comitatur. Qvorsum in primis spectat, qvod venerit in mentem, recordari literam Jod, totius literaturæ Ebrææ centrum in sensu, ut dicitur, morali, non modo primum principium, fontem & originem, ex qva, qvæ existunt, velut ex ouo existunt, vim, virtutem atqve essentiam, sed & coronam significare, qva Majores hanc literam ex testimonio *Zieroldi* in Baër Hethebh p. 101. appellarunt. Cum itaqve ad sensum materialem hujus literæ eruendum, mentem animumqve appellarem, animadverti, prout alias in Physicis, alias in Moralibus, alias in Theologicis Jod illud occurrit, sensum ipsius materialem unum eundemqve cum formali esse, sive stet in vocis fronte, sive medium occupet, sive vocem claudat, adeoqve & vocabulum אבי Patris singularis, corona honoris & venerationis perqvam

qvam digni, ſignificationem urgere. Applicemus, qvæſo, hæc omnia ad Haranem, Milcæ juxta ac Saræ patrem, qvid qvæſo magis veritati conſentaneum deprehendemus, qvam qvod vir fuerit longe ſingularis, tum ob Semum Noachi primogenitum, ex cujus ſtirpe exſtiterit, tum ob par tantarum filiarum, ex qvibus Syrorum atqve Iſraëlitarum gentes exſtiterunt, qvarum fama per totum terrarum orbem circumferretur, qvarumqve altera gloriaretur, Meſſiam, mundi Saluatorem futurum ſibi, carnem ſi ſpectes, ſuos natales debere. Hæc talia, credas, Spiritus S. Moſen latere noluit, qvæ multa poſt ipſum ſecula auctorem Targum, qvisqvis etiam fuerit, latuerunt, ſpiritu inflatuve diviniori deſtitutum, qviqve vel ideo verba hæc commate 29. ita tranſtulit.

אֲבוּהָא דְמִלְכָּה וַאֲבוּהָא דְיִסְכָּה

i. e. Pater Milcæ & Pater Iiſcæ. Sit, nec Hieronymum in verſ. vulg. nec Lutherum in verſ. Germ. hæc aſſecutos; ſit, recentiores alios, eosqve numero permultos hac eadem chorda oberraſſe. Illos homines fuiſſe, haud ignoramus, a qvibus nil humani alienum, id qvod ex parte Lutherus paſſim in ſcriptis ſuis qveritur, ac qverendo palam de ſe teſtatur, ut ut non ne-

gandum, a subsidiis, si Megalander noster instructus fuisset, a qvibus nos hodie divina clementia instruxit, longe majora ab ipso in s. fontis haustu fuisse præstita, longeqve copiosiores veritates haud dubie detectas. Sed redire in viam lubet, ac nostram de Harane sententiam disqvisitioni Tuæ solidiori subiicere, qvæ si ad amussim veritatis divinæ extendetur (y), mensuram desiderii mei implebis, fructusqve omnis ad Deum, Ecclesiam puriorem & Amatores literaturæ Ebrææ perqvam certe redundabit. Ita Vale! Paschkervicii d. VIII. Calendas Qvintiles.

Nominis Tui

Summe plurimumqve Venerandi
æternus cultor

M. Jo. Ger. Pagendarm.

VI.

(y) Responsione cl. Ekmanni disqvisitio mea Epistolica haud caruit, cujus summa, ne omnia verba, in laudes meas scripta, huc transcribam, eo redit, ut se argumentis meis subscribere, eorum pondere victus, fateatur.

VI.
RECENSIONES LIBRORUM.
I.
JO. CHRISTOPHORI WOLFII,

Pastoris ad D. Cathar. Hamburg. & Scholarchæ,
Bibliothecæ Hebrææ volum. II.
complectens Accessiones & Emendationes ad volumen primum totum, & partem secundi, qvoad de scriptis Anonymis exponit, pertinentes. *Hamburgi & Lipsiæ* apud *B. Theod. Christoph. Felgineri Viduam.* A. 1727. 4. *Alph. 7.*

CUm Ebraicorum scriptorum notitia tantum temporis reqvirat & tanto cum tædio conjuncta sit, mirari tanto magis & æstimare debemus summe Reverendi Autoris industriam & patientiam in continuando tam difficili labore, cujus jam novum Tomum videmus. Et eo magis mirari inexhaustas animi vires fas est, qvod cum vix omnis vita par esse videatur tanto operi exhauriendo, tamen cum in omni eruditionis genere ita versetur, ita omnem rem literariam ornet, ut istis ornandis natum esse dicas, omnes tamen antecessores suos in præsenti hoc instituto longo post se intervallo relinqvat. Nam qvamvis post alios, qvi stadium hoc ingressi

ſunt, *Seb. Munſterum*, *Jo. Molderum*, *Julium Conradum Ottonem*, *Theodorum Ebertum*, *Theophilum Spizelium* & plures, *J. Buxtorfius* uterqve, *J. Plantavitius*, *J. Henr. Hottingerus*, *Julius Bartoloccius*, *Carolus Joſephus Imbonatus* illud qvodammodo emenſi viſi ſint; multa tamen omnino reſtabant, qvæ WOLFIUM reqvirebant, ut deniqve conficeretur. Nam etiamſi R. *Joſeph. Schabbatai* elegantiſſimo, ſi usqvam aliqvis ex Judaico ingenio profectus eſt, libello שפתי ישנים poſt Bartoloccium ad ornandam hanc provinciam accederet, tamen homo Judaicus noſtræ Religionis Doctori tam multa amplificanda, emendanda, ornanda reliqvit, ut vel ex diverſa utriusqve operis mole ſcire liceat, qvam multa in hoc, qvod præ manibus habemus, acceſſerint. Et eo lætiori fronte æqvi harum literarum æſtimatores hos labores amplectuntur, qvo magis dolendum erit, reliqvos, qvi manus ſimili labori admoverunt, qvos inter *Gabriel Groddeckius*, *Adamus Andr. Cnollen*, *Jo. Meyerus* præcipui ſunt, morte prius abreptos fuiſſe, qvam laborem abſolvere potuerint: Id qvod *B. Chriſtiano Theophilo Ungero* pariter contigiſſe, non ſine inſigni horum ſtudiorum detrimento conſtat.

Ediderat autem WOLFIUS noſter jam Anno 1715. & 1721. duo Bibliotheca Hebrææ volumina, jamqve accedit tertium, qvod

etſi

etsi accessiones & emendationes complectatur, tamen spicilegium hoc ad molem ipsius messis assurgit. Viderat enim, cum jam dimidia pars primi voluminis prelo exscripta esset, *R. Davidis Oppenheimeri*, Archi Synagogi Pragensis, bibliothecam Judaicam, qvæ parem in hoc genere non habet & Hannoveræ asservatur. Sed cum eo tempore non posset omnia satis excutere, occasionem vero potestatemqve a Possessore nancisceretur, candem altera & tertia vice perscrutandi, observationes suas ad volumina priora retulit & jam in lucem publicam exire jussit. Accedebat insignis suppellex librorum Rabbinicorum, qvam laudatus modo U*ngerus* incredibili industria, nec exiguis sumtibus ex variis orbis partibus collegerat. Hanc, Ungero 1719. d. 16 Octobr. mortuo, suam fecerat, & in eadem antiqvissimas & rarissimas complurium librorum editiones, & codices manu exaratos & ex parte nondum editos, qvos Cl. *Ludovicus Bourguetus* Nemausensis, cum in Italia ipse versaretur, sibi comparavit, nactus erat, ut & epistolas varias á Judæis lingva Hebraica, Italica aut Judæo-Germanica exaratas, una cum epitaphiis Judaicis undiqvaqve ab eodem conqvisitis. Laudat vero præterea passim in libro eorum de se & labore suo bene merendi stu-

dium, qvi aliqvo modo conatus hos provehere allaborarunt. Laudat Rev. *Magnum Crusium*, qvi jam Parisiis versatur & sacra Legationis Danicæ ministrat, qvem etiam olim nobiscum versatum amicum agnoscimus, qvi indices codicum hebraicorum manu exaratorum nondum publice exstantes transmisit Præterea Bibliothecam academicam Lugdunensum adiit, & tam editos, qvam manu exaratos codices hebraicos accuratius inspexit, inprimis Sealigeranos & Warnerianos, qvi insigni ipsi usui fuerunt, & ex qvibus ultimis alia præterea opuscula nonnulla descripsit, publico forte olim communicanda. Laudantur præterea in opere ipso passim curæ & literæ virorum clarissimorum *Gagnerii*, *Maji*, *Schöttgenii*. Qvæ vero in appendice exhibentur, ea *Johanni van der Hagen* & *Hermanno van de Wall*, V. D. ministris Amstelodamensibus & *Gottfr. Balthas. Scharffio*, Seniori Swidnicensium in Silesia meritissimo, in acceptis ferenda sunt.

Ut ea omnia, qvæ memoratu digna sunt, hic in compendio sistamus, & conditio libri & varietas rerum exqvisita non permittit, qvin delibemus tamen qvædam, temperare nobis non possumus. Sub אבן נאפי *Abennephi*, p. 10. disqvisitio occurrit de autore, an verus an fictus sit? Athanasius Kir-

Kircherus, ubi de rebus ægyptiacis commentatur, sæpius ad hunc provocat, diversosqve tum de mysteriis ægyptiorum, tum de servitute ægyptiaca libros citat. Velschio Kircherus in museo suo librum Msc. inspiciendum dederat. Sed judicavit Ludovicus Maraccius in prodromo ad refutationem Alcorani P: II'. c: IX. p. 29, autorem esse fictum, deqve libri fide dubitavit, Kirchero autem animi ingenui viro pro legitimo venditatum esse censuit. Maturinus vero Veyssiere la Croze librum ab ipso Kirchero latine confictum & ope alicujus ejusdem farinæ nugatoris Arabice conversum statuit. De libro *Jezirah*, qvi Abrahamo tribuitur, agit p. 17. & qvid in eo illustrando Postellus, autor versionis, qvam Pistorius in scriptoribus cabbalisticis dedit, & Rittangelius præstiterit, edisserit. De R. *Abraham ben David* משער אריה *de porta Leonis* agit p. 25. Hendreichius in Pandectis Brandenburgicis (qvem passim emendat v. p. 151. 160. &c.) p. 260. b. eum perperam vocat *Abrahamum Aria*; sed ex epistola Isaaci Vittæ Contarini ad B. Ungerum monstrat: esse id nomen urbis, vicinæ Athenis. De *Aben Esra* multa & accurata exhibet p. 46. P: 71. agit de R. *Aarone Filio Eliæ*, cujus גן עדן bis exstat in bibliotheca Leidensi: Posterius in 4. passim suppletum esse,

esse, ait, ab alia manu. Hoc libro cum aliis potissimum usum esse, ait, *Levinum Warnerum* ad collectanea Karaitica congerenda, qvæ Msc. inveniuntur in Bibliotheca laudata, de qvibus in præfatione dixerat, & in ipso libro identidem porro disserit. p. 93. 94. 141 &c. Alius vero ejusdem liber כתר תורה â cel: J. A. Danzio Jenæ Msc. asservatur. De R. *Elia Levita* germano p. 96. s. multa in clariorem lucem ponit, qvæ tum de eius Patria, tum nomine, loco & tempore emortuali, religione, genio & charactere, ut & libris disputata hactenus sunt. Sub R. *Benjamin Seebh* videre est; qvæ ipsum ratio moverit libro, qvi qvæstiones & responsiones continet, præfigendi titulum בנימין זאב Præter enim allusionem ad nomen voluit innuere, se instar lupi, varia qvæ in libris bonæ frugis invenerit, abripuisse & devorasse. Indicio, qvam crassa sit Judaica Minerva. P. 169. agit de R. *Gedalia* autore libri Schalscheleth hakkabbala notissimo, ubi imprimis ex cl. Schottgenii ad se literis fontes ostendit, ex qvibus sua hauserit, cum per vitam capitis sui juret, se nihil scripsisse nisi qvod in libris excusis aut manu exaratis invenerit. Neqve vero solum Judaicos autores evolvit, sed ex Christianis qvoqve legit Jacobum Philippum Bergomensem, & chronographos

phor qvosdam, qvinimo Ovidium qvoqve citat & קסינופונטי הפלוסופ Xenophontem Philoſophum. Imo Euſebium ejusqve Præparationem, Aqvinatem, Oſorium, Antonium de Gvevarra. De *Kimchio*, qvem Druſius *Camium* Vocat, ejusqve ſcriptis plenior notitia datur p. 188. ſq. Notabilem exhibet narrationem p. 229. de commercio epiſtolico inter *Hugonem Brougthonum & Abraham Ruben* archiſynagogum Conſtantinopolitanum, qva occaſione & libelli alii Anglorum Anti-Judaici enumerantur, ubi Bælius ſuppletur, qvi in articulo Lexici ſui de Brougthono nihil habet de ejus ſcriptis Hebraicis. Ibidem ex *Gregorii Abulpharaji* hiſtoria Dynaſtiarum refert Hiſtoriam & fata Hebatollæ Ibn Malca, qvi ex Judaismo ad Muhamedanismum tranſitum fecit. P. 239 plenior notitia datur de *Victore à Carben* ejusqve ſcripto, in qvo de fatis & moribus Judæorum diſſerit, & qvodnam inter editiones, Colonienſem & Pariſienſem diſcrimen intercedit, & de editione nupera Jenenſi, qvam Cl. Jo. Anton. Strubberg procuravit. De *Iſaaco Abarbanele* multa habet p. 316. ſq. inprimis de *Dialogis ejus de amore*, & qvæ olim de ejus Judaismo, ab aliis in dubium vocato, diſputavimus calculo ſuo approbat. P. 322. de R. *Jehuda Levita F. Schaul*, autore libri *Coſri*, rectius *Coſaræ*

aut *Cusari* agit. Librum hunc a Rege *Cosaræorum*, inter qvem & Judæum *Isaac Sangari*, colloqvium intercessisse in hoc libro dicitur, ita appellatum esse docetur. Itaqve הכוזרי, qvi in ista disputatione sæpe memoratur, esse Regem Cosaræorum, qvod & J. Clericus in Bibliotheca Antiqva & Nova T: XIX. P. I. p. 210. sq. confirmat. Defendit hæc contra Morinum, qvi *Cosroem* hic cogitat, & J. G. Eccardum, qvi nomen ea voce *Cæsar* natum putat, & librum ipsum Sec: IX. sub Carolomanno vel Ludovico Pio ejus filio Judæis favente, scriptum. Recenset libri & editiones & translationes varias. De *Jo. Rittangelio* agit p. 358. sq. & non solum eum nunqvam fuisse Judæum denuo commonstrat, sed & libros recenset, & objectum ipsi ingenium contentiosum. De *Josepho Gorionide* agit p. 387. disqviritqve de hujus ætate, variis editionibus versionibusqve, ut & Mscis, qvæ supersunt. Incidit p. 442. in R. *Jacob ben Ascher* celeberrimum autorem ארבע טורים. Disputat de ætate libri & autoris, atqve solœcismos aliorum plurium circa hujus libri nomen, tum magni alicujus Polyhistoris detegit, qvi vertit per *Dominum montium*, cum בעל הטורים *autorem ordinum*, qvos qvatuor conscripsit, denotet. Elegantissimam & antiqvissimam hujus libri edi-

editionem, qvoad posteriores duos ordines *Ebben Haeser & Choschen mischpat*, dictos, possidet summe reverendus Autor ex bibliotheca Ungeriana acqvisitam, qvæ *Plebisacii* (Piobe de Sacci) vico urbi Patavinæ vicino, prodiit A. 238. C. 1478. f. in membrana. Ad supplendos Annales typographicos spectant, qvæ p. 445. addit: fuisse Judæos, qvi cum codicem hunc inspicerent, contenderent, eum non typis expressum sed manu exaratum esse, ideo scilicet, qvod R. *David Ganz* & alii inter suos typographiæ Judaicæ origines aliqvot annis inferiores esse tradant. Typos, ait, esse luculentos, & sibi invicem ita æqvales, ut hujus generis nulli â manu librarii peritissimi proficisci possint. Referre tamen codicem hinc inde initia Typographiæ Judaicæ indiciis non inficiandis. Plures deinceps editiones hujus libri insecutæ sunt: Soncinatensis, Constantinopolitana, Fanensis, Veneta, Constantinopolitana alia, Augustana, ut & Pragensis atqve Hanoviensis, in qvibus Textus notis instructus apparet. Qvinimo sæpius alibi qvoqve prodiit & Mscta plura supersunt in bibliothecis Uffenbachiana, Senatoria Lipsiensi & Oppenheimeriana. Recenset p. 459. R. *Jac. Jehudah Arje* librum de Structura Templi Salomonis, ejusqve itidem varias editiones

&

& versiones, qva occasione inserit *Jo. Sauberti* scriptum rarissimum unius plagulæ, sub titulo *Grundlicher Bericht* &c. 1665. in 8. editum, & in latinam lingvam translatum. Neqve multo post p. 469. sq. Latinam versionem interpretationis ex *Zeena Ureena* R. *Jacobi Filii Isaaci* germani super sectionem Pentateuchi I. opera *Jo. Sauberti J. Filii* adornatam. *Hendreichii* denuo lapsus multiplices in uno *Isaaco Aboabo* ostendit p. 536. nam ex uno tres formavit *Isaacum Abuhab*, *Isaacum Abuhaf Rabbi* p. 25. a & *Isaacum Auvam* p. 363. De *Isaaco Abarbanele* observat, Cornelium á Lapide ipsum vocare *Barbanellam*, Rhenferdium, harum literarum intelligentissimum, vero Ravanellam. Inqvirit in ejus ætatem; varias *commentarii in Pentateuchum* editiones, inter qvas eminet elegantissima, qvam Cl. Henr. Jac. van Bashuyssen debemus, qvi simul spem fecit edendorum reliqvorum Abarbanelis operum qvatuor in folio voluminibus, nondum tamen hactenus implevit. Recenset ea qvoqve, qvæ decerpserunt qvidam ex ejus scriptis & cum suis refutationibus ediderunt. Addit Stephani Soucieti judicium, qvod exstat in dissertationibus criticis super loca difficiliora scripturæ 1715. Paris. in 4. editis. Præter scripta Rabbinica & Talmudica, ait: sibi visa esse in Abarbanele

loca

loca Aristotelis, Platonis, Plinii, Augustini qvoque. Sed plane diversa est Jonæ Salvatoris, teste Simonio in epistol. sel. T. III, p. 10. de nostro sententia: nam vocare solitus fuit eum: un pur compilateur & un babillard. De R. *Isaac Filio Abraham* loqvi ingreditur p. 544. & libri ab eo confecti חזוק אמונה translationem in lingvam hispanicam editionesqve alias varias enarrat. Præter latinam versionem Wagenseilii, qvæ emendatior in Gussetii confutatione exhibetur, Judæo-Germanicæ versionis meminit editæ Amstelod: 1717. 8. sed qvam Judæi suis legere prohibuerunt. Injecimus jam mentionem *Cantarini*, qvi nostris ex commercio epistolico, qvod cum B. Ungero coluit, innotuit. Hic occurrit p. 563. sub nomine R. *Isaac Chajim* Sacerdotis מחזנים ex Familia *Chassanim* seu *Præcentorum*. Inclaruit scriptis qvibusdam, sed potissimum literis, ex qvibus hinc inde in hac bibliotheca excerpta dantur. Novum ex nomine viri specimen datur lusus Judaici in nominibus propriis. Verum nomen est ר יצחק חיים כהן מחזנים R. *Isaac Chajim, sacerdos ex familia Chassanim.* Ex epistola qvadam ad B. Ungerum data, apparet ratio nominis *Isaaci Vitæ Cantarini*. Nam חיים per *vitam* & חזן per Cantorem seu italica terminatione *Cantarini* expressit. Cujus

posterioris nominis hanc præterea causam exponit in epistola laudata, qvod cum nonnulli ex majoribus voce amœna & cantu Patavii in Synagoga Germanorum valuerint, factum sit, ut & ipsi & posteri ipsorum חזנים i. e. קנטורי Cantores dicerentur. Prolixus & accuratus est in enarrandis fatis R. *Isaac* fil. *Jacobi* אלפסי Alphesi, i. e. Fessani, ut Jac. Rhenferdius recte solet exprimere: ut & recensendo opere אלפסי, cujus & plurimas editiones & restantia tum alibi, tum in ipsa Wolfiana bibliotheca instructissima Msc. enarrat. In Catalogo Thuaneo edit. Hamb. 190. male vocatur *Eliphas*. De R. *Isaac Luria*, cabbalistarum non postremo, ejusqve libro גלגולים seu *de revolutionibus animarum* & agit & excerpta ex eodem producit p. 589. Extat liber in Cabalæ denudatæ T. II. P. III. Tr. II. p. 244. sq. Qvi deliria de *μετεμψυχώσει* Judaica legere cupit, hæc relegat. Occasione R. *Isaac Nathan*, primi inter Judæos Concordantiarum (qvas ס מאיר נתיב ex *Jobi* XLI. 24. nominat,) collectoris multa de Concordantiis hebraicis disqviruntur. In R. *Jekuthiel fil. Isaac Blitz* p. 621. observat: versionem Bibliorum Hebræorum Judæo-Germanicam hoc autore conditam, judice B. Theod. Dassovio propius accedere ad Christianorum expositionem, qvam alte-
ram

ram, apud Athiam excuſam. Occaſione R. *Lipman* Mulhuſini enarrat varias virulenti ſcripti & editiones & codices manu exaratos. Sed hoc nomine & titulo plura Judæorum contra chriſtianos ſcripta & edita ſunt & manuſcripta latent. Exſtat in Bibliotheca Uffenbachiana Codice 126. fol. ſcriptum ejusmodi, plane diverſum ab Hackſpaniano & Wagenſeiliano. Hoc Cl. Majus integrum cum latina verſione pollicetur. Exhibet qvoqve contenta *Mſc. alicujus Luſitanici anti-chriſtiani* ad ſe ſtudio Dni de la Croze delati & in religionem noſtram præ aliis injurii, de qvo plura nos ſperare jubet p. 663. Rara ſunt inter Judæos ingenia & ſcripta critica, occurrit tamen R. *Mair F. Bonbenaſt* ſcriptum criticum ſub titulo אורת אמת & Theſſalonicæ & Pragæ editum. In hoc variæ & emendationes & obſervationes exſtant in libros Judæorum antiqviſſimos atqve præſtantiſſimos. De R. *Menaſſe b. Iſrael* ejusqve & ſcriptis & fatis & conatibus agit p. 703. ſ. De *Moſe Maimonide* p. 771. ſ. ubi præter accuratam & reliqvorum ſcriptorum & imprimis יד החזקה recenſionem, narrationem & verba Abulpharaji Hiſtoriæ Dynaſtiarum p. 257. producit, ex qvibus fata hominis videantur. De *Moſe Nachmanide* agit p. 796. R. *Nechemia Chaija* inclaruit ex controverſia, qvam

ſuia movit de dogmatibus Chriſtianis inprimis Sſ. Trinitatis dudum in Sohare fundatis. Surenhuſius cum aliis motus exinde ortos, & ſcripta contra Nechemiam protruſa Noſter Wolfius enumerant. Liber, in qvo hæc tradit Berolini 1713. in 4. prodiit ſub titulo עוז לאלהים Robur ſit Deo v: p: 829. ſ. Ubi p. 890. de *Aqvila* disqvirit, eruditam Cl. Schöttgenii epiſtolam inſerit: de fragmentis Aqvilæ in Talmude & aliis Hebræorum libris occurrentibus. p. 890. ſ. In articulo de *Raphaele Rabbenio*, Rabbino & Medico Patavino a. 1717. d. 19. menſis Cheſvan defuncto exemplum eſt ingenii præcocis. Ingenio enim & doctrina adeo valuit, ut jam anno ætatis 15. (מורה) Doctoris titulo ſit ornatus. Hunc autorem eſſe judicat Noſter diſſertationis criticæ (in qva contra D. Blaſium Garofalum oſtendit, veterum hebræorum poeſin non rhythmicam ſed metricam fuiſſe) *de Poeſi veterum Ebræorum*, qvæ ficto nomine *Fabriani Realis Patav.* 1709. 4. lingva Italica prodiit. Et conſentientes citat Ephemerides Italicas, qvæ Venetiis prodeunt T. VII. p. 270. ſq. & vid: *Biblioth Hebr* P. II. p. 97. ſ. addit tamen: *Ceterum Rabbenii ſcriptio eam veterum Græciæ Latiiqve ſcriptorum lectionem prodit & à Judaico genio adeo aliena eſt, ut vix crediderim, illam á Judæo aliqvo om-*

omni ex parte profectam esse. Scriptoris potius Itali ingenium referre mihi videtur, cui Judæi larvam induerunt alii. De R. *Schabtai* ita agit, ut & genus & nativitatem, natus autem est Calisii anno 1641. ineunte, & munus Cantoris in Synagoga Pragensi Nov-antiqva eum egisse & reliqva fata atqve obitum doceat. Inter libros Schabtai eminet ista bibliotheca rabbinica, qvæ titulo שפתי ישנים prodiit & de qva jam supra dictum. p. 1004. 8. Sub *Salomone filio Regis Davidis* p. 1033. plenior notitia datur de *clavicula Salomonis* מפתח שלמה, qvæ variis in lingvis Msc. circumfertur, liber est superstitiosissimus & tanto nomine indignus. Germanice prodiit primum qvidem 1626. 4. tum vero *Vesaliæ, Duisburgi & Francofurti* 1686. 4. 32. *pl.* per *Andr. Luppium.* De *Historia Aschmodæi* in Sohar citata ספרא דאשמודאי & Salomoni tributa, it: *Incantatione dæmonum olympicorum, speculo Salomonis, Semiphoras & Schemhamphoras, septem sigillis Planetarum, Præparatione speculi Salomonis, & Cingulo Salomonis* notitia datur ex catalogo Magicorum à *Kühtzio* bibliopola Augustano edito. De R. *Salomone f. Isaaci*, qvi nomine *Raschi* seu *Jarchi* notissimus est, ejusqve scriptis multa traduntur p. 1042. s. occasione R. *Schemuel F. David Jemsel* cognomine *Sancti*, qvi a. 1641. iter in Terram sanctam ingres-

sus est & rationem itineris sui singulari libello exposuit. Particulam itinerarii inserit p. 1081-94. De R. *Schimon b. Jochai* libroqve *Sohar* accurate atqve erudite disqviritur p. 1141. & p. 1166 *Tanchuma* verè esse autoris nomen æqve ac libri docetur.

Seqvuntur p. 1170. f. Supplementa ad notitiam scriptorum hebraic. Anonymorum ad volum. II. p. 1247. sq. Ficta illa *Epistola Synagogæ Toletanæ* ad Judæos Hierosolymitanos de nece Salvatoris nostri, ex Galleria di Minerva a. 1696. f. T: I. p. 323. lingva hispanica & Latina, in qvam translata est â Nostro, integra exhibetur p. 1171. Subjungitur huic notitia ejusdem farinæ epistolæ Hierosolymitanorum ad Judæos Ulmenses & *Richardi Simonis* qvoqve, qvæ â Rabbinis Amstelodamensibus ad *Petrum Jurieum* scripta venditabatur: In qva ostendere conatur: Jurieum in libro *de impletione Prophetiarum* Christianæ Religioni detrimentum, Judaicæ autem præsidium afferre. Pag. 1181. sub titulo דרשות occurrunt Conciones, in initiationem Synagogæ novæ & magnificæ Judæorum Hispanorum & Lusitanorum, qvi Amstelodami commorantur, habitæ, & Lusitanico Sermone conceptæ. Præmissæ sunt figuræ ære expressæ, & ad delineandum ædis habitum pertinentes. Magnitudo vero

&

& ſplendor ædificii verbis ex libro deſumtis enarratur. Ex libro rariſſimo *Taam Hattaamim.* i. e. *ratio rationum*, qvem *Gv. Poſtellus* cum libro *Jezira* in latinam lingvam translatum Paris. 1552. 16. edidit, & p. 31. conſtat, qvædam ſpecimina occurrunt, cum, qvi de Poſtello & ejus ſcriptis libroqve Jezira commentati ſunt, ipſe qvoqve B. *Ittigius*, ejus ne qvidem mentionem faciant. Catalogus *Machſorim* variorum, ex ritu Polonorum, germanorum, hiſpanorum, Synagogæ Romanæ & ſimilium occurrit p. 1200. ſ. Catalogus vero *Tephilloth* exhibetur p. 1223.

Appendix vero, præter *ſpecimen verſionis Pentateuchi Græco-barbaræ* â Judæis factæ, ſupplementum exhibet *lacunæ* libri *Chiſſuk æmuna*, una cum lectionibus qvibusdam variantibus ex Mſc.

Multivarius profecto uſus eſt, qvi ex libro hoc ad eruditos redundat. Nos dabimus ſpecimina qvædam illuſtratæ in eodem paſſim & amplificatæ rei literariæ. *Anti-Chriſtiani* ſcriptores hic paſſim recenſentur, qvi non virulentis ſolum ſed & noviter inventis argumentis Religionem noſtram aggreſſi ſunt. Inter eos referendus eſt *Salman Zevi* Offenhuſanus p. 240. R. *Jehuda Beriel* f. *Blieſer* p. 316. R. *Jacob* aut *Juda Lumbroſo*, cujus *propugnaculum Judaismi* libro qvinto

Hugonis Grotii de veritate R. C. oppositum, Phil. Limborchius in commentario in actus apostolicos sæpius refutavit. R. *Lipman*, de cujus *Nizzachon* multa occurrunt p. 661. cujus tituli & furfuris ibi plures libri afferuntur. *Anonymus* autor libri *Eser Emuna.* i. e. *subsidii Religionis* p. 1210. & alii. Præter vero scripta qvam plurima de rebus moralibus, philosophicis, astronomicis, chiromanticis, rebus matrimonialibus, & casibus conscientiæ, inprimis *medica* magno numero occurrunt. Scripta *Hippocratis* qvem אבוקרא vocant & præcipue Aphorismi & soli & cum commentariis, it: de morbis acutis, Prognostica ejusdem in lingvam suam sæpe transtulerunt & ediderunt v: p. 86. s. nec minus *Averrois* qvædam, p. 12. Inprimis desudarunt, ut *Galenum* vernaculum haberent & commentariis illustrarent. p. 107. Qvid præstiterint ipsi in arte medica vide p. 146. 154. 167. 351. 241. 581. 1003. Inprimis observandæ veniunt *collectiones variæ scriptorum medicorum*, qvæ recensentur in supplementis ad notitiam scriptorum Anonymorum. Præ aliis in arte medica & claruit & multa præstitit *Zacutus*, cujus & fata & scripta medica videri possunt p. 241. s. Si cui volupe esset, *acta philosophorum* amplificare actis ebræorum, notitiam haurire posset de *Avicenna*, p. 6. *Euclide*, p. 83. *Æsopo*, p. 85.

Epicte-

Epicteto, p. 131. *Aristotele*, p. 135. *Ptolemæo*, p. 268. & qvid in illis sive in lingvam hebræam transferendis sive illustrandis præstiterint. Artem qvoqve oratoriam & poesin eos excoluisse videas. Inter poetas *David Jeschurin*, qvi seculo XVII. medio claruit, vocatus est *el Poeta Ninno*, eo qvod â prima adolescentia versus promte & ingeniose fecit p. 197. vide præterea p. 4. 175. 227. 513. Notandus est imprimis *Daniel Levi de Barrios*, qvi non solum *Coro de las Musas*, chorum musicum edidit, varia diversi argumenti poemata, carmina & hymnos complectentem, sed & *Relationem de Poetis & Scriptoribus Judæorum hispanicis* hac eâdem lingva, ad qvam Noster sæpius provocat. v: p. 212. sq. Qvantæ vero accessiones ad amplificandos *annales typographicos* ex hac bibliotheca capi possint, singulæ fere paginæ loqvuntur. Plenius extingvet sitim eorum, qvi talia amant, in supplementis ad Partem II., ubi *de Typographiis Judaicis* aget. Vix ulla lingva tam dissitis in regionibus & tam diversis in gentibus prela habet, qvam ebræa. Nam præter diversas in omni Germania, Polonia, Italia, in ipsa adeo Sicilia (ut Ortonæ v: p. 812.) & in urbe Constantinopolitana & in vicinia hujus urbis, etiam Thessalonicæ & Smyrnæ &c. ebraici libri prodeunt non pauci. *Correctorum* qvo-

qve Ebraicorum notitia passim datur. Functus est isto officio & alias & in editione Talmudis amstelodamensi, qvæ A. 1714. & sq. prodiit R. *Joseph F. Schemuel F. Zevi*, p. 428. R. *Abraham b. Joseph Hamburgensis*, R. *Abraham ben Jechiel*, sacerdos *Furthensis*, p. 38. R. *Aaron Abbas*, p. 80. R. *Jacob f. Chajim*, cujus etiam J. H. Michaelis mentionem facit in præfatione ad Biblia Hebræa, Halæ a. 1720. edita. C. IV. §. 5. vide præterea p. 517. 668. ubi R. *Meir Bonbenast*, qvi se ipsum in calce libri אות אמת correctorem appellat, ut & p. 793. &c. Singularis *Dedicationis* ebræorum specimen occurrit in R. *David Cohen de Lara* Lexico. Inscripsit enim illud præstantissimis inter Christianos Philologis, virisqve Hamburgi honoratioribus, ut & Judæis qvibusdam, qvorum nomina juxta literarum seriem collocata, in limine leguntur. Exemplo inter Judæos raro, si *Menassen ben Israel* exceperis, vel vix qvidem obvio v. p. 198. Occurrunt qvoqve *novæ* inter Judæos ortæ *controversiæ* p. 180. 202. 306. 828. s. Et hæretici alicujus R. *Nehemiæ Chija Chajon* fit mentio p. 40. Clari & adhuc *superstites Judæi* passim prodeunt. *Angelus Contarini* p. 128. R. *Benjamin Wolff*, Wormatiensis, jam Francofurti ad Moenum degens, qvi curam habuit τῶν *Arba Turim*

edit:

edit: 1714. p. 150. *R. Zevi Askenasi* ſcriptis pariter clarus & Amſtelodami jam degens. *R. David Nieto* vel *Neto* patria Venetus, Londinum 1701. vocatus, ut Synagogæ præeſſet p. 202. &c. *Foeminarum eruditarum* exempla proſtant *Beruriæ* p. 164. *Deboræ* uxoris *R. Aſtarelli* p. 176. *Priſcillæ* ex Actorum XIIX. p. 950. *Rebeccæ* & genere & eruditione & ſcriptis claræ p. 986. *Saræ Kophijæ*, de qva multa leguntur p. 1162. *Martyrum*, qvos appellant, & ſcriptorum in eorum memoriam compoſitorum non exiguus eſt numerus. vid. p. 129. 150. 179. 183. 215. 216. 438. 451. 1004. *Inqviſitionis* qvoqve *hiſtoriam* ſuppeditat citatus jam Nieto, ejusqve arcana detegit in libro hiſpanico Londini edito: *Noticias reconditas y Posthumas del procidimiento de las Inqviſitiones de Eſpanna y Portugal.* De ſtatu literario *ſcholæ Patavinæ* v: p. 164. De *Synagoga Amſtelodamenſium* celebri p. 1181. ut & *Academia Charitativa*, qvam *Daniel Levi de Barrios* ſub nomine *Kether Schem Tov* deſcribit, v: p. 201. de *Fraternitatibus*, qvas appellant, *Sacris* p. 213. Hæc, qvæ hactenus diximus, ſatis evincunt, qvantus hebraicarum rerum theſaurus in hac bibliotheca ſit reconditus.

2.

2.

OLAI WORMII, V. Cl. & illustrium ac doctorum Virorum, qvae qvidem repertae fuerunt, ad eum Epistolae. Ex autographis edidit, variaqve subjectis ad calcem notis illustravit JOANNES GRAMMIUS. Cum Indicibus necessariis. Havn. in 8vo.

QVam egregie OLAVS WORMIVS, *Medicus inter Danos ἐξοχώτατος & consummatissimus, scrutator naturae paucis secundus, patriarumqve antiqvitatum vindex & primus & hactenus aliis omnibus superior* (*), non de arte tantum salutari, sed aliis etiam bonis literis est meritus, tam praeclarum ac laudabile est JOANNIS GRAMMII, non Academiae solum Hafniensis, in qva publici Graecarum literarum doctoris spartam summa cum laude ornat, sed totius Daniae eruditae ornamenti, studium, qvo Epistolas, qvas vel ipse Wormius, vel viri docti ad eundem scripserunt, in lucem coepit protrahere. Haud pauca enim in iis lectu ac notatu digna

(*) Hoc elogio insigniuit Wormium B. Jo. Mollerus in Hypomnemat. ad Bartholin. de Script. Dan. p. 359.

digna reperiuntur. Comprehendet autem hoc Volumen, cuius initio, qvod vidimus, annus 1728 praefixus, vt adeo spes sit, fore, vt subsequenti anno grato hoc munere respublica literaria afficiatur, ipsius Wormii Epistolas circiter qvingentas; plures qvadringentis autem Fr. Augustini *AEgani*, Joan. *Andreae*, Enari *Arnfinnii*, Frid. *Arnisaei*, Ivari Jo. *Bangii*, Barth. *Bartholini*, Casp. *Bartholini*, Erasm. *Bartholini*, Thom. *Bartholini*, Casp. *Bauhini*, Jo. Casp. *Bauhini*, Vit. *Beringii*, Franc. *Bertaldi*, Christ. *Bordingii*, Laur. *Bordingii*, Casp. Er. *Brochmanni*, Erasm. Jo. *Brochmanni*, Aug. *Buchneri*, Joach. *Burseri*, Jo. *Cabeljavii*, Bertil. *Canutii*, Pet. *Chanut*, Absolonis *Christophori*, Herm. *Conringii*, Henr. *Custeri*, Cunr. *Dieterici*, Jani *Dolmeri*, Henr. *Ernstii*, Jac. *Finckii*, Thom. *Finckii*, Franc. *de Fleury*, Henr. *Fuirenii*, Casp. *Hammermulleri*, Achillis *de Harlay*, Georg. *Hilarii*, Jo. Dan. *Horstii*, Jo. Melch. *Hypfauff*, Christian. *Johannis*, Arngrimi *Jonae*, Trebonii *Jonae*, Athan. *Kircheri*, Frid. *Klingeri*, Jo. *de Laet*, Wilhelm. *Langii*, Fortun. *Liceti*, Wilhelm. *Lyseri*, Benedicti *Magni*, Gislai *Magni*, Jonae *Magni*, Jacobi *Matthiae*, Nicol. *Mercatoris*, Jo. *Meursii*, Paul. *Moth*, Henr. *Motzfeld*, Jo. *Narssii*, Gabr. *Naudaei*, Carol. *Ogerii*, Magni *Olavii*, Steph. *Olavii*, Gisl. *Otthonis*, Nicol. *Paschasii*, Isaac. Pey-

Peyrerii, Ambros. *Rhodii*, Jo. *Rhodii*, Jo. Conr. *Saurii*, Pet. *Scavenii*, Thorlaci *Sculonii*, Henr. *Spelmanni*, Otton. *Sperlingii*, Steph. Jo. *Stephanii*, Christian. *Stougardii*, Jac. *Swabii*, Jo. *Suaningii*, Brynolfi *Suenonii*, Jani Petraei *Suenstrupii*, Jo. *Terceji*, Casp. Coignet *de la Thuillerie*, Joach. *Timmermann*, Andr. *Toxotii*, Laur. *Vlfeldt*, Jo. *Veslingii*, Jo. Jani *Viburgii*, Pet. Paul. *Vindingii*, Fr. Angeli Aprosii *Vintimigliae*, Willichii *Westhovii*, atqve Pet. *Winstrupii*, ad Wormium perscriptas. In his inuenient Medicinae cultores, qvod medendi arti egregie inseruiat: inuenient vero alii etiam, qvi vel ad sacram, vel humaniorem disciplinam data opera incumbunt, qvod iuuet pariter ac delectet. Sic ὀρθοδοξίας amoris documentum legitur Epist. VI, qvam an. 1616. d. 18 Aug. ad Jacob. Finckium scripsit Wormius, p. 8: *M. JOHAN. CANVTIVS, Episcopus Fionensis, in publicis Comitiis, a qvatuor Regni Consiliariis & reliqvis Episcopis, ob libros, religioni nostrae contrarios, qvos Pastoribus commendaverat, & verba qvaedam, contra Ordinationem Regiam prolata, Episcopatu mulctatus est.* De *Fratribus Roseae Crucis* nonnulla p. 9. habet Wormius, qvi p. 13. judicat, non omnia, qvae de iis dicta, esse meram fabulam. Pag. 12 in Epist. ad Nicol. Fossium 1617. scripta, de celebratione *Jubilaei primi Lutherani* in Da-

Dania & Norvegia peracta, commentatur his verbis: *Jubilaeum Evangelicum per integrum octiduum concionibus & orationibus celebrauimus, idqve tota Dania & Norvegia festitavit serio.* Pag. 19. summis effert laudibus *Casp. Bauhini* Opus *de Hermaphroditis.* Pag. 20. sqq. occurrunt varia, qvæ ad pleniorem eiusdem Bauhini *Theatri Botanici* notitiam comparandam faciunt. Pag. 27 meminit Wormius suarum *Notarum in Hesiodum*, qvae hodie rariores sunt, & vna cum aliorum in perantiquum hunc vatem Annotationibus, in praestantissima Hesiodi editione, a V. Cl. Jo. Clerico, adornata desiderantur. His similia, praeter medica, passim offenduntur. Subiiciam duas integras Epistolas, alteram *Jo. Rhodii*, alteram *Ol. Wormii*, qvas speciminis loco sufficere posse arbitror.

Jo. Rhodius
D. OLAO WORMIO
S. P.

Hafniam.

CLarissime Vir, amice integerrime." Nuperis vestris Non. Aug. tradi-" tis nihil mihi gratius. Animum"

nam-

,,namqve diuturnæ exſpectationis tædio ,,pene maceratum opportune ſublevarunt. ,,Sileo priſcæ meæ voluntatis conſtantiam, ,,cui non in meam tantum epiſtolam, ſed ,,in memet judicii arbitrium ultro conceſ- ,,ſerim. *Bangii* noſtris ſalus mihi anceps ,,foret a ſilentio, niſi ejus meminiſſes, dum ,,in recuperando meo libro ſedulitatem ,,promittis: qvem procul dubio hæredes ,,inter MSS. defuncti ſepoſuere. De *Scri-* ,,*bonio* nunc denuo ad *Elſevirium*, immo ,,ad *Bartholinum* noſtrum, qvem ad ternas ,,meas nihil reſpondiſſe miror. Autorem ,,ſubtili cenſura tua reum ſub aliena per- ,,ſona Philoſophi & Medici liberaliter ex- ,,cuſavi, honorifica tui nominis memo- ,,ria: niſi aliam tibi mentem novero; qvam ,,liberam cupio. Cenſebam qvidem, *Viri* ,,*Clariſſimi* titulo eam initio proponi. At ,,nihil heic æſtimationi adverſum; nihil ,,amicitiæ: ſolius heic polymathiæ argu- ,,mentum, ne qvid in iſta ævi varietate ,,prætericrim. *Scribonium* pari modeſtia La- ,,tiali conſvetudini plurimis rationibus ad- ,,ſerui; qvidqvid *Janus Cornarius*, *Gaſpar* ,,*Barthius* familiaris meus, aliiqve Viri eru- ,,dititiſſimi ſuſpicati fuerint. Noſti aureum ,,*Moſchionis*: *καλὶν φυλάξαι γνησίως παῤ-* ,,*ῥησίαν*. Auctarii beneficium *Acia* mea per-

pe-

petuum agnoſcet, ſi Fibulæ tuæ ſpeciem mi-"
ſeris, Graphii etiam, cujus indicium"
Tho. Bartholino debeo. *Veslingius* noſter qvin-"
qvennium Cairi moratus, exhortatione"
mea *Pullitiem Ægyptiam* meditatur pereru-"
ditam. Singulari cura eam Magnus He-"
truriæ Dux operis inde conductis æmula-"
tus, accuratam furni delineationem in-"
dulſit; qvam ille Memphiticæ ſimillimam"
affirmat. Eundem Auguſtiſſimi Regis no-"
ſtri conatum intellexi. Si qvod ejus veſti-"
gium, rem totam plenius, qvæſo, ex-"
plica. Qvis furni modulus, qvæ foci"
materia, qvæ nationis ac turbæ cura, qvis-"
nam eventus. Totum qvod fuerit, grata"
diligentiæ veſtræ debebit poſteritas: qvam"
honeſtis tibi hactenus devinxiſti laboribus."
Qvod literarum incremento familiæqve"
bono cum Clariſſimis *Finckiis* ut diu fa-"
cias, Deum veneror. Patavii III. Non."
Aug. CIↃIↃCXLIV. "

OLAUS WORMIUS
JOANNI RHODIO.

Patavium.

GRatum mihi, qvod intelligam qvid-"
piam â me profectum, qvod Tibi"
non diſplicuiſſe videam. Securum"

„te esse volo, nihil unqvam mihi antiqvius,
„qvam officiis sinceram constanter fovere
„amicitiam, meque meis totum dicare. Non
„mirum, *Bartholinum* segniorem in respon-
„dendo, cum intelligam Amsterodami,
„ubi per menses aliqvot, immemor rerum
„curandarum hæsit, lecto affixum fuisse &
„ne ad nos qvidem scripsisse. Qvod *Celsum*
„libere a suspicionibus etiam meis vindi-
„caveris, rem te dignam præstitisti, ac eô
„fine hanc ventilavi animadversionem,
„Tibi occasionem ut præberem nihil o-
„mittendi, eo qvod spectaret. Qvocunqve
„modo id feceris, mihi gratum erit, cum
„ab omni partium studio alienum & amicæ
„veritati addictum te semper expertus sim.
„Mitto iconem fibulæ meæ, qvæ ærugine
„obducta, parum distat ab ea, qvam loco
„qvarto inter Menetrianas proposuisti; ar-
„cus minor aliqvanto est, & acus recepta-
„culum latius, ad qvadratum accedens.
„Jungo stylum seu graphium, qvod etiam
„arcum, ejus plane longitudinis & figuræ,
„qvam pictura ostendit. Apex exaran-
„dis, caput delendis notis deputatum fuisse
„videtur, hinc ventre protuberat rhom-
„boideo ferme, ut digitis prementibus fit
„subsidio. Argumentum elegit vester *Ves-*
„*lingius* elegans & curiosum, in qvo si oc-
„cupetur ea cura, qva in reliqvis suis, im-

mor

mortalem vel hoc ſolo polliceri ſibi poteſt" nominis famam. Qvod ad Sereniſſimi" Regis noſtri conatus eo in genere attinet," brevibus referam, qvid mihi de iis conſtet." Anno 1640. menſe Auguſto vocatus eram" Fridericoburgum, aulicis qvibusdam dyſ-" enteria epidemica laborantibus ut conſu-" lerem: Accidit, ut inter prandendum" pulli gallinacei menſæ apponerentur Re-" giæ. Tum ut qværere cœpit Maj. Regia," an qvo pacto excluſi eſſent hi pulli, ſci-" rem; ego gallinæ incubata regeſſi. Ne-" qvaqvam, reſpondit, ſed in furnis pecu-" liaribus more Ægyptiorum: utqve totum" videas artificium, in villam, ubi exclu-" duntur & educantur, a prandio deducen-" dum te curabo, cuncta oculis uſurpare" ut valeas; & artificium mirabere. Qvod" & factum. Ego ubi veni, inveni in con-" clavi ad id deputato ſex furnos ordine lo-" catos, qvorum figura nihil ferme diſta-" bat a furnis vulgaribus in qvibus panes" coqvunt, niſi qvod ante os, focus pecu-" liaris ex laminis ferreis eſſet exſtructus," cum craticula, cui carbones vivi & mi-" nuti incluſi, qvi calorem lentum toti" ſtructuræ ſuppeditabant commodiſſime;" manum enim immittenti blandiſſimus" percipiebatur. In furno cophinus erat" planus, pulvinari mollibus plumis farto"

„ſtratus, qvadraginta aut qvinqvaginta „circiter ova continens. Adſtabat vetula, „ſtipendio conducta, omnium curam ge„rens. Qvæ, cum de tota excludendi ra„tione interrogaretur, reſpondit; ſe pri„mo per candelam ova explorare, fœcun„dane ſint an ſterilia, eaqve ſimul ad nu„merum qvinqvagenarium uni furno im„ponere; focum lentum, qvalem vidi„mus, accendere, eumqve, ne exſtin„gvatur; diligenter curare, ad qvadra„geſimum ferme diem, bis præterea qvo„tidie vertere; ſicqve deſtinato tempore pi„pientes prodire pullos, qvamvis raros „adeo, ut decimum qvodvis ovum vix ex„ſpectationi reſpondeat. Excluſos com„mittit capis, pectore deplumatis, (qvos „eum in finem alit copioſos,) educandos, „qvi officio ſtrenue defunguntur. Hæc tota „eſt operis liturgia. Qvindecim circiter „tum vidi, qvi ad columbinam pervenere „magnitudinem, & paulò ſupra; Verum „referebat Maj. Regia, pullos hoſce ad ju„ſtam magnitudinem pervenire non poſſe, „ob teneritudinem. Qvocirca, qvando „mediocris ſunt conſiſtentiæ, ad culinam „deferuntur, ut de artis naturam imitan„tis potentia diſcurrendi detur occaſio ube„rior, ubi Legati aut Principes exteri „lautius in aula excipiuntur. Non qve-

ſtus

ſtus aut lucri cauſa â Rege hæc inſtituta"
pullatio; decies enim pluris conſtat,"
qvam ordinaria naturæ: ſed qvia ipſe"
hunc modum invenit, qvo in Ægyptio-"
rum artificium inqvireret, eo haud pa-"
rum delectari ſolet. Cæterum, dum cu-"
rioſius ſingula luſtro, petii facultatem"
mihi concedi, unum aut alterum ex ovis,"
qvæ per qvatuordecim circiter dies furno"
erant incluſa, frangendi: renuit primo"
vetula, juſſa tamen ab iis, qvi me eo"
deducebant, bina exhibuit. Alterum dum"
frangerem, putridum plane erat, in al-"
tero evidentia ſatis alitis apparebant li-"
neamenta, oculi inprimis & capitis. Hæc"
ſunt, qvæ de Danica pullatione tibi nar-"
randa habui. Si alicujus uſus *Veslingio* ve-"
ſtro fuerint, gaudebo me etiam ſymbo-"
lam qvalemcunqve tam præclaris auſibus"
contuliſſe. Vale. Hafn. 15. Septembr."
1644."

De *Notarum Grammianarum* praeſtantia eo minus dubitandi relinqvitur locus, qvo certius eſt, huius viri ſcripta eruditionem ſapere & ἀκρίβειαν minime vulgarem.

3.

Virorum Clarissimorum ad GVNTHERVM CHRISTOPHORVM SCHELHAMMERVM Epistolae Selectiores, Rem Litterariam, Philosophiam Naturalem ac Medicinam potissimum spectantes. Recensuit, simulqve Vitam Schelhammeri, cum Indice scriptorum eius, tam editorum, quam prelo destinatorum & promissorum, quorum occasione simul controversiae, quae illi cum J. C. Sturmio & B. Ramazzini obtigere, breuiter enarrantur, variaque Eruditorum de iis judicia inseruntur, vna cum Programmate Celeb. J. B. Maii inuitatorio, praemisit CHRISTIANVS STEPHANVS SCHEFFELIVS, Medicinae D. & adhuc Practicus Vismariensis, jam vero designatus Professor Ordinarius Regius in Academia Gryphiswaldensi. Vismar. & Sund. 1727. 8. Alph. I. pl. 5.

ELegans hoc qvoqve est opus epistolicum, ex quo ad lectorem vtilitas non spernenda, ad editorem laus insignis redundabit. Epistolographi sunt Jo. Pet. *Albrecht*, Jo. *Bohnius*, Jo. Eberh. *Busman-*

mannus, Dan. *le Clerc*, Casp. *Cörberus*, Jo. Mich. *Febrius*, Georg. *Francus a Frankenau*, Georg. Frid. *Francus a Frankenau*, Melch. Frid. *Geuderus*, Sam. *Grassius*, Jo. Henr. *Heucherus*, Vrban. *Hiärne*, Jo. Maur. *Hoffmannus*, Pet. *Hotton*, Godofr. Guil. *Le bnitius*, Jo. Jac. *Mangettus*, Sam. Gotth. *Manitius*, Henr. *Meibomius*, Christian. *Mentzelius*, Jo. Nicol. *Pechlinus*, Frid. *Ruyschius*, Casp. *Sagittarius*, Jo. Andr. *Schmidius*, Luc. *Schroeckius*, Jo. Phil. *Slevogtius*, Jo. Georg. *Volckamerus*, Rud. Christian. *Wagnerus*, Georg. Wolfg. *Wedelius* & Jo. Paul. *Wurffbainius*, qui vti haud omnes Medici, ita etiam non sola Medica in his Epistolis, numero 109, offendimus, titulumqve recte fomatum esse censemus. *Schelhammeri* Epistolas (praeter vnam responsoriam ad Wedelium, p. 159 sqq obuiam) in hac collectione non inuenimus: praemissa autem eidem est a doctissimo editore Vitae, meritorum ac scriptorum ipsius prolixa & accurata recensio, per solemnem Orationem pro rostris Academicis Kiloniensibus an. 1717 d. 10. Mart. habitam, & praeclaris deinceps accessionibus locupletatam, facta; quam in compendium missam hic repetere, operae erit pretium.

Lucem aspexit *Schelhammerus* Jenae an. 1649. d. 13 Mart. patre *Christophoro Schelhammero*,

mero, Hamburgensi, Med. D. & Prof. Jenensi celeberrimo; matre *Catharina Elisabetha Plathneria* prognatus. Perceptis Graecarum ac Latinarum literarum rudimentis, quindecim annos natus ad medicam artem adiecit animum, *Jo. Arnold. Fridericum, Georg. Wolfg. Wedelium*, & *Guern. Rolefincium*, Medicos clarissimos, in Academia patria fideles nactus praeceptores. Eadem gauisus est felicitate in Academia Lipsiensi, quae magni nominis Medicum, *Joan. Bohnium*, simulqve viros doctissimos, *Val. Alberti, Jo. Adam. Scherzerum* & *Jac. Thomasium*, Philosophiae isto tempore Professores, ipsi doctores praebuit. Jenam deinceps reuersus, non solum auspiciis potissimum *Rolfincianis* studium Medicum continuauit, verum etiam duce *Erh. Weigelio* Mathesin strenue excoluit. Egregie sic perpolito nil restabat, quam vt itinerum qvoqve subsidio vteretur. Visis autem variis Germaniae Vrbibus & Academiis, adiit Belgium, quod cum eo tempore inuasisset Gallus, ac Lugdunenses etiam non parum de eodem fato ipsis impendente essent solliciti, ceteris ciuibus Academicis arma pro salute vrbis illius capientibus, etiam noster ad similem defensionem se accinxit, quin imo in vigiliis, in stationibus inqve aliis exercitiis militaribus ea se gessit constantia & ala-

alacritate, vt ſtrenuum Palladis armatae ciuem decuit (*). Belgico itineri ſucceſſerunt Anglicum, Gallicum & Italicum: omnia ea felicitate confecta, vt diligenter auditis & conſultis praeſtantiſſimis artis medendi doctoribus, luſtratis hortis medicis & noſocomiis, nihil fuerit intermiſſum earum rerum, quibus ſcientia medica, & aliae, eandem iuuantes, naturalis praeſertim, potuerint amplificari. Conſtitutus an. 1697 Botanices in Academia Julia Profeſſor extraordinarius, magni nominis viri, *Hermanni Conringii*, filiam, *Mariam Sophiam*, duxit in matrimonium, ex qua tres ſuſcepit filias, *Annam Sophiam*, viri perquam generoſi ac ſtrenui PAVLSSENII, Claſſiariorum, quos Tychopoli alit potentiſſimus Danorum Rex, & rei naualis Praefecti ſupremi, vxorem; *Henricam Mariam*, D. MARTINI CHRISTOPHORI BVRCHARDI, Medicinae olim in Academia Kilonienſi Profeſſoris extraordinarii, hodie apud Roſtochienſes ordinarii & Ciuitatis Phyſici, viri magnis dudum meritis inclyti, coniugem; & *Juſtinam Juliam*, in ipſo aetatis flore an. 1707. d. 30. Nov. extinctam, quarum vel ideo conſeruanda memoria, quoniam doctarum femina-

(*) Vid p. 29.

narum numerum adauxerunt (*). Juliam an. 1690. cum Salana Academia permutauit, qvae tamen hoc decus suum non retinuit, sed an. 1695. illud cedere debuit serenissimo ac celsissimo Principi, CHRISTIANO ALBERTO, qui de Academiae Kiloniensis incrementis solicitus, eundem *Jo. Dan. Maioris* successorem declarauit. Reliquit itaque patriam, & non solum Academiam Recuperatorum in Italia, ac Naturae Curiosorum in Germania, in vtramqve an. 1679. cooptatus, sed potissimum Academiam Cimbricam, omnes Medicinae partes fidelissime docendo, insigniter ornavit adeo, vt, an. 1716. d. 11. Jan. defunctus, immortalem gloriam relinqueret. Hanc conseruant feliciter felicissimi ingenii monumenta, quorum, praeter multas Observationes, Ephemeridibus Naturae Curiosorum insertas, editorum 50, ineditorum 34. accurate, additis variis notabilibus, recenset Scheffelius p. 46-97. Inter edita sunt *Introductio in Physiologiam*. Helmst. 1681. 4. *Liber de Auditu*. Lugd. Bat. 1684. 8. *Oncologia, seu de Tumoribus humani corporis, eorumqve legitima curatione liber, ad recentia verioraque dogmata accommo-*

(*) De Filiabus Schelhammeri Scheffelius p. 30. *Illud*, ait, *in his prorsus singulare atque eximium erat, qvod optimarum artium linguarumque studiis* [illegible]*butae vel cum doctissimis certare potuerint.*

modatus, nouaque methodo adornatus. Jen. 1695. 4. *De Natura Liber bipartitus.* Kil. 1697. 4. *De Motu Mercurii in Tubo Torricelliano.* Kilon 1699. 8. *Analecta Anatomico-Physiologica in breves Theses congesta.* Kil. 1704. 4. *Commentatio de Nitro cum Veterum, tum Nostro.* Amstel. 1709. 8. *Via regia ad Artem medendi, praeceptis & exemplis munita, & in decem stadia distincta.* Kil. 1709. 4. *De humani Animi Affectibus, eorum ortu, caussis & inde expectandis in corpore bonis malisque Disquisitio.* Kil. 1713. 4. Inter inedita eminet magnificum opus, *Vniuersam Medicinam demonstratiuis fundamentis innixam*, complectens, cuius σκιαγραφίαν, a laudato BVRCHARDO, dignissimo magni Soceri Genero, qvi illud inter κειμήλια sua asseruat, suppeditatam, p. 79-93. legere licet. Reliqua, copiose a Scheffelio scripta, hic repetere, chartae angustia non permittit.

Tantum autem virum a viris celeberrimis dignum fuisse iudicatum, quocum literarium colerent commercium, nemo facile mirabitur. Inde vero vti olim Schelhammerus, ita nunc etiam orbis literatus capit commoda, dum selectioribus Epistolis ad Schelhammerum scriptis gaudet. In iis etsi permulta sint physica ac medica, occurrunt tamen etiam, quae aliarum disciplinarum studiosis & jucunda sunt & vtilia.

Sic

Sic pag. 139. sqq. de *rhythmis in Poesi Germanica,* itemque de *genio poetico Morhofiano* disserit J. P. Slevogtius. Pag. 153. de *Sylvio* judicium est Wedelii, *illum plus ingenio indulsisse, & res hypothesi, quam hypothesin rebus applicasse magis.* P. 165. de *Botanicis Anglis* judicat Mentzelius, quod acu rem non tetigerint. P. 168. sq. Slevogtius, *Pfannerum* esse auctorem scripti, quod vocatur: *Pufendorfius modestiae admonitus;* & Pufendorfium in Epistola, ad imitationem epistolarum Obscurorum Virorum, sub *Nicolai Becmanni* nomine edita, Pfannerum *Tobiam de Sartagine* appellasse, refert, simulque acri Pufendorfium censura persequitur. Pag. 274. sq. de genuinis *fundamentis physicis, ad Deum ducentibus,* nonnulla affert Wedelius, eorundemque vsum in sanctiori disciplina agnoscit atque commendat. Idem pag. 176. haec, ad *Medicorum Theologorum* notitiam spectantia, scribit: *Vidi his diebus JANI PHILADELPHI scriptum de optima Christianorum Secta: lege, & mecum judicabis, auctorem nullum alium esse, quam PECHLINVM nostrum. Et haec est clauis forsan eorum, quae de illo retulerunt, siquidem in sacris occupari voluit quod idem praesto adeo, vt soleam dicere, si nossem, me Professione ista beatum fore, vel aliquid prodesse posse, non dubitauerim ex professo Theologiam tractare.* Pag. 184. dicit Meibomius, se in *Variolis* curandis

dis feliciſſimo effectu illos ſecutum eſſe, qui fixis potius, quam volatilibus ad expellendum vtuntur. Pag. 189. ſq Jo. Eberh. Busmannus odium ſuum in *res hodiernas Romanenſes* ſignificat, &, Roma redux, mentem declarat hoc diſticho:

Roma vale: vidi: ſatis eſt vidiſſe: reuertar
Cum leno aut meretrix, ſcurra, cynaedus ero.

Conf. p. 195. Idem p. 190 *Alcorani* Latine a *Danzio* vertendi, mentionem iniicit. Medicorum cum ſumma paupertate conflictatorum, *Amanni* p. 191 Meibomius, p. 194 *Beetvvinckelii* (*) Busmannus meminit, qui l. c. ex iis, quibus Galenus dedit opes, *H. Meibomium* nominat. Pag. 198. ſqq. 203. ſqq. occurrunt, quae ad *Hiſtoriam Academiae Naturae Curioſorum* ſpectant; quemadmodum ad *Hiſtoriam Pietiſticam* pertinentia p. 202. 224. 226. ſq. 246. 254 ſqq. leguntur. Pag. 212. perſonati *Realis de Vienna* conatus a Meibomio diiudicantur, ſimulque verum eius nomen, *Wagnerus*, adducitur. Ibidem a Meibomio, & p. 215. ſq. a Scheffelio *Conringius* defenditur. Pag. 221. de *Pechlini* ſcriptis ſic judicat Geuderus: *Pechlini ſcripta mihi ſemper nectar & ambroſia fuere: habent enim, neſcio quid, animum lectoris alliciens, faſcinans & oblectans.* Pag. 225. refert *Georg. Francus*, ſe horis ſubſeciuis varia de *Vitis*

(*) Vid. etiam pag. 214.

Vitis Medicorum, *Chirurgorum ac Pharmacopoeorum* congessisse. Conf. p. 229, vbi etiam similem *Jo. Henr. Meibomii* laborem collaudat. Pag. 230. sq. de *Busmanni*, Professoris Helmestadiensis, moriendi desiderio singularia narrat Meibomius. Pag. 234. de *Velschio* annotat Geuderus, quod *Obseruationum Medicarum* consignationem rem salario dignam peculiari pronunciarit, & de *Wepfferi*, nec non p. 235 de *Brunneri* Observationibus differit. Pag. 239. sq. indicat *Casp. Sagittarius* Defensionem, quam moliatur, *Censurae Diplomatis Ludoviciani*, a Conringio egregie scriptae, ab Anonymo autem Pontificio turpiter impugnatae. Pag. 245. 253. de *Jahnia*, femina fanatica Halberstadiensi, & *Krazensteinio*, eiusdem furfuris homine, nonnulla a Corbero scripta reperiuntur. Eiusdem est judicium de *Hardtio* pag. 246: de *Thomasio* p. 275. De *Petersenio* in Academia etiam Helmestadiensi refutato vid. p. 248. 254, vbi a Cörbero observatur, quod scriptum Anti-Persenianum, sub *Klingspornii* nomine euulgatum, *Niemeierum* auctorem agnoscat. Pag. 256. sqq. *Aristotelicam Philosophiam* defendit *Cörberus*, simulque *Lutheri* de Aristotele judicium expendit. Pag. 283. Georg. Franc. de Frankenau *Wolfgangi Justi Chronologiam Medicam* vocat *librum mole quidem*

par-

parvum, sed utilem & rarum; pag. autem 284. sq. recenset summorum Virorum celeberrimorumque *Chemicorum Epistolas* autographas ad *Josephum Quercetanum*, qui ipsi audit *Gallorum Chemicorum Patriarcha*, earundemque editionis spem aliquam iniicit. Pag. 287. hoc de *Malebranchiana controuersia* Gallico sermone fert judicium Pechlinus: *Le Pere Malebranche est grand raisonneur, & a bien poussé son esprit, comme de méme Mr. Arnaud, qui se sont attaché l'un à l'autre. C'est une Quint-Essence du fin; dont ces Messieurs jouent & se jouissent. Et dans ces Disputes il n'y a rien, que j'admire le plus, que les forces & les excellences du genie humaine, qui s'egarent pourtant bien du veritable centre & se perdent en rafinant.* Pag. 299. sq. & 313. *Franciscus Mercurius Helmontius*, tanquam Medicus impostor, a Georg. Franco de Frankenau & Jo. Paul. Wurfbainio notatur. Pag. 301. a citato Franckenavio laudatur Aulae Hafniensis munificentia, qua *Weigelio* pro Pancosmo Cupreo 3000 imperiales soluerit. Pag. 302. sq. praedicat Daniel le Clerc *Schelhammeri* librum *de Natura*, refutat Malebranchii & Helmontii de *motu* opiniones, suam vero proponit sententiam his verbis: *Je me trouve convaincu, qu'il y a une loix eternelle & immuable, qui regle les mouvemens de la matiere dans la formation du corps des animaux, & que*

cete

cette loix ne peut etre autre chose, que le FIAT, que le Souverain Etre a prononcé, lorsqu'il a tiré l'univers du neant. Pag. 304. sq. de *Reyheri Cogitatis de Calendario* scribit Jo. Andr. Schmidius. Pag. 300. sq. de *Jacobi Hölstii*, Medici quondam Husumensis, dein Tönningensis, *Commentario in Celsum* quaedam affert Pechlinus: clarissimus autem harum Epistolarum editor in subjecta nota illud etiam commemorat Specimen, quod e Codice Krysingiano Athenarum Lubecensium Parti III. a me insertum. Pag. 317. judicia Pechlini de *controuersia* astrologica *Hannemanno-Sturmiana*, nec non *Hugenii Vranoscopo* leguntur. Pag. 322. sq. mira de *Buchingero* scribit Franckenavius: *Nudius quartus nuptias hic celebrauit* ἄχειρ *iste &* ἄπους *Buchingerus, de quo ante biennium Posthii, Berolinensis, epigramma ad Collectores novorum literariorum Lubecenses* (*) *misi. Iste nihilominus literas affabre scriptas ad Regem, Reginam, Fratresque & Sororem Regis dedit, quibus ad nuptias inuitauit, quas cum stupore vidi & legi.* Pag. 325. *Euangelium Medici*, quod *Connor* edidit, a Pechlino pro *lusu ingenii* habetur. Pag. 334 sq. breuis recensio Tractatus *de Aure*, quem conscripsit *Anton. Maria Valsalva*, Anatomicus Bononiensis, auctore Bohnio, reperi-

(*) Ab his Epigramma Posthianum insertum est Nov. Liter. Mar. Balth. 1701. p. 75.

peritur. Pag. 341. 346. sq. ab Vrbano Hiärne ac P. Hottono *Pechlini* mors deploratur, eiusque laudes decantantur. Inter alia p. 347. scribit Hottonus: *Huius viri* (Pechlini) *multa ac varia eruditio, cultus in sermone, ingenium perspicax, acre, acutum, elegans, pridem mihi commendatissima.* Pag. 370. sqq de *ingenio Gallorum* egregie differit Heucherus, quem Medicum elegantissime doctum olim in Academia Wittenbergensi me audiuisse, nunquam poenitebit.

Pluribus non erit opus ad demonstrandum, Epistolas has esse dignas, quae ob varia, quibus instructae sunt, commemorabilia perlegantur, atque idcirco magnam tum a Medicinae ac scientiae naturalis cultoribus (his enim pleraque vsui esse possunt), tum ab aliis, gratiam haud dubie iniisse celeberrimum editorem, qui vt Academiam Gryphicam, simulque orbem eruditum, diu ornet, candide vouemus!

VII.

Nova Literaria.

WISMARIÆ

Qvi Lyceo nostro hactenus non sine laude præfuit, M. HERMANNVS SAMVEL REIMARVS, Rector, Hambur-

gum vocatus est ad obeundam Prof. LL. OO. in Gymnasio spartam.

ROSTOCHII

D. XXIII. Aprilis hujus anni Dissertationem Theologicam *de Hypotyposi sanorum verborum juxta II. Tim. I. 13. piesanctèqve servanda*, Præside FRANC. ALB. ÆPINO, SS. Theol. D. & Prof. Ducali Publ. publico examini exposuit *Franciscus Meyer*, Lubecensis, 10½ pl. Tribus ea Sectionibus constat, Exegetica, Aphoristica, & Polemica.

D. VII. Junii Præside D. ERN. JOACHIMO WESTPHALIO *de Stoa Jureconsultorum Romanorum ejusqve Historia & ratione* disputavit Autor-Respondens *Joan. Heinricus Eggerdes*, Rostochiensis, 9½ pl.

D. XXII. Nov. eodem Præside D. WESTPHALIO Dissertationem habuit *Christianus Frid. Fischerus*, Lubecensis, *de Origine & fontibus Juris Lubecensis, ejusqve usu, autoritate, elogio & subsidiis*. 11½ pl. In hac Dissertatione, qvæ erudita & memorabilia multa complectitur, inter alia §. XIII. p. 66. sq. exhibentur præsidia & Scripta Juris Lubecensis literaria, qvorum sive ineditorum sive editorum Catalogus seqvens sistitur:

Ine-

Inedit.

I. *Lamberti Steinvviegii*, Consulis Sundici, Annotationes in Jus Lubecense.

II. *Francisci Stypmanni* Differentiæ Juris Lubecensis & communis.

III. *Caspari Thurmanni* Meletemata juridica Meklenburgica & Lubecensia.

IV. *Henrici Camerarii* projectirtes und mit dem Jure Lubecensi conferirtes Rostockisches Stadt-Recht.

V. *Anonymi* Annotata ad singulos libros Juris Lubecensis ex praxi Lubecensi.

VI. *Petri Tornovii* Deductio Juris Lubecensis in Materia de Communione bonorum inter Conjuges.

Edit.

I. *Joachimi Kollii* Lübisches Recht-Buch, Hamburgi 1586. 4.

II. *D. Jo. Sibrandi* Centuria I. differentiarum Juris civilis & Lubecani, Rostoch. 1615.

III. *Ejusdem* Urbis Lubecæ & Anseaticarum nec non Imperialium civitatum Jura Publica enucleata, Rost. 1619. 4.

IV. *Dav. Mevii* Commentarius in Jus Lubecense 1642. 4. 1664. fol. 1679. f. 1700. f.

V. *Friderici Movii*, Stralsundensis, J. V. L. Differentiæ Juris communis & Lu-

becensis, ex Mevii Commentario excerptæ, Sedini 1669. 12.

VI. *Joach. Gv. Rangonis* Diss. de Concordantia Juris Lubecensis cum communi & Svecano, Gryphiswald. 1697.

VII. *D. Ludvelli* disp. de Successione Lubecensium, Respondente *Dn. Scheffelio*, Wismariensi, Altorffi 1660.

VIII. *Henrici Cocceji* Discursus juridicus praxi accommodatus ad Tit. 2. Lib. 2. Juris Lubecensis de Successionibus ab intestato & hæreditatis divisione. Respondente *Dn. Jo. Köne*, Lubecensi, Heidelbergæ, 1684. recusus 1706.

IX. *Andreæ Bilderbeckii* Diss. de Juris Lubecensis differentiis á communi Romano, Heidelbergæ 1672.

X. *D. Frid. Gerdesii* sesqvicenturia præcipuarum differentiarum Juris communis & Lubecensis, Respondente *Christoph. Stypmanno*, Gryphisw. 1574.

XI. *Sam. Stryckii* Collatio Juris Communis & Lubecensis ad methodum Institutionum, Resp. *Dn. Ant. Sam. Sonnemanno*, Extat in Volum. II. *Dispp. Stryckianarum Francofurtensium*, Num. XXI.

XII. *Jo. Amselii* Dissertatio de Rationabilitate Canonis Lubecensis: Hand muss Hand wahren. Regiomonti 1698. Respondente *Dn. Wolffio*, Lubecensi.

XIII.

XIII. *Ejusdem* Diss. de Con- & Disconvenientia Juris Civilis ac Lubecensis circa hæreditatem ab intestato. Regiom. 1701. Respondente *Dn. Dan. Conradi*, Elbingensi Prusso.

XIV. D. *Sam. Frid. Willenbergii* Disp. de abusu canonis: Hand muß Hand wahren, Gedan. 1707.

XV. *Ed. Ludovici Kundenreichii* Dissertatio inauguralis de obligatione mulierum ex Statuto Lubecensi, Altorfi 1685.

XVI. D. *Gotfr. Christ. Goetzii* Diss. de Æqvitate Juris Lubecensis, Resp. *Dn. Andrea Langio* Lips. 1703.

XVII. *Justi Henningii Böhmeri* Diss. de Prudentia Legislatoria Juris Lubecensis in materia Successionis Testamentariæ. Halæ 1708. Respondente *Dn. Grote*, Holsato.

XVIII. *Georg. Adolphi Canocii* Sylloge 1. 2. 3. & 4. Positionum Juris communis cum Lubecensi collatarum juxta Seriem Tit. ff. usqve ad Tit. ff. de Reivindicatione. Gryphisw. 1705. & 1706.

XIX. *Pauli Kochii* Specimen Collatarum Differentiarum Juris Romani, Saxonici, Statutariiqve Civitatum Bremensis, Hamburgensis, Oldenburgensis & Verdensis, serie alphabetica collectum & dispositum, Bremæ, 1676. 12.

XX. *Jo. Sam. Stryckii* Disp. de Privilegio Appellationis Lubecensis. Halæ 1708.

XXI. *Anonymi* Entwurff und Anleitung zum Lübschen-Recht/ worin zugleich die im Anseatischen Seerecht nicht berührte Articuln des Lübschen Seerechts erkläret/ und etliche der fürnehmsten Streitigkeiten übers Lübsche-Recht ausgeführet werden/ nebst einem Anhang von der teütschen Jurisprudentz überhaupt. Greiffswald 1714. 4.

XXII. *Reinholdi Kurikii* Jus maritimum Hanseaticum è LL. Germanicis translatum, cum commentariis & Dissertationibus. Accesserunt Diatriba de Assecuratione, & aliæ qvæstiones. Hamburgi 1567. 1672.

XXIII. *Andreæ Langii* Introductio in Notitiam Legum Nauticarum. Lub. 1713. 8.

XXIV. *Jacobi Friderici Pforthusenii* Specimen differentiarum Juris Communis & Lubecensis criminalis, præside *D. Georg. Wilh. Dincklero*, Lips. 1722.

XXV. *D. Franc. Ern. Vogtii* Diss. de Communione bonorum inter Conjuges ejusqve effectu secundum jura Lubecensia, Kiliæ 1722.

Mense Januario M. JOH. BEN. DRAGHEIM, Dantiscanus, Præses, Respondente *Nathan. Frid.* Tuchel/ Dantiscano, Disputatione

tione Academica *prægnantia Juvenalis loca ex antiqvitate* illustravit, 3. pl.

GEDANI.

D. III. Jul. h. a. Disputationem Theologicam *de Remissione peccatorum ministeriali* ad Joh. XX. 21-23. exhibuit JOH. GEORG. ABICHTIVS, SS. Theol. D. & P. P. Athen. Rector, & ad Æd. SS. Trin. Pastor, Respondente *Martino Borck* Rügenwalda-Pom. 4½ pl.

D. x. Jul. *de Christo regnum suum ingrediente* ad Matth. XVI. 28. disseruit CAROL. LVDOVICVS HOHEISEL, Græcæ & OO. LL. Prof. Publ. Ord. respondente *Jac. Gottlieb Meyer*, Belg. Pom. 3. pl.

D. XXVIII. Augusti *de Pactis antenuptialibus*, von denen vor der Ehe getroffenenen Eh-Packten / disputavit D. SAM. FRID. Willenberg / I. V. ac Hist. Prof. Publ. Respondente *Joh. Christiano Bucky*, Gedan. 9. pl.

D. x. Octobr. Exercitationem Physicam *de Lapidibus* sub Præsidio JO. ADAMI KVLMI, Med. D. ejusd. & Phys. P. P. O. atqve Acad. Nat. Cur. Sodal. defendit *Christian. Frid. Charitius*, Gedanensis. 1. pl.

JO. DAN. KICKEBVSCHIVS, S. Theol. Baccal. commentationem edidit *de Beatitudine Philosophica, qvatenus eadem viribus humanis obtineri potest*, 4to. 5. pl. et

M. JOH. BEN. DRAGHEIMIUS Meditationes Philosophicas *de Mundo*, 4to. 4½ pl.

VPSALIÆ.

In locum Dn. M. ANDREÆ PALMROT, ann. 1725. d. 4. Dec. pie defuncti, Bibliothecæ Academicæ præfectus est Vir Maxime Reverendus, & peregrinis qvoqve oris cognitus, Dn. GEORGIUS WALLIN, Theol. D. & Regiæ Majestati á Concionibus.

Superiori anno prodierunt: *Runæ Medelpadicæ, ab importuna crisi breviter vindicatæ. Auctore O. C.* (OLAO CELSIO) 4to. 4½ pl. Vindiciæ istæ directæ sunt adversus ERICI JULII BOERNER, Reg. Antiqv. Arch. Transl. *Prodromum tractatuum de Geographia Scandinaviæ veteri, & Historiis Gothicis: exhibentem succinctum judicium de Scythiæ, Svethiæ, & Gothiæ etymo, ut & Runarum in cippis Helsingicis ac Medelpadicis inventarum ætate, usu atqve explicatione*, Stockholmiæ 1725. 4. 7. pl.

Sub initium anni 1726. jubente Reverendissimo & Eminentissimo Dn. MATTHIA STEUCHIO, S. Theol. Doctore, Archiepiscopo Upsalense, Academiæ Pro Cancellario, ac Consistorii Præside, in Synodo anniversaria diebus 8. & 9. Febr. dispu-

tationem Theologicam *de Fide* publice ventilavit ERICUS M. MELANDER, Fac. Theol. Adj. & Past. in Näs, respondentibus Viris pl. Reverendis Dn. ERICO WRETMAN, Pastore in Oregrund, Dn. CAROLO ECKSTEDT, Pastore in Holm & Kulla, & Dn. ERICO NORRELIO, Past. in Ferntuna & Hillesh. 7½ pl. 4. Sectione II. Elenctica §. XVIII. p. 49. hæc leguntur: Non ignoramus etiam alias de" fide controversias, &, qvod magnopere" dolemus, intra Ecclesiæ Evangelico-Lu-" theranæ pomœria, non cum exigua illius" macula, recentiori hoc ævo motas fuisse;" sed cum illæ partim ad articulum de justi-" ficatione præcipue spectent, partim spi-" nosam magis subtilitatem qvam solidam," & necessariam cognitionem redoleant;" qvalis illa censeri potest, qvam Jo. Jac." Mullerus non ita pridem movit auctori-" bus Relationum Innocuarum, de objecto" & actibus fidei, realibus an mere inten-" tionalibus: illis merito abstinemus, ac" pro instituti ratione ad alia properamus."

D. XVIII. Maj. præteriti anni Præside Jo. H. Hermansson / Eloqv. & Polit. Prof. Reg. & Skytt. *de effectibus avaritiæ* disputavit *Nicolaus* Spak / Wermelandus, 3½ pl. 8.

D. XXI. Maj ejusdem anni Dissertationem *de Ritibus Nuptiarum apud Veteres Sveo-Gothos*,

& qvidem partem priorem, sub moderamine JOHANNIS Hermansson modo dicti exhibuit *Johannes Lucæ Kammecker*, Stockholmiensis, 7 pl. 4.

D. XXIV. Maj. ej. ann. partem posteriorem Dissertationis *de Stockholmia urbe Svio-Gothorum principe*, præside M. FABIANO Törner, Eloqv. Prof. Reg. & Ord. evulgavit *Adolphus Johannes Grundel*, Stockholmiensis, 4. pl. Pars prior prodiit eodem auctore sub præsidio LAVR. ARRHENII, Hist. Prof. Reg. & Ord. Upsal. 1724. d. 5. Sept. 7. pl. 4.

D. III. Jun. ann. memorati specimen academicum *de Eremitis* sub præsidio LAVRENTII ARRHENII, Hist. Prof. Reg. & Ord. publico bonorum examini submisit *Ericus Afzelius*, W-Gothus, 3. pl. 8.

D. XI. Jun. ej. ann. dissertatione Historica *Fata Scaniæ Provinciæ Svioniæ*, sub moderamine M. FABIANI Törner, exposuit *Petrus Schenberg*, O-Gothus, 3½ pl. 8.

Anno currente 1727. qvæ habitæ sunt Disputationes, ad manus nostras pervenere seqventes:

D. IV. Febr. *de Judæis, eorum Arca & Cimeliis*, Præs. OLAVO CELSIO, SS. Theol. D. & LL. OO. Prof. Reg. & Ord. nec non P. & P. in Börje, Resp. *Johann. Pratenio*, Johansson, Dalekarlo, 2. pl. 8.

D.

D. xv. Febr. *De Vario variorum juris naturæ fundamento*, Præs. M. FABIANO Törner/ Resp. *Dan. Walanger*, Angermanno, 3. pl. 8.

Eod. mens. Febr. Dissert. Physica *Græs-Oeam repræsentans*, Præs. LAVRENTIO ROBERG Med. D. Theor. & Pract. Prof. Ord. Resp. *Adamo Werner*, Jemtio, 3. pl. 4.

D. I. Mart. שבעות יהודים, sive *Juramenta Judæorum*, Præs. OLAVO CELSIO, Resp. Erico Rudman, Gestricio, 2. pl. 8.

D. IV. Mart. *de Lotionibus Ebræorum*, Præs. OL. CELSIO, Resp. *Andrea Leufstadio*, Andr. Fil. Uplando, 3. pl. 8.

D. XVIII. Mart. *de novis Tabulis*, Præs. M. FABIANO Törner/ Resp. *Gabr. Mathesio*, Nicolai filio, Ostrobothniensi, 4. pl. 8.

D. XXIV. Mart. *de Regina Cœli*, Præs. OL. CELSIO, Resp. *Petro* Apelbaum/ Smolando, 2. pl. 8.

D. XXIX. April. *Axevall*, antiqvissima Vester Gothiæ arx breviter descripta Præs. JOH. Hermansson/ Resp. *Paulo O. Rhyzelio*, W-Gotho, 2½ pl. 8.

D. XVII. Maj. *De Conradino Svevo*, Præs. JOH. Hermansson/ Resp. *Carolo Sam. Hedman*, Gestricio, 3. pl. 8.

D. III. Jun. *de Triade Harmonica*, Præs. M. ERICO BVRMAN, Astron. Prof. Reg. & Ordin. Resp. *Tobia* Westblath/ Arosia-Westmanno, 4. pl. 8.

D.

D. X. Jun. *de Vocibus in qvantum veritati vel prosint vel obsint*, Præs. M. ERICO ALSTRIN, Log. & Metaph. Prof. Reg. & Ord. Resp. *Johanne Brovvallio*, Andr. Fil. Dalekarlo, 2. pl. 8.

D. XIII. Jun. הלכות כלאים, seu R. Mosis Maimonidæ *de Mistellis*, Caput sextum, ex Ebræo in latinum sermonem conversum, una cum brevi expositione dicti Deut. XXII. 9. Præs. OL. CELSIO, Resp. *Engelbert. L. Halenio*, Hellsingo, 2. pl. 8.

D. XIV. Jun. *De Infanticidio Bethlehemitico*, Præs. OLAVO CELSIO, Resp. *Nicolao* Spak / Wermelando, 2. pl. 8.

D. XXIII. Jun. *de Moralitate Fabularum*, Præs. M. ANDREA Grönwall / Philos. Pract. Profess. Reg. & Ordin. Resp. *Petro* Strandman / V-Gotho, 2. pl. 8.

D. XXVI. Jun. de ΑΠΑΘΕΙΑ *Sapientis Stoicorum*, Præs. LAVR. ARRHENIO, Resp. *Joanne Micrelio*, Nericio, 4½ pl. 8.

D. XXX. Jun. de *Annio Viterbiensi*, Præs. LAVR. ARRHENIO, Resp. *Johanne Dahlgren*, Dalia-Vermelando, 2½ pl. 8.

D. VIII. Jul. *de Piscibus*, Præs. LAVRENTIO ROBERG, Resp. *Johanne Gabr. Geringio*, Sudermanno, 4½ pl. 4. cum figg.

HOLMIÆ.

Anno præterlapso in lucem editæ sunt:

JOH.

JOH. SAM. STRIMESII, Eloqv. & Hist. Prof. Ordin. Regiomont. Observationes Historico-Geographico-Genealogicæ in Nova publica anni 1723. Svethicè versæ, 4.

Vita & res gestæ Fratrum Nericiorum M. OLAVI PETRI PH SE, Primi Evangelici Pastoris Stockholmensium, & M. LAVRENTII PETRI *Seniorw*, Primi Evangelici Archie-Episcopi Upsal. Auctore JOHANNE GVSTAVO HALLMAN, 4to Svethice.

Doct. HENRICI MVLLERI *Andeliga Wederqveckelse Stunder*, &c. i. e. Horæ refectionum Spiritualium, sive Meditationes pœnitentiales ac domesticæ 300. è lingva Germanica versæ, 12.

JOHANNIS HVBNERI Qvæstiones Geographicæ in lingvam Svecanam translatæ â M. CANVTO NICOLAI LENÆO, 8.

GOTHOBVRGI.

D. GEORGIVS FRIDERICVS NIEHENCK, Past. primar. Eccles. Germ. anno superiori edidit concionem Sacram ad Eph. V. 8. habitam Domin. Sexag. cum Dn. CAROLVS JOSEPHVS L. B. von CESNER, antehac Pater Ordinis Carthusiani, Religioni Lutheranæ solenniter initiaretur, 4to. Germanice.

HAF-

HAFNIÆ.

Laborem aliqvo abhinc tempore cœptum in vertendo R. Moſis Maimonidæ Tractatu מאכלות אסורות ſeu *de Cibis vetitis*, ſtrenue continuavit V. Cl. MARCVS WÖLDIKE, Collegii Walkendorphiani Civis. Singula Capita notis illuſtrata, & in varias Exercitationes diſtributa ſunt, qvarum I. prodiit ann. 1722. 4. 7. pl. Reſpondente *Johanne Svaningio*, Phil. Baccal. II. ann. 1723. 4. 4½ pl. Reſp. *Joh. Rehling.* III. ann. 1724. 4. 4. pl. Reſp. *Vlrico Schnellio*, IV. ann. 1726. 4. 3. pl. Reſp. *Henrico Vaſſard*, V. eodem anno 1726. 4. 4. pl. Reſp. eod. M. ANDREAS FRÖLVNDT, Aſſeſſor Conſiſtorialis, Lingv. Ebr. Profeſſor, & Scholæ Hafnienſis Rector, in præmiſſa approba„tione teſtatur, Auctorem Tractatum hunc „ita interpretatum eſſe, notisqve illuſtraſſe, „ut ſe non ad Ebraismi tantum fores ac„ceſſiſſe, ſed & in adyta penetraſſe, evi„denter oſtenderit.

Menſe Aprilis anni elapſi Diſſertationem Imam *de Lachrymis Heroum* edidit SIGVARDVS MVNCH, Reſp. *Henrico Hiort*, 2. pl.

D. 11. Sept. anni præſentis habita eſt Diſſertatio Medica Inauguralis de *Atrophia Scorbutica*, qvam Præſide GEORG. FRID. FRAN-

FRANCO de FRANKENAV, Med. D. & P. P. S. R. M. in Supremo Justitiæ Tribunali, nec non Colleg. Consist. Assessore, Acad. Cæsar. Nat. Cur. Collega, pro impetrandis Summis in Medicina honoribus publico Examini submisit CHRISTIANVS FVNCCIVS, Frideberga-Marchicus, 3½ pl. Prodiit seorsim *Programma*, forma patente excusum, vitæqve curriculum Dn. Candidati, ann. 1699. nati, exhibens, in qvo istud notari meretur, qvod â literis divinioribus ad Medicinæ studium transierit. Cum enim ann. " 1715. celeberrimum Uratislaviensium Gym- " nasium ad D. Mariæ Magdalenæ ingressus " esset, publicis in Palæstris stetit, The- " siumqve Theologicarum cum de *Peccato* " *Originali* tum de *Bonis Operibus* defensio- " nem suscepit, laudatqve vel adhuc in " Theologicis dexteritatem M CHRISTI- " ANI HERMANNI, Gymnasii Inspect. " & Theol. Profess. ac Dn. KVPFENDERI, " Gymnas. Rect. & Theol. Polem. P. P. utrius- " qve jam cælitibus adscripti, nec non fi- " dem M. PAGENDARMII, ad ampliorem " conseqvendam Lingvarum Græcæ He- " brææqve facultatem. Jenensem deinde " Academiam meditabatur, non alium lo- " cum facile aptiorem ratus absolvendis, " qvæ in Divinioris scientiæ studio fructuose " apud Silesios erant cœpta, atqve ad optatum "

ma-

„maturitatis scopum perducendis. Inter-
„cessit Consilio huic amici cujusdam vo-
„luntas ac obtestatio, cui ad Borussos ip-
„samqve Regiomontanam urbem conten-
„denti, comitem dare, qvoniam id im-
„pensius desiderabatur, haud abnuebat.
„Verum impedimenta itineri variá, qvæ in
„medio illud cursu sisterent, qvasi ex trans-
„verso incurrêre. Igitur Gedani hærere
„coactus Noster, agnovit brevi non sine
„occulta qvadam destinatione, mortalia
„qvæ cuncta disponit, moram fuisse inje-
„ctam. Etenim mox ab ingressu ejus urbis
„evigilare in se sensit, qvasi nunqvam
„acrius accensum, sciendi proficiendiqve
„ardorem, exsuscitatum insuper fama
„Plur. Reverendorum ac Celeberrimo-
„rum Virorum Dn. D. JOH. GEORGII
„ABICHT, SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.
„ac Gymnasii Rectoris, & Dn. D. WEICK-
„MANNI, itidem Theol. D. Verbiqve
„Divini Ministri, qvorum illi in Theol.
„Exegetica Homil. huic in Polem. incre-
„menta oppido insignia debere studia sua
„voluit. Tum vero ad novum qvoddam
„& hactenus inexpertum studiorum genus
„ferri insatiabilis discendi animus atqve ad-
„hærere cæpit: qvem qvidem, simulac eo
„raperetur, inflammare non destitit inita,
„non sine Numine qvodam, familiaritas
cum

cum Egregio Viro & Machaoniæ artis"
Doctore, qvi in Gedanensi urbe Medici-"
nam magna cum laude faciebat, Nostrum-"
qve ad amanda impensius moxqve etiam"
amplectenda Divæ Hygieæ sacra qvotidie"
animabat. Dedit igitur sese in fidelissimam"
amici institutionem, qvasqve ab aliis oc-"
cupationibus lucri facere horas poterat,"
omnes Medicorum scitis impendit, in"
qvibus accurate percipiendis perdius ac"
pernox, cum in Museo privatim, tum"
in Magistrorum scholis indefessam ope-"
ram locabat. Non unas interea opera-"
tiones vidit exercitas, deducente ad hu-"
mani corporis notitiam voce simul & se-"
candi artificio D. KVLMO, Phys. Prof. P."
Hujus enim Anatomicis experimentis, &"
qvatuor utriusqve sexus cadaverum pro-"
sectionibus interfuit. Postea Regiomon-"
tum, adibat, ibiqve institutione usus"
Viri Nobiliss. & Experientiss. Dn. HEN-"
RICI DE SANDEN, celeberimæ famæ"
Professoris, absoluto, qva per temporis"
rationem licuit brevitate, cursu, ut vo-"
cant, Medico, in Salutaris artis adyta al-"
tius penetrabat: addendo interim, qvæ"
Physica Experimentalis curiosa scitu &"
Æsculapii filiis necessaria expandit, mon-"
stratore atqve hodego Viro Nobiliss. &"
Celeberr. D. CHRIST. GABRIELE FI-"
 SCHE-

„SCHERO, Phyſ. P. P. Hinc Gedanum re-
„verſus, Lugdunum Batavorum videre
„in deſtinatis habuit, inqve iſto itinere
„Havniam appellit; at dum nihil potius in
„votis habet, qvam ut in Belgium matu-
„re ſolvat, accidit ex inopinato, ut ſuo-
„rum literis in patriam revocetur, qvorum
„urgentibus deſideriis ſatis qvidem facere
„decrevit; verum maturiore conſilio ex-
„pendens, in loco ſeſe verſari, qvem Mu-
„ſarum domicilium & illuſtrata á longo
„ævo Machaoniæ artis gloria nobilitant,
„æſtimavit ad nominis ſui laudem & ſtu-
„diorum, qvæ hucusqve ſectatus eſt, ho-
„norem pertinere, ſi, ſpecimine erudi-
„tionis Medicæ publice hic propoſito ven-
„tilatoqve, laurum ambiret Apollineam,
„qvo ſic demum inſignibus artis atqve ti-
„tulis ornatiorem Patriæ ſe redderet. Hæc
verbis memorati Programmatis retuliſſe
haud incongruum duximus.

KILONII.

D. HENRICVS MVHLIVS, Theologus in Eccleſia & Academia Holſatica primarius, ad Recitationes publicas in ADOLPHI CLARENBACHII *Confeſsionem doctrinæ publice privatimqve ab ſe traditæ*, duobus abhinc ſæculis, ipſoqve hoc anno ſeptimo & vigeſimo, ad ſenatum Lennepenſem Teu-

Teutonico idiomate conſcriptam, renovandæ conſervandæqve emendatorum tum in Holſatia præcipue Sacrorum memoriæ cauſa, Menſe Novembri ac Decembri inſtituendas, publico programmate invitavit, 2½ pl. 4 Domin. XXII. poſt Trinitatis Anno MDCCXXVII.

Ejusdem opera ad idem inſtitutum promovendum prodierunt ADOLPHI CLARENBACHII *Articuli doctrinæ publice privatimqve ab ſe traditæ*, ducentis abhinc annis germanico idiomate conſcripti, & in gratiam auditorum quoad præcipua momenta in compendium redacti, uberiusqve, adhibitis ac collatis potiſſimum Lutheri & Melanchthonis, aliisqve ejus ævi monumentis, ea qva par erit, opera ac induſtria menſe Novembri atqve Decembri illuſtrandi. Præmiſſa eſt Clarenbachli ad Senatum Lennepenſem epiſtola, in qva cauſas rationesqve inſtituti paulo plenius exponit, 2. pl 4.

PHILIPPVS FRIDERICVS HANE, Hiſtoriæ Eccleſ. & Profan. Prof. Publ. Ord. nuper edidit *Conſilium*, de Studio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ apud Proteſtantes noſtrates, per Comentarios perpetuos & paulo pleniores a ſe concinnandos, fontesqve hujus ſtudii genuinos recludendos, promovendo amplificandoqve, 4. 6½ pl.

Idem occaſione nuptiarum fratris HARTW. CONRADI HANE, Paſtoris in Beliß / evulgavit: die durch Lutheri Reformation wieder hergeſtellete Prieſter-Ehe / 2. pl. 4.

FRANCISCVS THEOD. KOHLIVS, Lycei Rector, in lucem emiſit *Commentationes criticas* in difficiliora Scriptorum claſſicorum, *Terentii*, *Nepotis*, *Virgilii*, *Phoedri*, *Ciceronis*, *Heſiodi*, *Jul. Cæſaris*, & aliorum loca, vel dilucidata vel explicata, ſibiqve & vero ſenſui reſtituta, 8. 14. pl.

Die XXIII. Nov. hujus anni mortuus eſt Summe Reverendus atqve Ampliſſimus JOANNES FRIDERICVS JENSENIVS, Ædis Nicolaitanæ Paſtor primarius, & Scholarcha Kilonienſis longe meritiſſimus. Lucem is primam adſpexit XII. KL. Jun: ann. 1686. Oldenburgi in loco celebri, & Epiſcoporum qvondam Lubecenſium ſede. Patrem habuit virum pl. Rev. JOANNEM JACOBVM JENSENIVM, primum Eccleſiæ Grubenſis per annos qvatuor, deinde Oldenburgenſis per annos viginti primarium Antiſtitem, matrem ANNAM, MICHAELIS LANGEMAKII, Oratoris ſacri Neoſtadienſis, filiam. Puer in diſciplinam traditus eſt GEORGIO HENRICO BVRCHARDO, Eccleſiæ Segebergenſis

Præ-

Præposito in portu Vagrico commoranti, ac deinceps ann. 1704. Kilonium concessit, ibiqve Viris celeberrimis HENRICO OPITIO, THEODORO DASSOVIO, & inprimis GEORGIO PASCHIO adhæsit. Anno circumacto contulit se ad vicinam Academiam Juliam, ut perficeret Scientias Kilonii partas, ibidemqve potissimum ab ore doctissimi JO. ANDREÆ SCHMIDII pependit, cujus sub præsidio publicam disputationem *De tripudio solis paschali* ann. 1706. habuit, eodemqve anno cum octo civibus literatis *Augustanæ Confessionis & Concilii Tridentini Controversias* examinavit. Triennio Helmstadii exacto, de sententia & vocatu illustrissimi S. R. I. Comitis GERARDI de DERNATH proximum triennium institutioni Filii Comitis excellentissimi impendit, ab eoqve Pastor constitutus est castrensis ann. 1711. ubi modo in Brabantia, modo in Pomerania militares animos cælesti imbuit doctrina. Anno 1715. è castris Pomeranis eum accivit, ejusqve operam expetendam censuit ecclesiæ Saroviensis patronus, vir Generosissimus HENRICVS REVENTLOVIVS; posteaqve ann. 1717. ab utroqve Senatu Academico & civico, & a civibus Kiloniensibus solemniter evocatus est ad partes præconis sacri, qvem Archidiaconum appellant; qvo

loco cælestia oracula summo cum plausu in-terepretando omnium tulit punctum, & expectationem, qvae de illo maxima erat, exsuperavit. Qvocirca cum sub exitum anni 1720. Vir Max. Reverendus & celeberrimus FELDENIVS, Theologiæ & Philosophiæ Professor, & primarius ædis Nicolaitanæ Antistes, ingens utriusqve cathedræ ornamentum, & non multo post decessorem suum Vir Summe Reverendus FRICCIVS Summ. Consistor. & Ecclesiar. Consiliarius, ac Concionator aulicus gravissimus, improviso obitu se credibili citius subtraheret, ex mandato Regii Celsissimiqve Principis CAROLI FRIDERICI, in locum vacuum suffectus est. Qvo novo honoris incremento auctus, omni animi & corporis contentione res Sacras ad mortem usqve curavit. Memoriam ejus Programmate publico recoluit Academia, 2. pl. fol. interprete Viro celeberr. SEB. KORTHOLTO, qvi hoc eum p. 4. elogio mactavit: Temperamus nobis, quo minus „hoc loco commemoremus alias JENSENII nulli non cognitas laudes, indolis „bonitatem, svavitatem ingenii, judicii „acrimoniam, memoriæ fidelitatem, mo„rum ornamenta insignia, animi modera„tionem ab omni contentione alienam, „obseqvendi studium, qvo cunctorum animos

mos sibi adjungebat, & plures hujusce-"
modi virtutes. Proficiscebantur illæ ab om-"
nium virtutum fonte & capite, sanctimo-"
nia, & summo studio Religionis, qvo"
maximæ dignationis & existimationis vi-"
ros, omniumqve voluntates sibi concilia-"
bat. A pietate non segregabat eruditio-"
nem, nimium qvantum adfixus lucubra-"
tionibus, horasqve subsecivas, non qvi-"
dem publico labori, sed diurnæ & noctur-"
næ qvieti demtas, tribuebat *Historiæ Eccle-*"
siæ Kiloniensis, qvam populari sermone ani-"
mus erat contexere. Credi vix potest, qvot"
documenta, & qvali qvantaqve college-"
rit industria, ut magnæ molis nec mino-"
ris ponderis opus conderet, de argumen-"
to minime vulgari, & nondum pertra-"
ctato. Tacita mente complectimur re-"
liqvas JENSENII boni Christiani & An-"
tistitis dotes, venerationi bonorum &"
rerum famæ relinqvendas."

LVBECÆ

D. XV. Octobris, diem obiit supremum, annum agens magnum climactericum, vir Magnificus, Illustris ac Consultissimus, DN. JOACHIMVS LOTHARIVS CARSTENS, ICtus præstantissimus, Consul Reipublicæ nostræ immortaliter meritus, & Scholarcha longe gravissimus. Editus est in lucem

ann. 1665. d. 20. Jan. in hac ipsa civitate Lubecensi, Patrem veneratus DN. JOACHIMVM FRIDERICVM CARSTENS, I. V. Licentiatum, Senatorem ac Camerarium Reip. meritissimum, cujus ann. 1701. defuncti, memoria non solum in Novis Literariis Maris Balthici & Septemtrionis ann. 1701. p. 160. sed in animis etiam civium feliciter fuit conservata; Matrem vero MARGARETAM HOLMER, BALTHASARIS LASHORN, civis ac Mercatoris spectatissimi Viduam. Avo paterno gavisus est DN. JOACHIMO CARSTENS, I. V. D. initio Sereniss. Ducis Saxo-Leoburgensis Pro-Cancellario, postea civitatis Lubecensis Syndico primo, & Concilii Sacri Præside; Avia ELSABE, DN. THOMÆ a WICKEDE, Hæreditarii in Castorff, Senatoris & Camerarii Senioris, filia. Proavum paternum habuit DN. NICOLAVM CARSTENS, Consulem Soltqvellensem, & Marchiæ Veteris Qvæstorem; Proaviam BARBARAM, DN. JOACHIMI LINDEMANNI Senatoris Soltqvellensis filiam. His majoribus ortus, cum ætate qvodammodo provectus esset, intravit Museum Catharinianum, fidemqve expertus est duorum clarissimorum Cantorum SAM. FRANCK I ac JAC. PAGENDARMII, ut & DAVIDIS von der BRVGGE, Sub-Rectoris & MARTINI

LIPENII, Con-Rectoris. Inprimis vero ipſi profuit magni nominis Vir, ABRAHAMVS HINCKELMANNVS, Rector, cujus auſpiciis plus ſemper attigit doctrinæ, artesqve liberales ſcientia & cognitione feliciter comprehendit. Adiit deinde Academiam Varniacam, in qva doctoribus publicis, & præſertim cognato ſuo, D. JO. SIBRANDO, qvem Themis nunqvam mori ſinet, non ſine documento induſtriæ adfuit, eorumqve Scholas, qvas vel eruditæ commentationes, vel utiles diſputationes reddebant celebres, freqventare, magnæ ſibi duxit voluptati; Academiam Regiomontanam, in qva ſimiles ſtudiorum rationes iniit, virisqve ſeſe adjunxit, qvi excellentiſſima juris & æqvi peritia magnam ſibi famam conciliarant: Academiam Francofurtanam, in qva cognitionis ſcientiæqve cupiditatem porro explevit, & tandem laudatiſſima doctrinæ ſpatia, qvæ, Academicis ſeſe Profeſſoribus committens, ab anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo qvinto, usqve ad annum nonageſimum emetiri ſtuduit, haud ſine ingenti fructu ex voto confecit. Iter qvoqve anno ſubſeqventi 1691. per Germaniam ſuſceptum in Italiam, ſpartam Judicis militaris, qvem Auditorem ſolent vocare, copiarum Würtembergenſium ornans, fecit ita, ut

cauta circumſpectione & accurata rerum, qvæ uſui ipſi eſſe poterant, qvaſve literas pariter ac civilem ſapientiam adaugere poſſe animadvertebat, conſideratione iſtud fuiſſe ab eo abſolutum, rectiſſime qveat judicari. Cum vero in ſpem patriæ eſſet natus, illa etiam mox Eundem ſibi vindicabat, qvando ann. 1694. Secretarii munia ipſi demandabantur, qvæ tanta geſſit fide, qvanta unqvam a viro, cumulate officio ſuo ſatisfaciente, poteſt reqviri. Anno proximo 1695. d. 8. Jul connubio ſecum conjunxit Virginem nobiliſſimam ANNAM CATHARINAM, DN. ACHILLIS DANIELIS LEOPOLDI, Comitis Palatini Cæſarei & V. I. Doctoris longe celeberrimi, ann. 1722. literato orbi non ſine dolore erepti, filiam natu maximam, ex qva qvinqve procreavit liberos, qvorum e numero ſuperſtites adhuc ſunt Vir Nobiliſſ. & Ampliſſ. DN. JOANNES FRIDERICVS CARSTENS, Reipublicæ patriæ Secretarius optime meritus, MARGARETA CATHARINA, Virgo lectiſſima, & ACHILLES DANIEL. Ulteriores deinde in honoris ſemita progreſſus fecit, dum anno. 1701. Protonotarii ſpartam adeptus, anno autem 1715. in ſplendidum Senatorum ordinem eſt cooptatus, & ann. 1722. ad Conſulare faſtigium aſcendit. Arduas

duas hasce officiorum sibi impositorum partes ea explevit pietate, candore, prudentia, æqvitate & industria, ut patriæ salutem nunqvam non ceu finem intueretur; cujus etiam rationem habere minime neglexit, cum ad potentissimorum Septemtrionis Regum belli Duces ablegaretur, augustissimum Russorum Cæsarem in societate gratulantium adiret, primumqve inter Senatorii ordinis Viros, qvi eum Lubeca discedentem usqve ad Travæ ostium comitati sunt, locum occuparet. Nec minus cum gravissimum Scholarchæ munus suscepisset, curam omnem bonis artibus studiisqve literarum & conservandis, & augendis, & sublevandis impendit, ita ut Musæ præsidium ac solatium in eo invenerint dulcissimum. Qvapropter illas æqve ac totam civitatem nil nisi luctus & moeror occupavit, cum Noster insultibus arthriticis & lento calore continuo fractus, annis sexaginta & duobus, mensibus octo, & viginti qvinqve diebus vivendo absolutis, animam coelo redderet, ingens sui desiderium post se relinqvens. Memoriam ejus scripto publico commendavit JO. HENRICVS a SEELEN, Rector, 2. pl. fol. eademqve pariter idiomate vernaculo 2. pl. fol. est evulgata.

D.

D. GEORGIVS HENRICVS GOETZIVS, Superintendens, publici juris hoc anno fecit:

Diſſertationes, *de eo qvod Adoleſcentes decet circa Muſea, de pietate bonarum artium cultoris DEO, Parentibus, Doctoribus, Condiſcipulis, Sibiqve, debita; de Delectu Scholarum & Academiarum habendo; ac de Viduis Grandævis clarorum Virorum*, in Athenæo Lubecenſi propoſitas, 4. pl. 8vo.

Orationem *de Benedictione Nicolai Selnecceri Henrico Höpfnero impertita*, in Phrontiſterio Lubecenſi Calendis Aprilis A. 1727. pro roſtris dictam, 3. pl. 4.

Diſſertationem Theologicam *de Uſu & abuſu Similitudinum in argumentis Sacris*, qvam in Colloqvio Theologico d. XVIII. Jul. propugnavit *Johannes Chriſtophorus* Schwartze/ Lubecenſis. 2½ pl. 4.

Qvæſtionem: *Num Evangelium moribundis tantum, minime vero bene valentibus proponi debeat?* ad qvam d. XXII. Aug. in Conſeſſu Reverendi Presbyterii reſpondit JOHANNES HENRICVS Stoltenberg/ Lubecenſis, vocatus Eccleſiæ Geſthachtenſis in Circulo Bergedorffenſi Paſtor. 2. pl. 4.

Erörterung der Frage: Ob einem ledigen Gesellen zu rahten sey/ einer Wittwen Tochter zu ehe-

ehelichen? in einer Hochzeit-Rede / nebst angefügten dreyen andern Hochzeit-Reden / 3. pl. 8.

Die von GOtt dem H. Geiste gesuchte Freudigkeit und Stärcke / aus dem Gerhardischen Pfingst-Liede: Zeuch ein zu deinen Thoren &c. angewiesen / und nebst etlichen Hochzeit-Reden einem neu-beruffenen Diener Christi in der Stadt Peine (M. GOTTFR. CHRISTIANO GOETZIO, Pastori primario Adjuncto civitatis Peinæ) übersendet / 7. pl. 8vo.

Der Lob und Dancksingende Paulus wegen des ihm gelungenen Werckes in s. Ammte aus Act. XXVI. 22. 3½ pl. 8vo. Habita est hæc Concio d. v. Jun. hujus anni, cum Summe Rev. Dn. Auctor annos XXV. officii, hic Lubecæ ann. 1702. d. IV. & V. Jun. cœpti, explevisset, cui porro vitam & vires & felicitatem benignissimum Numen ex voto largiatur.

Zwo Prediger-Reden über etliche von dem seel. Paul Gerharden dessen einigem Sohne hinterlassene Erinnerungen / 2½ pl. 8vo.

Entwurff der Catechismus Arbeit von der Treue GOttes / d. 15-26. Sept. nebst angefügten Hochzeit- und Prediger Reden. 6 pl. 8vo.

Paul

Paul Gerhards glossirte Sterbe-Lieder, 3½ pl. 8vo.

L. JO. HENRICVS a SEELEN, Rector, muneris qvod gerit, ita jubente & exigente ratione, bina edidit Programmata, Actui oratorio solemni præmissa, qvorum alterum agit *De Sigillo Mystico* ad Cant. VIII. 6. 4½ pl. 4to. alterum vero inscribitur: *Themis hæresium Vindex, sive de Hæreticis in Corpore Juris civilis rejectis & damnatis diatribe*, 7. pl. 4to.

Comemorare qvoqve heîc fas est doctrinæ in scientia Juris adqvisitæ Specimina, a Civibus qvibusdam nostris apud exteros edita. Innuimus HENRICVM DITERICVM BALEMANN, DN. HENRICI BALEMANN, Magnifici Reip. nostræ Consulis & Patris Patriæ optimi filium æmulum, ac DANIELEM HAECKS, qvorum uterqve ille qvidem d XVI. Aprilis h. a. *de Appellatione ab Executione debitori competente*, hic vero d. XVIII. April. ejusdem anni *de Potestate in absentia constituendi Vicarium Imperatori competente*, Trajecti ad Rhenum ex auctoritate Magnifici Rectoris JOHANNIS ENS, SS. Theol. Doct. & Prof. Ord. ac Eccl. Pastoris, PRO LICEN-


CENTIA sumos in VTROQVE IVRE honores & privilegia rite ac legitime consequendi, Dissertationem inauguralem habuit. Prior Dissertatio absolvitur 4½ pl. 4to. maj. posterior 6½ pl. 4to. maj.

Anonymus qvidam, qvi nomen suum literis G. G. expressit, hic loci inprimi curavit: *Reflexions d'un Alemand sur les defauts de la Versification Francoise.* 8 pl. 8vo. Libellus hicce præter sales acres in Poëtas Gallos, Virosqve alios nonnullos, qvibus parcere consultius fuerat, curiosa multa continet, è qvibus adducere placet distichon Germanicum, qvod a Gallo qvodam, accentus in pronuntiando rationem nullam habente, confectum esse Auctor p. 74. tradit:

Es schimpfft dich nur der Ruhm so vieler großen Väter,
Dieweil du bist an Muht ein kahler Enterbeter.

Prodiit nuper in vicinia editio *Bibliorum* gallica, qvæ & typorum elegantia, & emendationis cura, & pretii æqvitate præ aliis sese commendat. Titulum gerit se-

ſeqventem: *La Sainte Bible, qvi contient le vieux & le nouveau Teſtament. Le tout reveu ſur les Originaux, & retouché dans le langage: avec des Paralleles & des Sommaires par DAVID MARTIN, Miniſtre du S. Evangile à Utrecht.* A Hambourg & Leipzig, chez Jonas Korte, 1727. 8vo. III. Alph. 21. pl.



BIBLIOTHECA LVBECENSIS.

Vol. VII.



LVBECAE

SVMTV VIDVAE B. IO. CHRIST. SCHMIDII.

TYPIS KOOPIANIS, A. MDCCXXVIII.

Contenta.

I. CHRI-

I.

CHRISTIANI GOTTLIEB KOCHII(*), SS. Theol. D. Fac. Th. in Acad. Kilon. Aſſeſſoris & Praepoſiti Apenradenſis, De SPIRITV, Per quem ſe Chriſtus obtulit Deo Ebr. IX. 14. Exercitatio Philologica.

CAP. I.

Diverſas expoſitiones recenſens.

JEſum Chriſtum, verum Deum, verum itidem hominem, ſeſe victimam pro totius mundi peccatis in ſufficientiſſimum pretium Deo obtuliſſe,

 hiſce

(*) Summe reverendus Auctor, qui Cimbriam doctam hodieque exornat, varia jam orbi erudito exhibuit ingenii monumenta, & eruditionis pereximiae ſpecimina, quae ſunt

1. *Mundus vult decipi*, oder gründliche Uberführung, daß F. *Johanna Eleonora Peterſen* in der unter ihrem Nahmen herausgegebenen Anleitung zur gründlichen Verſtändniß der Offenbahrung Johannis meiſterlich ausſchreibe/und der Welt einen blauen Dunſt vormachen wolle. 1697. Scriptum eſt anonymum.

2. *Chi-*

hisce testatur Paulus: (a) *Si sanguis taurorum & hircorum & cinis juvencae aspergens in-*

2. *Chiliasta Judaizans*, oder gründliche Darthuung/ wie Hr. *D.* J. W. *Petersen* bey seinem Fanatischen Chiliasmo recht Jüdische Meinungen hege / und also diese seine Lehre in A. C. artic. XVII. verworffen sey. 1697 Est iidem scriptum anonymum.
3. Der Chiliasten Grab/ oder Beantwortung einer Läster-Schrifft aufgerichtet von *Liberio Sincero*. 1697.
4. Göttliche und Himmlische Offenbahrung von dem geseegneten Reich Christi in der VII. Posaune/ nebst klaren und gründlichen Beweiß / wie diese Weissagung dem Glauben ähnlich sey. 1697. Prodiit ἀνονύμως.
5. *Labyrinthus Chiliastarum inextricabilis, s. Solida Demonstratio, Hymenaeum & Philetum, quorum 2. Timoth. 2. v. 18 fit mentio, futuram corporum resurrectionem negasse, & ideo a Paulo Satanae fuisse traditos Chiliastis nostri temporis, & inprimis D. J. W. Petersen opposita, & ab eorum, praecipue huius, strophis vindicata.* 1697.
6. *Desperata Chiliasmi Caussa*, worin der Hr. *D. Petersen* und dessen Liebste des Plagii überführet bleiben / die Außbreitung beantwortet / *Nub. Test.* lib. II. & III. durchgegangen/ die vielen Fautes und Betrügereyen entdecket werden. Nebst vielen raren und curieusen Anmerckungen deutlich und gründlich gezeiget. Magdeb. 1697. 8.
7. *Desperatae Chiliasmi Caussae* II. Theil / worin die Außbreitung vollends beantwortet / von dem *Sensu Mystico* auf eine besondere Art gehandelt / Lib.

(a) *Hebr. IX, v. 13. 14.*

inquinatos sanctificat ad carnis puritatem; Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeter-
Aa 2 num

Lib. III. *Nub. Test.* durchgegangen / und die übrigen vielen Fautes und Betrügereyen des Hr. D. Petersen entdecket werden. Magdeb. 1697. 8.

8. Bewegungs-Gründe / warumb er auf die wieder ihn neülich ausgeflogene Läster-Schrifft / Thorheit eines Jünglings genannt / und die *Desperatam Chiliasmi Causam* betreffend nicht geantwortet habe / und anderer gestalt nicht darauf antworten werde. 1699. 8.

9. *Ἀποκαταστάσεως Act. III. 21. solida & orthodoxa Expositio, S. Scriptura corroborata, Patrum itidem, & Theologorum testimoniis confirmata; Fanaticis nostri temporis, & qui illis adstipulantur, in primis vero Dn. Petro Poireto & Euangelii aeterni Auctori, M. D. Ph. G. opposita & ab eorum strophis vindicata.* Kil. & Lips. 1699. 8.

10. *Justini Martyris cum Tryphone Judaeo Dialogus secundum regulas criticas examinatus & νοθεύσεως seu falsitatis & suppositionis suspectus atque convictus.* 1700.

11. *Godofredi Wagneri, SS Theol. Studiosi, ad Albertum a Felde Epistola de Justini Martyris cum Tryphone Judaeo Dialogo vere supposititio.* 1701.

12. *Disputatio Inauguralis de interno Spiritus Sancti Testimonio.* Kil. 1701. 4. Praes. D. Henr. Opitio.

13. *Censura censurae, quam Ern. Sal. Cyprianus, Jo. Franc. Buddeus & non nemo de Dialogo Justini Martyris cum Tryphone Judaeo secundum regulas criticas examinato & νοθεύσεως convicto, tulerunt.* 1704.

14.

num seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram a mortuis operibus ad serviendum Deo vivo.

§. 2.

14. Sonderbahre und wahre Geschicht von *Cyriaco*, Pabste zu Rom / und insonderheit von dessen unbelohnten Marter / aus vielen alten / auch Päbstischen Schrifften / und einem alten hierbey in Kupffer gebrachten Gemählde / aus dem Bordesholmischen Kloster / zur Rettung der Magdeburgischen Centurien, gründlich vorgestellet. Hamb. 1708. 8.

15. *D. Apostoli Pauli Coniugium, Scripturae dictis, Patrum & recentiorum doctorum testimoniis demonstratum.* Flensb. 1707. 8.

16. *De obscoenis Pontificiorum Decimis.* Flensb. 1707. 8.

17. Wiederlegung des so genannten merckwürdigen Unterscheides zwischen Wercken des Gesetzes und guten Wercken / welchen Andr. Jacob Rakebrandt zur Verdrehung der H. Schrifft / Kränckung der nöthigsten Glaubens Articuln neülich für Augen stellet hat. Flensb 1707. 8.

18. Kurtze Abfertigung A. J. Rakebrandts / als eines sich selbst verwerfflich machenden groben Lügners / Verdrehers und Lästerers / mit seiner Vernunfft-losen / schwärmerischen Vertheidigung des Unterscheides zwischen Gesetzes- und gute Wercke. Flensb. 1707 8.

19. *Ephemerides S. Patrum.* Flensb. 1708. 4. Praeter Prologum, quo harum Ephemeridum institutum & scopus declaratur, quinque Menses vident lucem: reliqui septem, quos dudum elaboratos apud Auctorem vidi, eandem exspectant. Tractantur in iis selectae materiae, ad saeculum secundum

§. 2. Socinianorum strophas, quibus pretiosissimam hanc satisfactionem enervare student, hic commemorare animus

dum pertinentes, & contra *God. Arnoldum* mascule ac solide ex Patribus vindicantur. Agit autem Januarius *de Confessione Fidei seu Symbolo: Theologiae Methodo: Distinctione Clericorum & Laicorum.* Februarius *de Haereticis eorumque Descriptionibus: Disputationibus Orthodoxorum cum Haereticis: Haeresi Marcionis & Marcionitarum: Marciano & Marcianitis.* Martius *de Celebratione Diei Dominici: Congressibus publicis Christianorum: Formulis Precum: Festis Christianorum: Benedictione Nuptiali.* Aprilis *de Paedobaptismo: Jure administrandi Baptismum: Ritibus & Ceremoniis circa Baptismum.* Majus *de Disciplina Ecclesiastica, in specie de Excommunicatione: Confessione Publica: Poenis Civilibus Delictorum.*

20. *S. Hieronymus Comment. L. IV in Jerem. C. 19. Op. T. V. p. 260: Quanquam sibi Judaei auream atque gemmatam Hierusalem restituendam putent &c. quae licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum & martyres ista dixerunt: expositus & vindicatus* Flensb. 1708. 8.

21. Kurtze Antwort auf A. J. Rakebrandts nochmahlige nichtige und schwermerische Behauptung des Unterscheides zwischen Gesetzes- und guten Wercken / dem todten und lebendigen Glauben. Flensb. 1708. 8.

22. Bedencken von der Ehe eines Hermaphroditen. Sub nomine eines Doctoris Theologiae. 1709.

23.

non est. *Matthaei Wrenii* judicio (β) satis est, verba fideliter recitasse, siquidem lectores, nisi nimium occalluerunt, faci-

23. *Ineptae Demonstrationes A. a F., quibus Dialogum cum Tryphone verum Justini M. foetum esse probare, & Nonneminis justam defensionem contra C., B. & L. reprimere voluit, devictae & profligatae a C. T. M. Vna cum Schediasmate de vita morteqve animarum & Christo nostro Legislatore heterodoxa impiaqve & phrasi & sententia.* Flensb. 1709 8

24 *Modestum Examen Corollariorum Dn. F E. Vogt in Disput. de Lytro incendiario.* 1713. 4. Scriptum anonymum.

25. Wiederschall auf F. E. V. angestimmten Läster-Schall in der Abfertigung des ungenannten auctoris *Modesti Examinis Corollariorum.* Scriptum anonymum.

Scripta inedita, quae ad finem jam perducta, sunt

1 *Harmonia misericordiae & justitiae diuinae, Rom, IX. 22 23.*

2. *Nodus Paulinus Ebr. VI. v. 4 5. 6. interdicta repetitione Baptismi solide & feliciter solutus.*

3 *De vera origine tripartitionis Officii Christi mediatoris in Sacerdotale, Regium & Propheticum.*

4. Νοθευσις *s. Supposititio Diatyposeon Concilii Nicaeni I. demonstrata.*

5. Em-

(β) *Increpatio Bar Jesu S. Polemic. Assert. Locor. Script ab impostur. Pervers. in Catech. Raccov. Sect.* 14. *p. m.* 522.

facile perſpicere poſſunt, quomodo Sociniani ſcripturas ſacras, ipſumque Chriſtum tractent. Nec propoſitum noſtrum eſt, illam de ſatisfactione Chriſti doctrinam adverſus Socinianam impietatem defendere. Praeſtitere id ſummi eccleſiae noſtrae Doctores feliciſſimique divinae gloriae vindices (γ), nobisque ferias fecerunt.

 §. 3.

5. *Emphaſeologia Sacra, qua artificium Emphaſes Sacras eruendi & decenter explicandi perſpicue & ſolide traditur, infinitis exemplis illuſtratur, vſusque in orationibus ſacris demonſtratur.* Conſtat 5 vel 6 Alphabetis.

Horis ſubſeciuis labor ejus hodieque verſatur in elaboranda *Decima quarta Centuria Eccleſiaſticae Hiſtoriae, continente Deſcriptionem ampliſſimarum rerum in regno Chriſti, quae decimo quarto poſt eius natiuitatem Seculo acciderunt, cum Imperium Romanum gubernarent* Henricus *VII ſeu Lutzenburgicus, Ludouicus V. ſeu Bauarus, Carolus IV, Wenceslaus, Rupertus Palatinus, & Doctores in Eccleſia celebres eſſent Johannes Duns Scotus, Ludolphus de Saxonia, Durandus, Guilielmus Occam, Marſilius Patauinus, Franciſcus Petrarcha, Johannes Taulerus, Johannes Wiclefius, & multi alii eodem ordine, nec minori diligentia vt ſuperiores Centuriae ex Hiſtoricis Doctoribus, aliisque Scriptoribus contexta.* Quod vtiliſſimum opus vt feliciter abſoluat Auctor doctiſſimus, omnes, qui amant ſtudium hiſtoriae eccleſiaſticae, mecum vehementer optabunt.

(γ) Grauerus *Diſſert. duabus de Satisfactione Chriſti contra Socinianos.* Meiſnerus *Anthropol. S. Decad. III.*

§ 3. Non frustra autem operam nostram nos collocaturos esse putamus, si in hisce claris apostoli verbis *aeternum illum Spiritum* diligenter perpendimus, per quem Christus se Deo obtulisse dicitur. Jam pridem illa quaestio eruditissimorum virorum exercuit ingenia, inque ea exsolvenda vehementer dissentiunt. Nec sine fructu diligens & felix ejusdem evolutio est futura, ceu infra demonstrabimus.

§. 4. Quam ut obtineamus, quaestio rite formanda est. In eo ergo controversiae cardo vertitur: *Quisnam sit ille Spiritus, per quem se Christus innocentissimum obtulit Deo?*

§. 5. In textu graeco audit aeternus Spiritus: διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ Θεῷ. Eandem lectionem iuxta *Grotium* optimi, iuxta *Riberam* multi, iuxta *Pareum* omnes codices retinuerunt (δ).

§. 6. Sequitur hosce interpres Syrus, reddens: Spiritus, qui est in aeternum Imi-

---

III Disp. XXV & XXVI. Frantzius *in Schol. Sacrific.* Dorscheus *Pentadec. Differt. VI p* 23. Calovius *Socinism. Profligat. Disp XIV. ∫ p* 381 · 621. Schertzer. *Colleg. Antisocinian. Disp L ad LXIII p.* 414 518 & multi alii.

(δ) *apud Polum Synops. Critic. T. V. p. m.* 1250.

Imitatus quoque est *Theophylactus* (ε) & *Theodoretus*, & ante illos *Chrysostomus* (ζ).

§. 7 Non recedunt ab hisce recentiores Versiones. Anglicana Regia exponit: *The eternell Spirit.* Gallica: *l' Esprit eternel.* Belgica: *de eeuvige Geest.*

§. 8. Beato *Luthero* in Versione Germanica dicitur Spiritus Sanctus: durch den Heiligen Geist geopffert. Quam lectionem *Bugenhagius* in versione, idiomate Saxonico inferiori adornata & Magdeburgi 1559. 8vo atque Wittebergae 1573. fol. exscripta, retinuit.

§. 9. Praecursores habuit B. Lutherus *Cyrillum Alexandrinum* (η), & observante Horneio (θ) *Hieronymum*, nec non *Versionem Vulgatam*, a quibus *Spiritus S.* vocatur.

§. 10. Secuti sunt B. Lutherum *Hegendorphinus* (ι), *Estius*, *Ribera* (κ), *Corne-*

Aa 5

(ε) *p. m.* 802. *edit. Basil.* 1554. *f.*

(ζ) *Homil.* 15. *in cap. IX. Hebr. Op. T. III. p. m.* 44.

(η) *de Recta fide Op. T.* 3. *p. m.* 302. *edit. Basil* 1566. *f.*

(θ) *Exposit. Liter. in Epist. ad Hebr. p. m.* 177.

(ι) *Adnotat. in Epist. ad Hebr. p. m.* 171.

(κ) *apud* Polum *l. c.*

nelius a Lapide (λ), *Tirinus* (μ) multitique alii, distinctis tamen sententiis & explicationibus.

§. 11. Quidam illorum statuunt, Spiritum S. Christum impulisse, movisse, atque incitasse, ut sese Deo offerret (ν).

§. 12. Cui sententiae objici solet, quod vocabulo Spiritus articulus demonstrativus non sit additus, & eo ipso tertiam Trinitatis personam denotari non posse autumant.

§. 13. Sed recte dudum monuit judiciosissimus *Gerhardus* (ξ), regulam hanc non esse perpetuam, quod scilicet articulus nomini πνεύματος praefigatur, quando de Spiritu S. tertia Trinitatis persona accipitur. Clarissimo exemplo sunt Hebr. 2, 4: c. 6. v. 4, ubi sine praefixo articulo de Spiritu S. sermo est.

§. 14. Firmiora itaque dispicienda sunt momenta, quae huic sententiae opponi possunt. Et quidem I. Nullibi in scripturis sacris traditur, Christum a Spiritu S. motum

(λ) *in h. l. Op. T. X. p. 907. s.*

(μ) *Comment. in V. & N. Test. p. m. 1202.*

(ν) Tirinus *c. l. adde* Horneum *Exposit. Liter. in Epist. ad Hebr. p. 177. ubi allegat* Thomam & Cornelium,

(ξ) apud Polum *l. c. adde quae tradit* Glassius *Grammat. S. P. 3. Tract. 2. Can. 3. p. 176. s.*

tum incitatumque esse, ut semet victimam offerret. Sub ipso Veteri Testamento jam exclamat: (ο) *En adsum, tuam, mi Deus, voluntatem exsequi mihi placet.* Tantum ergo abest, ut ad obeundum officium mediatorium motore & instigatore opus habuerit, ut potius volens illo functus sit, & sponte semet sacrificaverit.

§. 15. Clarissimis id testatur verbis (ϖ): *Nemo*, inquit, *vitam a me tollit, sed ego pono illam ἀπ' ἐμαυτοῦ.* Ubi ipsemet Christus ostendit, se non invitum atque reluctantem, mortem subire, sed illam ultro & sponte perpeti. Sic enim egregie exponit *Syrus*: Pono vitam ex voluntate mea. Attendit id ipsum *Chrysostomus* (ϱ): *Quod si verum, neminem scilicet tollere vitam, sed eam a semetipso ponere, & illud sequitur, sponte ad hoc venisse.* Suffragatur huic *Augustinus* (σ): *Deseruit vitam non invitus, sed quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit.*

§. 16. Respicere huc quoque videtur apostolus (τ): *Intuemini in fidei Ducem ac per-*

(ο) *Psalm.* 40. v. 8. (ϖ) *Joh.* 10, *v.* 18. (ϱ) *in h. l. T. II. Op. p. m.* 151. (σ) *de Trinitate L.* 4. *c.* 13. *Op. T.* 3. *p. m.* 407. *Edit. Lugdunens.* 1563. 8vo. (τ) *Hebr.* 12. *v.* 2.

perfectorem Iesum, qui vice propositi gaudii pertulit crucem, ignominia contemta, & ad dextram throni Dei consedit. Innuit hisce Paulus, Christum ultro gaudia reliquisse, & eorum loco mortem & ignominiam sponte pertulisse, ut genus humanum ab aeterno exitio liberaret. Digna est *Oecumenii* paraphrasis, ut Paulinis verbis addatur (υ): *Licebat ei cum gloria & gaudio in hoc mundo vivere vitam, (potestatem enim, inquit, habeo, ponendi animam meam, & sumendi eam) sed noluit, imo sponte crucem subiit, ignominia spreta.* Gemina his sunt, quae *Chrysostomus* ad haec Pauli verba inculcat (φ).

§. 17. Idem tradunt primitivae ecclesiae Patres, & passionem Christi voluntariam praedicant. *Dominus voluntate passus est,* inquit *Augustinus* (χ), *non necessitate. Ille miseratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria passio nostra est necessaria consolatio.* Et alibi Christum loquentem introducit (ψ): *Non mortem mei peccati necessitate persolvo, sed in eo quod morior, voluntatem patris mei*

(υ) *in Epist. Paul. T. 2. p. m. 637. edit. Basileens.* 1555. 8vo. (φ) *in h. l. Op. T. 3. p. m.* 61. (χ) *Enarrat. in Ps.* 34. (ψ) *Tract. 41. in Johann. Op. T. IX. p. m.* 371.

mei facio, plusque ibi facio, quam patior, quia si nollem, non passus essem. Eadem mens fuit *Cypriano* (ω): *Christus crucifixus praevento carnificis officio spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus a mortuis sponte surrexit.* Cyprianum secutus est *Epiphanius* (αα): *Nemini est obscurum, Christum sua sponte ad supplicium venisse, atque etiam voluntate cum sua, tum Patris & Spiritus S. adductum, uti carnem indueret, & inter nos hominem se faceret, cum nihilo minus perfectus esset Deus, a Patre principio sine ullo initio vel tempore genitus.*

§. 18. Nec alia tempore *Johannis Damasceni* ecclesia Orthodoxa suis instillavit (ββ): *Nihil*, inquit *Damascenus*, *in Christo coactum conspicitur, sed omnia spontanea. Volens enim esurivit, volens sitivit, volens timuit, & volens mortuus est.* Quae Jodocus *Clithoveus* ad hæc verba notat, lectu non indigna sunt.

§. 19. Rejicit autem damnatque *Saracenos*, qui & *Agarini* vocantur, quod voluntariam passionem Christi negent, & affirmare audeant, Christum nolentem pas-

(ω) *de Idolorum Vanitate p. m.* 88. (αα) *Panar. Haeres. L. I. T.* 2. *Haeres.* 24. *p. m.* 47. *Edit. Coloniens.* 1682. *f.* (ββ) *de Orthodoxa Fide L.* 3. *c.* 20. *p. m.* 258 *Edit. Basil.* 1575. *f. adde p.* 260. 273.

passum esse; de qua secta ejusqve errore videndus Damascenus (γγ).

§. 20. Noverant enim orthodoxi, ea sacrificia Deo placere, quae ipsi ultro, non coacte offeruntur. Ipsemet Deus populo suo Israëlitico praeceperat, oblationes sponte & ultro facere (δδ). Teste apostolo (εε) laetus hilarisque dator Deo gratus & acceptus est, nec ex eo, quod dat, vel dare potest, sed quod dare velit, coramDeo aestimatur. Et populus Novi Testamenti vel inde laudatur, quod oblationes ultro facturus sit (ζζ).

§. 21. Quid? quod apud ipsas gentes malum habebatur omen invita hostia. *Observatum est*, ait *Macrobius* (ηη), *a sacrificantibus, ut si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito Deo offerri eam putabant. Quae autem stetisset oblata, hanc volenti Numini dari existimabant.* Haec qui secum perpenderit, Christi sacrificium invitum non dixerit, nec affirmaverit, eum incitatore, monitore, aut instigatore opus habuisse.

§. 22.

(γγ) *Discept. Christiani & Saraceni apud Johan. Damascen. p. 589.* (δδ) *Exod* 35. v. 5. (εε) 2 *Corinth.* 9. 7. *s.* (ζζ) *Psalm.* 110. 3. (ηη) *Saturnal. L.* 3. *c.* 5 *p. m.* 328.

§. 22. II. Vis argumenti Paulini non exhauritur, sed plane negligitur. Recte scienterque observat *Horneius* (θθ), apostolum plus dicere velle, quam hoc, quod nimirum Christus instinctu Spiritus S. tantum se obtulerit. Siquidem id agit unice, ut pretium atque valorem sanguinis eius, quantum potest, extollat. Patet hoc ex instituta ab eo comparatione cum sacrificiis Veteris Testamenti, ipsoque argumento a minori ad majus concludente. Quodsi enim sanguis taurorum & hircorum sub foedere veteri tantam vim & efficaciam habuit, ut inquinatos a corporali impuritate liberare potuerit; Quanto majorem vim & efficaciam habebit sanguis Jesu Christi, qui est sanguis filii Dei, ut conscientias impuras mundet a peccatis. Fac, Spiritum S. hic motorem incitatoremque Christi esse, Num vero haec admonitio, aut incitatio sanguini Christi tantam vim & efficaciam tribuet, quam praedicare vult Paulus?

§. 23. III. Claris verbis affirmatur, Christum se per Spiritum aeternum obtulisse. Ex qua loquendi ratione haud inepte colligit *Gomarus* (ιι) quod Spiritus aeternus

(θθ) *Exposit. Liter. in Epist. ad Hebr. p. 178. apud Polum Synops. Critic. T. V, p. m. 1520.*

(ιι)

nus ſit offerens. De tertia autem Trinitatis perſona, ſeu de Spiritu S. dici nequit, quod is ſacerdos ſit, qui Chriſtum Deo obtulerit. Ipſe enim Chriſtus & ſacerdos & victima eſt.

§. 24. Sacerdotis nomen jam ſub Veteri Teſtamento illi datum eſt (κκ). Functus quoque eſt veri ſacerdotis munere, dum ſacrificavit (λλ), docuit (μμ), & usque ad conſummationem ſeculi, fructu tamen aeternum duraturo, intercedit (νν).

§. 25. Eſt quoque victima. Seipſum enim tradidit oblationem & victimam Deo in odorem bonae fragrantiae (ξξ). Conſiſtit autem illa potiſſimum in oblatione corporis & effuſione ſanguinis (οο). Quae luculenter oſtendunt, Jeſum Chriſtum & ſacerdotem & victimam eſſe.

§. 26. Conſentiunt his iterum Patres primitivae eccleſiae: *Auguſtinus* (ϖϖ): *Et quidem ſolus ille ſacerdos talis extitit, ut ipſe eſſet*

(κκ) *Pſalm.* 110 v. 4. *Hebr.* 5. 6. c. 7. v. 17. (λλ) *Arnkiel* zwiefaches Mittleramt Chriſti *c.* 9. *p.* 69. (μμ) *l. c.* (νν) *de interceſſione Chriſti confer Feurborn. Faſcic. IV. Diſſ. VI Op. p.* 613 726. (ξξ) *Epheſ.* 5. 2. (οο) *Hebr.* 9. 11. *ſ.* (ϖϖ) *Enarrat in Pſalm. XXV. Op. T. VIII. S.* 1. *p.* 149. *Edit. Lugd.* 1563. 8vo.

esset etiam sacrificium, obtulit Deo non aliud, quam seipsum. Non enim inveniret praeter se mundissimam rationalem victimam, tanquam agnus immaculatus fuso sanguine redimens nos. Et adhuc clarius: (ϱϱ) *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Et ubi immolatus est? Dicito in altitudine crucis. Novum est altare sacrificii huius, quoniam & immolatio nova, & admirabilis. Ipse enim & hostia erat & sacerdos. Hostia quidem secundum carnem, sacerdos vero secundum spiritum. Idem ipse & offerebat quidem se secundum spiritum, offerebatur vero secundum carnem.* Et postquam ad apostolum Paulum Hebr. 5. & c. 9. provocaverat, concludit: *Vidisti quomodo simul & hostia & sacerdos factus est, & altare erat crux. Cyrillus Alexandrinus* (σσ): *Saepe ostendimus ex scripturis sacris, Christum esse & hostiam, quae pro peccato mundi offertur, & sacerdotem, qui offert hostiam. Hermannus Abbas* (ττ): *Christus est sacerdos, a quo & per quem reconciliati sumus. Ipse hostia, qua reconciliati sumus, ipse est Deus, cui reconciliati sumus.*

§. 27. Impulsum & instinctum Spiritus Sancti, quo Christus se obtulisse Deo

(ϱϱ) *de Tempor Serm* 130. *Fer. V.* 1. *in Parasceve Op. T. XI. p. m.* 399. (σσ) *in Levitic. l.* 5. *Op. T. I. p. m.* 666. *Edit Basil.* 1566 *f.* (ττ) *De incarnatione Domini c.* 6.

dicitur, explanaturus *Lucas Osiander* (vu) addit: Qui est charitas ardentissima. Quibus haud obscure innuere videtur, Spiritum S. Christum ad amorem inflammasse, ut sese Deo offerret. Sed haec incitatio seu inflammatio Christi ad amorem a Spiritu S. facta nullibi in Scripturis legitur, & extra eam non est singenda. 2) Christus est verus Deus, adeoque ipse amor (φφ), non indiget aliqua inflammatione. Siquidem 3.) ardentissimus & constantissimus eius amor praedicatur (χχ) 4.) Ipsa quoque oblatio eidem amori a Paulo adscribitur (ψψ): *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Ad quae verba *Theophylactus* (ωω): Atque pro omnibus dedit seipsum, omnes dilexit. Enimvero Paulus secum cogitans, a quibus hos liberarit Christus, & quid donarit charitate inflammatus, quod publicum est, proprium facit. 5) Quantus amor Christi fuerit, ostendit *Cyrillus Alexandrinus* (ααα): *Vides novum & inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut seipsum. Christus au-*

(vu) *Bibl. Sacr. P. III, p. m.* 631. (φφ) 1. *Joh.* 4. 16. (χχ) *Joh.* 13, 1. *Rom.* 5. 6. *s.* (ψψ) *Galat.* 2, 20. (ωω) *p. m.* 605. (ααα) *l.* 9. *in Evangel. Johann. c.* 23, *p. m.* 442.

autem magis nos, quam seipsum amavit. Nam aliter quum in forma & aequalitate substantiae Dei patris esset, nequaquam ad nostram humilitatem descendisset, nequaquam tam acerbum pro nobis crucis patibulum sustulisset, noluisset caedi, derideri, conspui a Judaeis. Quid plura? Innumerabilia enim pene sunt, quae uno verbo secundum Paulum concludamus. Non fuisset factus pauper, nisi nos magis, quam seipsum amasset, adeoque incitatione atque inflammatione ad amorem opus non erat. 6) Sequeretur oblationem Christi non fuisse spontaneam. Ad quod enim quis incitatur inflammaturque ab alio, id non ultro nec sponte agit. Supra autem demonstravimus, Christum se sponte & ultro obtulisse.

§. 28. Atque haec perspicue planeque demonstrant, per Spiritum aeternum tertiam Divinitatis personam seu Spiritum S. hoc loco intelligi non posse, cujus instinctu motuque Christus sese victimam Deo obtulit. Hinc alia quaeritur expositio a *Cornelio a Lapide* (βββ): *Spiritus S. ille est, cui uti Christi conceptio, ita & oblatio ac redemtio, omnisque sanctificatio nostra tanquam primo omnis gratiae & sanctitatis fonti tribuenda est.* Vel ut

 Pruck-

(βββ) *in h. l. Op. T. X. p. 908.*

Prucknerus (γγγ) cum *Tarnovio* loquitur, Spiritus S. eſt redemtionis aeternae *ἄιτιον κυριακόν*. Verum enim vero hic non de primaria redemtionis cauſa, ſed de oblatione Chriſti, eiusque vi ac valore agitur, ceu illa ab apoſtolo inſtituta comparatio inter ſacrificia Veteris Teſtamenti, & Sacrificium Chriſti, inter ſanguinem taurorum, hircorum & ſanguinem Chriſti proprium oſtendit, cuius efficaciam apoſtolus prae ſanguine hircorum & taurorum extollit.

§. 29. Hisce inextricabilibus difficultatibus expoſitam interpretationem cum videret *Piſcator*, aliam, ſed non meliorem meditatur, & per Spiritum aeternum, Chriſti animam immortalem intelligit, & eo ipſo ſignificari putat, quod Chriſtus obtulerit ſe ſciens ac volens, atque ita commendetur eius erga Patris mandatum obedientia (δδδ). Sententia haec nec nova nec a Piſcatore inventa, ſed jam ab *Origene* prolata (εεε), qui Piscatori praeluſit. Quanquam autem anima immortalis ſit ſpiritus, attamen 1) is non vocatur in ſcripturis ſacris aeter-

(γγγ) *Vindic. Biblic. P. V. p.764.* (δδδ) *Comment. in N. T. p. 1336.* (εεε) *in Epiſt. ad Roman. L. I. c. L. Op. T. III. p. 184. Edit. Lugdunenſ. 1536. f.*

aeternus ſpiritus. 2) Nullibi in ſcripturis ſacris dicitur, Chriſtum ſe per animam immortalem obtuliſſe Deo, ita ut anima ejus immortalis ſacerdos ſit, per quem oblatio ejus facta. 3) Quid quod ipſam animam Deo in ara crucis tradidit (ςςς). Nec 4) dici poteſt, ab hac anima immortali Chriſti ſanguini tantam vim & efficaciam competere.

§. 30. Adhuc alii cum vix habeant, quid per Spiritum aeternum intelligant, expoſitionem plane omittunt, quos inter *Johannes Calvinus* (nnn).

CAP. II.

Per ſpiritum aeternum Divinam naturam ſeu Deitatem in Chriſto intelligi demonſtrans.

Recenſitis expoſitionibus variis, ſed parum commodis firmisque, illa tandem in medium producenda eſt, quae certa, in ſcripturis ſacris fundata, & teſtimoniis primitivae eccleſiae corroborata & munita eſt. Atque haec eſt, quae per Spiritum aeternum Divinitatem Chriſti in unione perſonali cum hu-

(ςςς) *Luc.* 23, 46. (nnn) *Comment. in Epiſt. Paul. p. m.* 71.

mana natura ſubſiſtentem intelligit. Quod ut clarum reddamus atque manifeſtum, non minus ad vocabulum Spiritus, quam aeternitatis attendendum probe reſpiciendumque eſt.

§. 2. Ecquis autem ignorat, aut diffiteri ſuſtinebit, Spiritus vocabulum Chriſto tribui, eodemque divinam eius naturam deſignari? Graviſſimum omnino teſtimonium impertit Paulus (α) *Magnum eſt pietatis myſterium. Deus apparuit in carne, juſtificatus in Spiritu.* Per ſpiritum hic intelligit apoſtolus divinitatem, quae in Chriſto σωματικῶς habitavit (β), & quam aliquoties cum omnium ſtupore exſerens, palam oſtendit, ſe minime ψιλάνθρωπον, ſed Θεάνθρωπον hominem & Deum laudatum in ſecula eſſe (γ). Vilis quidem erat natura, quam aſſumſerat, & contemptui externa illa forma, erat enim forma ſervi (δ). Verum cum doceret, miracula ederet, & ſemet a mortuis excitaret, divinitatem ſuam manifeſtiſſime oſtendit. Id enim verbum *juſtificare* ſonat, & juxta *Calvinum* (ε) approbationem divinae poten-

(α) 1. *Timoth.* 3. v. 16. (β) *Coloſ.* 2. 9. (γ) *Rom.* 9. (δ) *Philipp.* 2. 7. (ε) *Comment. in Epiſt. Pauli p. m.* 595. *adde Bezam Annot. in N. T. p. m.* 275.

tentiae significat, *ut Ps. 9, v. 10. judicia Dei justificata, hoc est exquisite & ad unguem perfecta, & Ps. 51, v. 6. Justificari Deum, pro eo, quod est, laudem justitiae ejus conspicuam reddit. Sic & Matth. 11, v. 19. justificatam esse sapientiam a filiis suis, intelligit honorem illi suum exhibitum.* Item *Luc. 7. v. 35. quum publicanos justificasse Deum commemorat, intelligit, debita reverentia & gratitudine prosecutos esse Dei gratiam, quam in Christo cernebant. Ergo tantundem valet, quod hic legimus, ac si dixisset Paulus: eundem, qui carne humana vestitus apparuit, simul tamen declaratum esse Dei filium, ut carnis infirmitas nihil derogaverit eius gloriae. Spiritus ergo nomine comprehendit, quicquid in Christo divinum fuit, ac supra hominem, idque ob duas causas. Nam quia in carne humiliatus fuerat, nunc ex adverso illustrationem gloriae, ponens Spiritum, opposuit. Deinde gloria illa unigenito Dei filio digna, quam Johannes in Christo spectatam fuisse docet, non externa pompa, non terreno splendore constabat, sed spiritualis fere tota erat.* Brevius clariusque juxta *Danaeum* (ζ) *Sensus est, in vili illa natura, quam Christus assumsit, manifestissime apparuit divina Christi natura, quae hic Spiritus vocatur, ut Rom. 1. 3. 4. 1. Pet. 3. 18.* Et juxta *Bezam manifestationi carnis opponi-*

(ζ) *apud Polum Synops. Critic. T. V. p. m. 996.*

ponitur hic gloria Deitatis sese in carne exserens. Spiritum vocat, quicquid in Christo divinum, & supra hominem fuit.

§. 3. Simili & ferme eadem locutione utitur apostolus alibi (*a*): *Jesu Christus factus ex semine David secundum carnem, declaratus filius Dei potenter secundum spiritum sanctificationis per resurrectionem a mortuis.* Distinguit apostolus accurate carnem, juxta quam ex semine Davidis natus est, a spiritu sanctificationis, secundum quem filius Dei potenter fuit declaratus. Est autem apostolo spiritus sanctificationis vivifica illa vis, qua verus Deus cum alios, tum praecipue semetipsum resuscitavit. Vel ipsa divina natura carni & humanae naturae relative opposita, qua ipsemet a mortuis resurrexit.

§. 4. Placet hic ex infensissimis divinitatis Christi hostibus *Johannem Crellium* audire, qui per spiritum sanctificationis divinam naturam intelligit, quanquam errores suos de inferioritate Christi inspergat, quos pius & eruditus lector me non monente, ab ipsa re secernet. Ita autem Crellius hæc Pauli verba explanat (*b*): *Opponuntur hæc verba illis: secundum carnem,* &

(*a*) *Rom.* 1. v. 4. (*b*) *Commentar. inchoat. in Epist. ad Rom. p.* 17. *Edit. Racov.* 1636. 8vo.

& ſecundum hunc ſpiritum vult Chriſtum Dei filium eſſe.

§. 5. Gratis autem dicit Crellius: Voces iſtas *ſecundum carnem* nuſpiam divinae naturae opponi, cum hæc oppoſitio hoc in loco, ceu in multis aliis clariſſime fiat. Juxta Crellium quatenus Chriſtus carnem ſuam ex Davidica ſtirpe traxit, filius Davidis eſt, & quatenus ſpiritum ſanctificationis ex Deo traxit, eatenus filius Dei eſt. At quid hoc aliud, quam ipſo facto humanam naturam ex Davide, ſeu carnem, generationi aeternae a Deo, ſeu divinae naturae, opponere? Naturam humanam ſeu carnem juxta Crellium conſtituit generatio ex Davide, Ergo quod traxerit Chriſtus ſpiritum ſanctificationis a Deo, conſtituit divinam naturam. At hic caro & ſpiritus ſanctificationis opponuntur, Ergo & caro, ſeu humana natura & divina natura. Perſpicuum enim eſſe putamus, Chriſtum non per, nec ſecundum Spiritum S. ſed per divinitatem a Patre generando ipſi communicatam filium Dei eſſe, alias non Patris, ſed Spiritus S. filius eſſet vocandus, quod ipſemet *Volckelius* negat (*ι*).

(*ι*) *de Vera Religione l. V. c. 12. p. m. 481. Edit. Raca c. &. 1630. 4to.*

§. 6. Adstipulatur nostrae sententiae *Petrus* (κ), *Christus semel pro peccatis passus fuit justus pro iniustis, ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.* Eodem modo hic apostolus carnem Christi Spiritui relative opponit, & per illam humanam, per hunc autem divinam naturam in una Christi persona distincte clareque designat. Illa enim tanquam principio quo subiective mortificatus, hoc autem spiritu seu hac divina natura effective vivificatus est.

§. 7. Fumum hic vendit *Johannes Crellius* (λ) per Spiritum hoc loco illum intelligens, qui Christo divina benignitate proprius factus est, quo simulatque Christus praeditus fuit, vivificatus, id est immortalis factus est. Quemadmodum cum carne praeditus erat, morti fuit obnoxius, & tandem etiam occisus. Sed non exponit Crellius, quisnam ille sit Spiritus, qui Christum immortalem reddidit. De Spiritu S. tertia divinitatis persona nullibi in scripturis sacris legimus, quod tale quid Christo praestiterit. Ipse potius Christus vocatur vita (μ) & affirmat, se vitam in semet ipso habere, quemadmodum Pa-

(κ) 1. *Pet.* 3. *v.* 18. (λ) *Comment. inchoat. in Epist. ad Roman. p.* 22. (μ) *Joh.* 14. 6.

Pater vitam in ſemet habet (υ), & ſemetipſum poſt mortis triduum vivificaturum eſſe (ζ). Denique ſi Chriſtus juxta Crellium eadem ratione ſpiritu praeditus immortalis redditus eſt, qua carne indutus morti fuit obnoxius, ſequitur omnino, Chriſtum ratione divinae naturae immortalem eſſe, ſeu vim vivificandi habere. Haſce enim naturas divinam & humanam in Chriſto perſonaliter unitas veneramur. Et ſic eodem redit, quod ſpiritus ſit divina natura, qua ſemet a mortuis reſuſcitavit.

§. 8. Notatu digna eſt obſervatio B. *Schomeri* (ο): *Spiritus cum in perſona Chriſti opponitur carni, ſignificat divinitatem & majeſtatem carni communicatam, & unione perſonali & unitione Spiritus S. Itaque Chriſtus dicitur Heb. IX, 14. ſe obtuliſſe Deo per Spiritum aeternum, i. e. vi aeternae Deitatis, qua gaudebat ex unione perſonali, qua paſſio humanae naturae & dignitatem illam accepit, ut pro mundi peccatis ſufficeret.*

§. 9.

(υ) *Joh. 5, 26.* (ζ) *Joh. 2, 19.* (ο) *apud Moller. obſervat. Philol. II. p. 9. adde Danhauer. Hodoſ. Phaenom. VIII. p. 746. & ante illum Bezam Annot. in N. T. p. m. 172. ſq. 275. & 307. b. necnon Eraſmum Schmidium Annot. in N. T. p. m. 638. & p. 1320.*

§. 9. Hancce Scripturae sacrae locutionem primitivam ecclesiam imitatam esse, recte omnino monet probatque *Mollerus* (ϖ) inque ejus fidem loca ex *Ignatio*, *Barnaba*, & *Irenaeo* adducit, quae exscribere non placet. Adiungo hisce tantum Hermam Pseudodiscipulum Pauli (ϱ): *Postquam scripsi mandata & similitudines pastoris illius, nun ii poenitentiae, venit ad me & dixit mihi: Volo ostendere tibi, quaecunque Spiritus tibi ostendit, qui in effigie ecclesiae locutus est tecum. Ille enim Spiritus filius Dei est.* En! Hermas filium Dei expresse Spiritum vocat.

§. 10. Num autem antiquitas filium Dei etiam Spiritum S. vocaverit, altioris est indaginis, & proprie huc non spectat, qui affirmavimus & demonstravimus, divinam Christi naturam in sacris literis Spiritum vocari. *Sandius* ad propinandum Arianismi virus affirmat, filium Dei apud Patres primitivae ecclesiae Spiritum S. etiam vocari (σ). *Bebelius* autem, diligentissimus

(ϖ) *observat. Philol. observat. II. p. 8.* (ϱ) *Similitud. IX. Orthodoxograph. p. m. 52.* (σ) *apud Bebel. Antiquit. Evangel. Artic. VI. Sect. I. p. 385. f.*

mus antiquitatis ſcrutator, circa hanc quaeſtionem haeſitat, aiens (τ): *Videntur hoc nonnulli veterum affirmare.* *Mollerus* autem plenarie admittit (υ), Hermae verbis nixus, qui ita loquitur (Φ): *Orbem terrarum fundus ille ſignificat, qui in ſimilitudinem eſt poſitus. Dominus autem fundi demonſtratur eſſe is, qui creavit cuncta, & conſummavit, & virtutem illis dedit. Filius autem Spiritus Sanctus eſt.* Idem nomen filio Dei tribuit auctor Quaeſtionum ad Antiochum, Athanaſio vulgo, ſed falſo adſcriptarum (χ): *Chriſtum conſtare ex Deitate & humanitate, ſacrae nobis declarant Scripturae, Verbum enim caro factum eſt. Quod ergo ad verbi divinitatem, idem Chriſtus Spiritus Sanctus dicitur.* Et nonnullis interpoſitis: *Qui Spiritum Sanctum, hoc eſt Deitatem filii blaſphemabant, & dicebant, quod per Beelzebub Principem daemoniorum ejiciebat daemonia, his, inquit, non remittetur, neque in hoc neque in futuro ſeculo.*

§. II. Nullum autem praeſidium in hisce aliisque huius generis locis invenit *Sandius* & *Zvickerus*, quo horrendum &

(τ) *l. c.* (υ) *Obſervat. Philol. p.* II. (Φ) *Similitud. V. Orthodoxogr. p. m.* 45. (χ) *Athanaſ. Op. T. II. p. m.* 359.

& impium dogma de neganda Spiritus Sancti personalitate incrustare possit. Illi enim in primitiva ecclesia, qui filium Dei Spiritum Sanctum vocant, vocem Spiritus οὐσιωδῶς accipiunt, prout tribus personis communis est. Producit Sandius *Hilarium* testem. Placet eundem Hilarium eiusdemque testimonium audire, quo hanc observationem comprobat. Is postquam de Deo Patre filioque pluribus verbis egerat, venit ad tractationem de Spiritu S. tertia divinitatis persona, & ait (ψ): *Manere hic quosdam in ignorantia atque ambiguitate existimo, quod NB. NB. hoc tertium, id est, quod nominatur Spiritus Sanctus, videant pro Patre & Filio frequenter intelligi, in quo nihil scrupuli est. Sive enim Pater, sive filius, & Spiritus Sanctus est. Sed id, quod in Evangeliis legimus, quia Deus Spiritus est, diligenter est contuendum, quomodo & qua ratione sit dictum.* Demonstrat hisce verbis Hilarius, se vocem Spiritus S. Patri, filio, & tertiae divinitatis personae tributam essentialiter sumere, quatenus omnibus tribus personis communis est, siquidem & Spiritualitas omnibus tribus competit. Deinde

(ψ) *de Trinitate l. 2. Op. p. m. 29. Edit. Basil. 1550. f.*

de exponunt ſemet veteres, quid per Spiritum S. intelligant, apponentes ſtatim vel filium Dei, vel Deitatem filii, quod ex allatis exemplis patet. Porro filium Dei Spiritum S. vocantes, non negant perſonalitatem illius tertiae perſonæ in divinitate, quae alias proprie nomine Spiritus S. venit, confitentur potius & confirmant eandem, ceu ex Hilario aliisque patet. Denique diffiteri non poſſumus, Patres ante motas Pneumatomachorum controverſias, ſecurius locutos eſſe. Locum ergo hic habent illa B. *Danhaueri* verba (ω): *Multa condonamus ignorantiae veterum, quae in tanta luce in Anabaptiſtis, in Socinianis ferre non poſſumus.* Et (αα): *scire debebant, nævos condonari Cypriano, non item Donatiſtis, multa indulgeri controverſiarum initiis adhuc luctantibus, quae non indulgentur roboratis. Multa praecipitatis in fervore diſputandi, quae non perinde condonabantur meditatione doctioribus, multa dogmatibus particularibus, quae non condonantur conſpiratione plurimorum coagulatis, multa retractatis, quae non condonantur excuſatis, palliatis, propugnatis.*

§. 12.

(ω) *Hodoſoph. Phaen. X. p. 1076.* (αα) *Hodomor. Calvin. Phantas. IV. p. 964.*

§. 12. Cum itaque Scriptura Sacra, & primitiva ecclesia divinitatem Christi Spiritum appellat, ceu ipso sole meridiano clarius demonstravimus, ab hac significatione hoc in loco non recedemus, inprimis cum ipsum aeternitatis epitheton eam magis magisque confirmet. Eo enim Paulus Spiritum discernere vult ab ea natura, quae sanguinem fudit. Constat autem ex scriptura sacra & supra dictis, in Christo & offerentem Sacerdotem, & oblatam victimam esse. Offerens quidem tota erat persona, sed secundum aeternam divinamque naturam. Loquente enim *Danhauero* (ββ), *Deitas active cooperata est.* Oblatum autem seu victima sanguis Jesu Christi erat, secundum humanam naturam in unione personali subsistentem.

§. 13. Describit autem apostolus hunc aeternum Spiritum, tanquam sacerdotem offerentem, adeoque confirmat, quod volumus, nempe spiritum aeternum esse divinam naturam, seu deitatem, qua ab aeterno apud Patrem fuit (γγ), aeternamque λύτρωσιν rem & inventu & paratu alio-

(ββ) *Hodosoph. Phaenom. VIII. p. 679.* (γγ) *Prov. 8. 22. Joh. 1, 1. s. Ebr. 1. 8. s.*

alioquin difficillimam invenit. Quae cum antrorsum valeat & retrorsum, a condito nimirum mundo usque ad finem seculi, recte omnino aeterna appellatur (dd).

§. 14. Vt itaque haec redemptio illum valorem pondusque haberet, effecit aeternus ille spiritus, de quo jam nobis sermo est. Is enim sacerdos divinissimus, per quem se Christus obtulit immaculatissimum, effecit, ut sanguis suus taurorum hircorumque sanguini infinitis antistaret spatiis. Sanguis enim effusus, non nudi hominis, qui redimere non poterat (ee), sed Dei sanguis est, in unione personali cum humana natura subsistentis. Hinc ipse Deus proprio sanguine ecclesiam redemit (ζζ), illumque sanguinem adeo pretiosum reddidit, ut non tantum carnem exterius, velut sanguis taurorum & hircorum, in Veteri Testamento, sed interius potius, conscientias a mortuis operibus purificaret ad serviendum Deo viven-

(dd) *Heb.* 9. 12. 1. *Pet.* 1. 20. *Apoc.* 6. 12. (ee) *Psalm.* 49. 8. 9. (ζζ) *Act.* 20. 28. *confer Dorsch. in Pentadec. Diss. V. p.* 200-251.

ti. Sanguis enim Jesu Christi, filii Dei, mundat a peccatis (ηη).

§. 15. Et licet fateamur, Deitatem proprie in & per se consideratam, tanquam omnis omnino passionis expertem, neque pati, neque mori posse; attamen cum circa apotelesmata seu operationes officii mediatorii utraque natura agat, quod suum est, cum communicatione alterius, juxta regulam concilii Chalcedonensis, Christus non tantum in humanitate, verum etiam in divinitate operatus est, servata tamen in hoc genere cuiusque naturae proprietate, loquente sic magno nostro Chemnitio (θθ). Hinc tota persona est passa, & redemtionem generis humani invenit, secundum quidem humanam naturam, sanguinem fundendo, secundum divinam vero naturam, vim, valorem, efficaciam & pondus *ισόῤῥοπον* pro expiandis peccatis tribuendo.

§. 16. Patrum testimonia afferre non displicet. Ita autem *Damascenus* inquit (ιι): *Ipsum Dei verbum omnia sustinuit carne,* di-

(ηη) 1. *Joh.* 1. 7.

(θθ) *de duabus in Christo naturis c.* 17. *p.* 88.

(ιι) *de orthodoxa fide l.* 5. *c.* 26. *p. m.* 271.

divina eius sola natura impassibili perdurante. Nam uno Christo ex Deitate & humanitate composito in Deitate & humanitate existente patiente, hoc quidem passibile, ut natura erat pati, patiebatur, at non simul patiebatur, quod erat impassibile. Nam anima passibilis existens inciso corpore ipsa non incisa condolet, & compatitur paticnte corpore. At divinitas impassibilis existens non compatiebatur corpori. Et id sciendum, quod dicimus, Deum in carne passum, divinitatem autem carne passam, aut Deum per carnem passum nequaquam. Gemina ferme tradit *Vigilius* (xx): *Passus est Deus in unione personae, non est passus in proprietate naturae. Siquidem passionis iniurias etiam divinitas pertulit, sed passionem sola eius caro persensit. Sicuti solis radium vel flammae corpulentiam recte dicimus posse quidem gladio secari, non posse tamen dirimi. Ita verbum Dei jure dicimus passionis iniurias pertulisse. Dicam adhuc manifestius: Confixa est clavis divinitas, sed ipsa penetrari non potuit, siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit, nam Deus invisibilis mansit.*

§. 17. Adstipulantur huic expositioni summi ecclesiae nostrae Doctores, quos in-

(xx) *l. 2. contra Eutych. Biblioth. S. PP. T. V. p. 518.*

inter primas ducit *Chemnitius* (λλ): *Vnde sanguis Christi vim illam mundandi a peccatis habeat, ostendit epistola ad Hebraeos c. 9. quia scilicet per Spiritum aeternum, hoc est, per aeternam suam diuinitatem corpus & sanguinem suum obtulit Deo.* Confer quoque *Aegidium Hunnium* (μμ), *Erasmum Schmidium* (νν), *Conradum Horneium* (ξξ), multosque alios.

CAP. III.

Obiectionibus respondens.

SUfficere haec poterant ad probandam nostram sententiam, nempe per Spiritum aeternum divinitatem Christi intelligi, per quam se innocentissimum obtulit Deo. Vt autem certitudo huius interpretationis magis adhuc illucescat, adversariorum obiectiones audiendae & refutandae sunt.

§. 2. Satius quidem esset juxta B. *Lutheri* monitum, hunc fidei articulum sim-

(λλ) *de duabus in Christo Natur. c. 24. p. 142. adde c. 17. p. 87.* (μμ) *in c. IX. Epist. ad Hebr. Op. T. IV. p. m. 914.* (νν) *Annotat. in N. T.* (ξξ) *Exposit. Liter. in Epist. ad Hebr. p. 17*[illegible]

simpliciter credere, nec ullam litem movere. Ach HErr GOtt/ inquit (α), von solchen seeligen tröstlichen Articul solte man ungezanckt/ ungezweifelt/ im rechten Glauben immer frölich seyn/ singen aber und dancken GOtt dem Vater vor solche unaussprechliche Barmhertzigkeit/ daß er uns seinen lieben Sohn hat lassen uns gleich Mensch und Bruder werden. So richtet der leidige Satan durch ehrsuchtige verzweiffelte Leute solchen Unlust an/ daß uns die liebe und seelige Freude muß verhindert und verderbet werden. Das sey GOtt geklaget: denn wir Christen müssen das wissen/ wo GOtt nicht mit in der Wage ist/ und das Gewichte giebt/ so sincken wir mit unser Schüssel zu Grunde/ das meine ich also: wo es nicht solte heissen/ GOtt ist für uns gestorben/ sondern allein Mensch/ so sind wir verlohren. Aber wenn GOttes Todt/ und GOtt gestorben in der Wageschüssel liegt/ so sincket er unter/ und wir fahren empor/ als eine leichte und leere Schüssel. Aber er kan auch wol wieder empor fahren/ oder aus seiner Schüssel springen. Er könte aber nicht in der Schüssel sitzen/ er muste uns gleich ein Mensch werden/ daß es heissen könte: GOtt gestorben/ GOttes Marten/

(α) von den Conciliis und Kirchen T. VII. Jenens. Germ. p. m. 250. f.

ter / GOttes Blut / GOttes Todt. Denn GOtt in seiner Natur kan nicht sterben / aber nun GOtt und Mensch vereiniget ist in einer Person / so heisst es recht: GOttes Todt / wenn der Mensch stirbt / der mit GOtt ein Ding / oder eine Person ist. Verum cum nonnulli hoc solatii plenum dogma oppugnent, divina veritas contra pestifera eorum tela defendenda & vindicanda est.

§. 3. Adversarium hic primo habemus *Piscatorem*, cui sententia nostra, qua per Spiritum aeternum, divinam Christi naturam intelligit, & per eam se obtulit, vel ideo non placet, quia Deitatis non est, victimas offerre, sed potius oblatas accipere (β). Exinde colligit, Christum tanquam verum Deum se non obtulisse, quippe qui potius victimas accipere debuisset. Concedimus quidem Piscatori, Deitatis in & per se consideratae non esse victimas offere, sed potius oblatas accipere. Verum in unione personali cum humana natura subsistentis utique simul erat, offerre, ut totus Christus diceretur, semet obtulisse. Diserte enim apostolus affirmat, Christum per Spiritum aeternum se obtulisse Deo. Christus vero non unicam

(β) *Comment. in N. T. p. m.* 1335.

cam denotat naturam, sed totum illud ὑφιστάμενον, quod duabus, divina nempe & humana constat naturis. Non minus acute, quam breviter hoc suo more proponit *Dannhauerus* (γ): *Christus obtulit se totum in holocaustum, obtulit carnem, animam, sanguinem, lacrymas, aquam, quae a perfosso latere emanavit, famem item, sitimque, ne ipso quidem Deo excepto, qui victimae vim ac momentum dedit, omnemque illius sortem sibi appropriavit. Deus oblatus est objective, Deitas active cooperata est. Si enim tantum humana natura tradita est in mortem,* recte colligit *Feurbornius* (δ), *E. filius Dei seipsum non tradidit in mortem. Posterius autem affirmat Paulus, Christum, hoc est, personam, quae simul verus homo & verus Deus est, semet ipsum obtulisse, E. non tantum humana natura se obtulit, sed ipse Deus, ipsa divinitas in concreto.*

§. 4. Piscatori, minus sane de Christi satisfactione docenti, socium se adiungit *Smalcius* ita argumentans (ε): *Si Christus Deo satisfecisse dicitur, consequetur, aut Christum non esse Deum, scilicet summum, aut si Deus sit, sibi satisfecisse, quod est absurdum.* Resp. 1. quod Smalcii malesanae per-

 ver-

(γ) *Hodosoph. Phaen. VIII, p. 679.* (δ) *Fascic. II. Disp. I, thes. 59.* (ε) *de Satisfactione c. 12.*

versaeque rationi absurdum videtur, id non ideo falsum, nec in & per se absurdum est, Christum scilicet ut Deum sibi satisfecisse. Viae enim Dei non sunt hominum viae, & cogitationes Dei non sunt cogitationes hominum (ζ). 2. Plus hic valet Scripturae auctoritas, affirmantis, Deum sibi mundum reconciliasse in Christo, Christum semet offerendo Deo satisfecisse, quam stultae rationis nugacitas. 3. Latet in illa oblatione magnum mysterium, quod si non capitur, negandum exinde non est, sed potius cum Paulo dicendum (η): *O profundas divitias tum sapientiae, tum cognitionis Dei! o quam inscrutabilia sunt eius judicia, & eius viae impervestigabiles.* 4. Breviter autem, sed argute hoc mysterium proponit *Augustinus* (θ): *Iste* (Christus) *est, qui in se uno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostrae sciebat effectum, idem scilicet & sacerdos, & sacrificium, idem Deus & templum. Sacerdos, per quem sumus reconciliati, sacrificium, quo reconciliati, templum, in quo re-* con-

(ζ) *Esa.* 55. v. 8. (η) *Rom.* 11. 33. (θ) *l. de Fide ad Petrum Diac. Op. T. III. p. m.* 288. *Abiudicatur Augustino & adscribitur Fulgentio Ruspensi velut auctori vero, apud Cave Hist. Liter. T. I. p.* 173.

conciliati, & haec omnia Deus secundum formam servi. Pergit: *Reconciliati igitur sumus per solum filium secundum carnem, sed non soli filio secundum divinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit, per hoc, quod solum verbum carnem ipsa Trinitas fecit.* Adumbratur denique 5. simili a judice legem ferente, ut adulter per effossionem oculi puniretur; cuius delicti cum filius argueretur, filio unum, alterum oculum sibimet effodit, adeoque legi & sibimet ipsi satisfecit (ι).

§. 5. Adversatur hic quoque nobis *Socinus* (κ), & oblationem hanc Christi per Spiritum aeternum factam per vitae Christi perpetuitatem exponit, qua nempe in aeternum pro nobis coram Deo apparet. Ratio autem levissimae huius conjecturae haec dicitur, quia spiritus literae i. e. legi tacite opponitur, quae nec aeterna fuit, nec sacerdotes in aeternum constituebat. Resp. 1. Repugnat Socino apostoli scopus, quo ipsum sacrificium Christi eiusque vim & efficaciam describere vult, non autem ea commemorare, quae in coelis facta sunt, vel fiunt. 2. Non op-

(ι) *Meisner. Anthropol. S. Decad. III. Disp. XXVI.* §. 65.

ponit apostolus sacrificium Christi sacrificiis V. T., sed illud cum hisce confert & comparat. Quod si, inquit, sanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencae aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum se obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram a mortuis peccatis ad serviendum Deo vivo. Quae sane argumentatio a minori ad majus, non autem oppositio est. Arguit enim apostolus; Si sacrificia V. T. ad purgandam carnis immunditiem faciebant, multo magis sanguis Christi conscientias emundabit. Ratio consequentiae est, quia Christus per Spiritum aeternum se immaculatum obtulit Deo patri, seu quia profusus is sanguis non hominis, sed Dei est. 3. Infracta hac oppositione, quam Socinus finxerat, cadit illa expositio, qua Spiritus aeternus aeterna perpetuitas vitae esse debet. 4. Hanc acceptionem Spiritus ex Scripturis sacris Socinus nunquam probabit. Nec 5. exemplum ex sacris literis afferre poterit, quo demonstret, προσφέρειν idem esse ac *apparere*.

§. 6. Merae argutiae sunt, quas *Smalcius* circa vocem, *conscientiam vestram*, hat-

haerens, nectit (λ), & exinde infert: Homines N. T. hic tantum denotari, & aliis, quorum peccata alia ratione expiantur, opponi. Verum 1. ab unius positione ad alterius exclusionem N. V. C. Mundat sanguis Christi conscientiam nostram, E. aliorum conscientiam non mundat? Quae consequentiae ratio? 2. Concedit Smalcius, homines N. T. hoc sanguine Christi mundari, adeoque fatetur, eos sufficientem satisfactionem in Christo habere. 3. Falsa & ficta est oppositio. Non opponit apostolus homines V. T. illis sub N. T., sed argumentum a minori ad majus nectit. Unde 4. ipse hic sanguis Christi eos sub V. T. mundavit, siquidem illa sacrificia typi erant unici sacrificii Christi, pluribus id apostolo in proxime praecedentibus probante.

CAP. IV.

Fructus huius expositionis sistens.

Discussis aduersariorum argumentis, quibus expositionem nostram destruere conabantur, restat adhuc, ut perpendamus, quidnam intersit, quod tam fuse demonstravimus, per Spiritum aeter-

(λ) *de Satisfact. c. 12.*

aeternum divinam in Christo naturam intelligi. Fructus est certe longe maximus atque uberrimus; nimirum 1. *perfecta illa & sufficientissima satisfactio*, quam Jesus Christus, verus Deus, verus itidem homo pro nobis Deo irato praestitit, nosque cum illo reconciliavit. Quod si enim constat, verum Deum pro nobis passum & mortuum esse, seque nostra vice Deo obtulisse, non potest non ab illa infinita persona, infinita satisfactio proficisci, qua omnia totius mundi peccata expiata sunt atque deleta.

§. 2. Primaria enim causa, ob quam Sociniani satisfactionem in dubium vocant, est haec, quod non credant, verum Deum pro nobis esse oblatum. Christo enim, ut omnibus constat, divinitatem abiudicant, nilque in eo singulare inveniri profitentur. *De ipsius Christi persona*, inquit *Socinus* (a), *videndum atque ostendendum, ipsum nihil singulare nec in se habuisse, nec fecisse, nec passum esse, ex quo intelligi possit, eum satisfactionem illam vel peregisse, vel peragere ulla ratione potuisse.*

§. 3. Verum cum ex supra dictis satis appareat, Christum omnino singulare in se

(a) *Praelect. Theol. c. 18. p. 102.*

ſe habuiſſe, ſiquidem aeternum Spiritum habuit,& plenitudo Deitatis corporaliter in eo habitavit, egiſſe quoque ſingulare, cum ſacerdos & victima ſeſe ſponte obtulit Deo immaculatum, paſſum quoque eundem modo ſingulari, cenſendum itaque erit, eum & ſatisfactionem peragere potuiſſe, & revera peregiſſe. Quis enim unquam tale ſacrificium vidit, legit, aut audivit, in quo ipſe Deus ſe obtulit? Quis memorabit illam oblationem, in qua ipſe ſacerdos immaculata hoſtia eſt? Singulare quid eſſe, omnes omnino a praeconceptis opinionibus liberi fatebuntur.

§. 4. Licet autem hic clare oſtendat Paulus, Chriſtum in ſui oblatione ſingulare quid omnino habuiſſe, ſeque per divinitatem Deo ſacrificaſſe, callum tamen obducunt Sociniani, & ſatisfactionem praefracte negant. Totus in eo eſt *Smalcius*, ſtrophas ut fingat, quibus inaeſtimabile pretium mortis Chriſti extenuet & deprimat. Primum argumentum, quo ſatisfactionem impugnat, eſt (β), *quod ex perſonae dignitate non ſumatur valor actionum, quia apud Deum non eſt acceptio perſonarum.* Reſp. 1. ab actionibus phyſicis & moralibus,

(β) *de Satisfact. c. 12.*

bus, cuique incumbentibus, ad actiones alterius vice seu gratia susceptas N. C. Concedimus, actiones physicas & morales, quatenus cuique competunt, valorem suum a personae dignitate non sumere. Verbi gratia, Princeps aeque comedit ac rusticus, Imperator aeque obediens debet esse Deo ac infimus. Hic personae dignitas actioni nullum valorem proprie addit. Longe autem alia res est cum actionibus aliorum gratia susceptis, ubi omnino personae dignitas valorem actioni conciliat. Sic Imperator pro captivo intercedens plus valet, majusque pondus habet, quam rusticus. Dives uno verbo, una scriptura longe plures captivos liberare potest, quam pauper toto vitae tempore. Nonne hic personae dignitas actioni valorem conciliat? Hoc qui negaverit, rationis usum deposuerit, necesse est. 2. Invertimus potius argumentum, & affirmamus, sumi omnino actionis valorem a personae dignitate. Ostendit idipsum apostolus, sacrificia V. T. cum sacrificio Christi conferens. Illa V. T. corporalem quidem munditiem afferre poterant, at quia in N. T, sacrificium Christi propter personam se offerentem, dignius atque praestantius erat illis sub V. T., hinc oritur ille

quo-

quoque valor, ista efficacia, quod non corpora, sed ipsas conscientias mundaret. 3. Ipsa dictitat ratio, talem esse effectum, qualis est causa. Quodsi ergo persona infinita est, quis actioni eiusdem infinitum valorem abiudicaret?

§. 5. Instat Smalcius, & velut rationem primi asserti adducit: *apud Deum non esse personarum acceptionem.* R. 1. Smalcius dictum hoc generale existimans, male & perverse illud ad praesentem rem applicat. Respicit omnino Deus pios prae impiis (γ). E. est personarum acceptio. Respicit illos, in quibus sunt dona sanctificantia, prae illis, in quibus tantum sunt administrantia (δ). Quid quod Danielem, Jobum & Noachum prae omnibus aliis respicit (ε)? Daturne ergo personarum acceptio? Liquet ex hisce, quam perverse Smalcius haec verba absolute & generalissime in medium producat. 2. a qualitatibus accidentalibus & extrinsecis ad ipsam essentiam N. C. Fatemur, nullam in judicio divino esse acceptionem personarum ob qualitates accidentales, paupertatem, divitias, potentiam &c. Sive pauper, sive

(γ) *Hebr.* 11. 4. *Genes.* 4. 45. 1. *Pet.* 3. 12. (δ) *Matth.* 7. 21, 22. (ε) *Ezech.* 14. 14.

five dives, siue infimus, siue potentissimus & magnus peccet, Deus sine personarum acceptione punit, siquidem hae extrinsecae & accidentales qualitates rem ipsam neque meliorem neque deteriorem reddunt. Verum quid hoc ad infinitam filii Dei personam? ad infinitam eius sanctitatem? Num haec tanquam qualitas accidentalis & extrinseca est consideranda? Absit, sed per se omnino perpenditur, ac gravissimum satisfactioni Christi pondus addit, velut apostolus demonstrat, sanguinem eius ideo conscientias mundare, quia Deus ipse illum fudit, seque obtulit. 3. Smalcio contradicit *Socinus* (ζ) aiens: *Tanti esse dignissimae personae leviorem poenam, quanti indignissimae grauiorem.* Quid haec verba aliud sibi volunt, quam a dignitate personae actionis valorem dependere, eiusdemque acceptionem esse. Quare autem Smalcius & cum ipso Socinus adeo praefracte negant, a Christo infinita persona infinitam praestitam esse satisfactionem, eumque sua passione morteque omnium peccata expiasse? cum ipsemet Socinus fateri cogatur, poenam etiam leviorem dignissimae personae tanti esse, quanti indignissimae graviorem. Dignissima

(ζ) *de Servat. Christ. p. 106.*

ſima hic certe erat perſona, ſe offerens & luens, verus Deus & verus homo, nonne ergo huius digniſſimae ac infinitae perſonae graviſſima poena & cruentum ſacrificium tanti erat, quanti graviſſima poena omnium indigniſſimorum hominum?

§. 6. Quod reliquum eſt, cum Paulus affirmet, ſanguinem Chriſti, ut veri Dei, conſcientias noſtras purgare, enata eſt in eccleſia illa locutio, quod ratione huius infinitae perſonae vel una guttula eiusdem ſanguinis ſufficere potuiſſet. Auctores eiusdem jam recenſuit Drechslerus (*n*), quem exſcribere non placet. Male haec habet *Smalcium* (*θ*), & imprudentem eſſe dictitat. Sed meminiſſe hic debuerat Smalcius 1.) aliter haec verba accipi a Pontificiis, quam a noſtratibus. Pontificii dicentes, unam guttulam ſufficere, reliquum ſanguinem theſauro eccleſiae, & exinde enatae nundinationi indulgentiarum reſervant (*ι*), quas monſtroſas ſententias eccleſia noſtra deteſtatur & abo-

(*n*) *Nam una gutta ſanguinis Chriſti ſatisfacere potuerit pro mundo, Sect. 1. p. 11. ſ.* (*θ*) *de Satisfactione c. 12.* (*ι*) *Drechsler, l. c. p. 7.*

minatur. 2.) Istam locutionem ante motam de satisfactione litem a Bernhardo esse usurpatam, nec recens inventam (x). 3.) Locutionem esse ecclesiasticam, non biblicam, quae non statim pessime traducenda, si non omnimoda pollet ἀκρίβεια. 4.) Dignitatem personae a decreto & proposito divino esse discernendam. Quodsi Deo placuisset, infinitae personae una guttula sanguinis sufficere potuisset. 5.) Locutionem denique esse, quae non mordicus a nobis defenditur, si ostenderetur, absurdi quid exinde fluere, quod tamen Sociniani hactenus non ostenderunt.

§. 7. Nobis interim, qui hucusque oblationem Christi, qua semet per divinitatem Deo obtulit immaculatum, pie perpendimus, pretiosissimus eius sanguis tanti est, ut in illo munditiem animarum nostrarum certo certius nobis polliceamur, & cum *Chrysostomo* dicamus (u): *Daemones, cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, angeli autem procurrunt. Hic sanguis effusus abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebraeos prosecutus est. Hic sanguis abdita & sancta sanctorum purgabat. Quodsi eius*

(x) *idem l. c. p.* 11. (u) *Homil.* 45. *in Johann. Op. T. II, p.m* 118. *edit Basil.* 1521. *f.*

eius figura tantam habuit vim in templo Hebraeorum, in medio Aegypti liminibus aspersus longe magis veritas. Hic sanguis aureum altare significavit; sine hoc princeps Sacerdotum in penetralia ingredi non audebat. Hic sanguis sacerdotes faciebat, hic sanguis in figura purgabat, in qua si tantam habuit vim, si umbram mors ita horruit, quantopere quaeso ipsam formidabit veritatem. Hic nostrorum salus est, hic igne clariorem mentem nostram reddit, & auro splendidiorem, huius sanguinis effusio cœlum pervium fecit.

§. 8. II. Fructus, quod *Passionem Christi habeamus spontaneam atque liberrimam.* Et hoc ipso Socinianorum, in primis *Smalcii* (ν), cadit argumentum; quo vim pretiosissimi huius sanguinis enervare studet, eo, *quod semet non sponte sacrificaverit, sed quod Deus illi praeceperit, ut nostri causa mortem subiret.* R. a positione praecepti, ad negationem & exclusionem spontaneitatis N. C. Ipsemet Christus mentionem facit praecepti, sed & simul affirmat, se sponte & ultro hoc perficere (ξ). Secundum humanam naturam, tanquam servus, accepit mandatum, secundum divinam naturam una cum Patre & Spiritu S. decre-

 tum

(ν) *de Satisfact. c. 12.* (ξ) *Psalm. 40. 8. 9.*

tum hoc fecit, & ultro exsecutus est. Repetitu digna sunt verba *Basilii M.* (o) *Ne igitur ob filii dispensationem servilem humilitatem, aut* NB. *coactum obsequium imaginemur, sed intelligamus voluntariam solicitudinem ex bonitate ac misericordia juxta voluntatem Dei patris erga suum figmentum operantis. Sic enim pietatem servabimus, si & perfectam illi potentiam testimonio nostro tribuemus, & nequaquam in omnibus, quae perfecta sunt, filium a voluntate paterna separabimus.* Nonnullis interpositis ad verba Christi Joh. 14: Quemadmodum mandavit mihi Pater, sic facio, ita inquit: *Non quod caruerit libero proposito, ac voluntatis impetu, neque quod ex signis ab imperatore datis occasionem exspectaret, ideo talibus verbis utitur, sed ut declaret suam mentem per naturae unitatem & indivulsum consensum cum Patre coniunctam esse. Preinde quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, filio velut obedienti praescribentem, quid facere debeat, sed juxta sensum Deo dignum intelligamus voluntatis traditionem instar formae cuiuspiam in speculo relucentis, a patre in filium sine tempore demanantem.* Clarius haec persequitur Chry-

(o) *lib. de Spiritu S. c. 8. p. 307. edit. Antwerpiens. 1568. f.*

Chrysostomus (ϖ): *Priusne filius mandatum moriendi pro mundo accepit, & deinde paruit? Prius quid esset faciendum ut disceret, opus habuit? Et quis non expers rationis hoc dixerit? Sed quemadmodum dicendo, propterea me diligit Pater, quia ego ponam animam meam, spontaneam judicauit voluntatem, & contrariam amouit suspicionem, ita hoc in loco praeceptum a Patre se accepisse dicens, nihil aliud ostendit, quam idem Patri videri, quod ipse fecit.* Quod reliquum est, expositionem hanc *Bernhardi* concludimus verbis (ϱ): *Cur inquis: per sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga, mihi scire licet, quod ita, Cur ita non licet. Non mors, sed voluntas placuit sponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus & potestates, spoliantis infernos, ditantis superos, pacificantis, quae in coelo sunt, & quae in terra, omnia restaurantis.*

(ϖ) Homil. 59. in Johann. Op. T. II. p. 151. Edit. Basil. 1522. f.

(ϱ) Epist. 190. p. m. 1385. Edit. Basil. 1552. f.

II.

FRANCISCI WOERGERI (*)
Lubecensis,
Coniecturae Extemporaneae
per
libellum Cl. V.
JOHANNIS DANIELIS MAIORIS,
Linguam Graecam non esse secundum Accentus pronunciandam,
sive, vt auctoris intentio habet,
de inutili ac futili novitate Graecorum Accentuum.

Cum nuper, inter meliorum librorum allatas sarcinolas, haec epistola (**) Cl. Maioris ad manus meas deuenisset, gratulatus non Athenaeo so-

(*) De hoc Woergero, variis, neque ineruditis scriptis inclyto, vid. quae scripsi Athen. Lubec. P. II. p. 411. sqq. *Coniecturarum*, quae nunc demum lucem aspiciunt, autographum possidet V. Cl. Calp. Henr. Starckius, qui vt iisdem Bibliotheca haec augeretur, facile permisit. Μεγάλη χάρις αὐτῷ!

(**) Innuit JO. DAN. MAIORIS, *Vratislaviensis, de Nummis Graece inscriptis Epistolam, qua praecipue Paradoxum Clar. Viri, Henrici Christiani Henninii* ac

ſolum Kilonienſi, ſed & vniuerſae noſtrae Germaniae ſum, exſurgere inter tantas irrumpentis barbariei ruinas illuſtria adhuc ſidera, nec viros hodieque ſummos, deficientibus licet harum artium patronis, ulli tamen vel operae vel ſumptui etiam vix mediocri parcere, quibus ea, quae antiquitatibus Graecis ac Romanis illuſtrandis faciunt, cum inſigni voluptate eruditioribus proponant & dilucident. Atque in eorum numero familiam mihi ſemper ducere viſus eſt Clariſſimus Major, omni Graecorum atque Romanorum litteratura a teneris pueritiae annis apprime imbutus, & tot egregiis ingenii monumentis noſtro ſeculo celebratiſſimus, vt religioni ferme mihi duxerim, vel leviter & dubitanti contradicere Maiori; verum cum opiniones ſingulares virorum clarorum eo acrius penetrent, quo illuſtriori in celebritate poſiti ſunt, haud omne prorſus oleum & operam perdere viſus mihi ſum, ſi & meas qualescunque coniecturas raptim quidem, ſed ſedulo tamen adiungerem, & quam infirmis rationibus

(ac ante ipſum Voſſii vtriusque & I. C. Scaligeri) Linguam Graecam non eſſe ſecundum Accentus pronunciandam, orbi literato vlterius conſiderandum committitur; cum Appendice de ſuſpecta etiam, imo olim nulla Jotorum Subſcriptione. Kil. 1685. 4.

tota haec, quam pingendam suscepit Cl. Maior; fulta sit rationibus causa cordatioribus ostenderem. Et primo quidem, vt status litis recte formetur, de ipsa pronuntiatione linguae Graecae, quae & hodie variat, quaenam sit praeferenda, non contendo, nec id etiam inficias iuerim, uti cæteras orientalium linguas absque accentibus & olim & hodiedum posse scribi, ab iis scilicet, qui eiusdem periti sunt; sed id potissimum est, quod in litem cadit: an omnis plane punctorum collocatio Graecorum, aut illa, qua hodie Graiorum libri excusi leguntur, maiusculis puta & minusculis typis, sit prorsus noua (***), atque adeo ex opinione Maioris exterminanda. Hoc vero e scripto Maioriano nul-

(***) Bernardus de Montfaucon, idoneus sane iudex, in Palaeogr. Graec. p. 33 *Aristophanes Byzantius*, scribit, προσωδίαν, *sine accentus excogitauit Non quod ad illam vsque aetatem Graeca lingua accentibus & spiritibus caruerit: nulla enim potest lingua sine accentu & spiritu pronunciari, sed quod ille ea, quae vsus magister innexerat, ad certas normas & regulas deduxerit, signa & formas inuenerit, quo loco essent constituendi accentus & spiritus docuerit Accentus vero in acutum, grauem & circumflexum distinxit, quorum formas & vsum vel pueri callent: spirituum asperi & lenis schemata ex litera H. duas in partes diuisa*

no.

nullatenus cerno probatum, & vt mihi quidem videtur (nam quod D. Maiori licet coniecturis meris iaculari, id mihi etiam puto licebit coniecturis aliis isthaec iacula retundere) non probabitur in aeuum. Nam quod Vir Cl. pag. 5. velut certum enarrat, *inutiles prorsus ac insuetos* accentuum *apices primum ac solum Henninium amoliri non dubitasse*, in eo ipse nouitatis insolitae Graecis omnibus ostentat specimen, maioris insuper dubitationis offert ansam, *circa annum Christi 1452 a capta Constantinopoli Musas sic profligatas, & redactas ad incitas*, & in eo sane nostram contrariam opinionem adhuc magis roborat. Quaeso enim, si tam paruo a typographia inuenta tempore *jugum tyrannidis eius Grammaticae* inualuit, vnde per omnem penitus Europam, conspirantium accentuum usitata forma, quae adhuc obtinet, typographica, prouenire potuerit, absque insigni atque plane diuino miraculo, si nullis in bi-

notauit; ita vt prima pars eiusdem characteris, asperum spiritum denotaret, secunda residua, lenem. Verum haec omnia ante septimum saeculum a Librariis neglecta prorsus videntur: nam Codices vetustissimi quinti sextive saeculi iis prorsus carent: quare ante septimum Saeculum in solis Grammaticorum libris obseruata fuisse videntur. Quae vero dicimus, de visis tantum. Conf. p. 215. sq.

bibliothecis extitiſſent exemplaria, quorum formam imitarentur typothetae. Quapropter quae Cl. Vir a periculoſo Graecorum ſtatu ratiocinatur, eo ſibi ipſi magis officit pag. 6. Nam libri Graeci tunc jam per orbem ſic diſtracti erant, vt ſi maxime aliquid immutare voluiſſent Graeci, ob diſtantiam locorum haud potuiſſent. Aërem igitur ferit Cl. Maior, *Demosthenem ac Iſocratem ne gry quidem de his accentibus ſciuiſſe* aſſerens, & hoc in primis erat probandum, nam Scaligeri ſententia, *turpe creditum*, a recentioribus ſcilicet, *edere dictionem, quae nullo accentu inſigniretur*, iſtud minime conuincit. Suppono enim & ambabus, quod dicitur, largior, Demoſthenem, Iſocratem & olim absque accentatione & hodie poſſe deſcribi, ab iis ſcilicet, qui gnari iſtius linguae ſunt. Sed id quaeritur, anne & cum accentibus iidem auctores vnquam ſcripti aeque ac absque accentatione ſint? Hoc illud eſt, quod Cl. Maior non demonſtrauit, neque in aetatem demonſtrabit. De pronuntiatione, item de modulatione, quam poëtae, accentus quamuis adiicientes, nec obſeruant quidem, ut dixi, haud litigo. Quod ſi a parte noſtra jam Maiorem interrogemus, vnde igitur noſtrae illae accentu notatae Graecae literae? Reſpondet

p. 7.

p. 7. *Ex Italia error ſemel admiſſus ad Gallos, Anglos ac vltra montes ad nos Germanos tranſiens, o quam inemendabiliter multiplicauit ſe &c.* Sed iniicio, Cl. Viro de Capnione vltro fatente, primum illum Graecas litteras inſtauraſſe, vnde ergo nos atque Anglos cum Gallis exempla accepiſſe putat auctorum Graecorum, deinceps excuſorum? Anne ex ſola Italia? non opinor dicet, & reclamant antiquiores in Germania, Anglia, (vt Heidelbergenſis &c:) bibliothecae dudum ante tempora Capnionis Graecis libris inſtructae. Quia igitur abſque dubio Capnio atque alii Germani ſic excudendos curarunt Graecos, vti MS. inuenere, oppoſitionem illam tacite infringere conatur Maior p. 8. de Capnione ac Eraſmo addens: *vterque ſuper vera Graeciſmi pronunciatione, an haec tum ſupereſſet, haud futilem ſuſpicionem agitans de modis aliquibus cogitauit, quibus ad eandem vtcunque rediri poſſet.* Atqui ſic victas nobis Cl. Maior dat manus, cum de accentuum nouitate diſputaret, ad *pronuntiationem* hic dilabens, quia & Capnio & Eraſmus accentuum antiquitatem impugnarunt nunquam, ſed in primis editionibus auctorum appoſite obſeruarunt: neque ex inferis ut excitetur quiſpiam Graecus, opus eſſe

esse putamus, dum sarta & tecta lingua Graeca, (prout accentibus hodieque est munita) de pronuntiatione nulli dimicamus. Primum igitur, quod in auctoris contrariam sententiam pedibus haud eamus, hoc est pag. 9. *quod fatalem Antecessorum nostrorum oscitantiam non leuiter detestatur, qua ante Henninium, Vossium* (Isaacum iuniorem) *& Scaligerum*, (sed ille parum iuuat Maiorem, uti supra vidimus) *perpetua a tot seculis caligine ad tantae euidentiae solem sibi oculos premi passi sunt.* E quibus verbis talis emergit syllogismus:

Quaecunque opinio *à tot seculis* summis in litteratura Graeca viris penitus fuit ignota, illa iure merito hodieque est nouitatis intolerandæ suspecta.

Sed opinio, quam de futili inuentione accentuum Graecorum cum Henninio fouet Maior, *a tot seculis* summis in Graeca litteratura &c. Ergo.

Quod argumentum e nummis & inscriptionibus arcessit, eo sane frustra est, atque ita una quasi litura tot in Maiore paginas seu delemus seu confutamus, lubentissime fatentes, ad nummos & inscriptiones, quemadmodum & hodie mos te-

tenet, Graecos ſemper maiuſculis eſſe litteris uſos. Sed quid inde detrimenti accedit litteris minuſculis, & ſi maiores ſine accentu ſcribuntur, anne & minores ita ſcriptae olim ſunt? hoc probandum erat. Quod vero inde concludit, *maximam partem continuo ductu ſine ullis ſpatiolis exaratas fuiſſe Graecas litteras*, nae perquam in illa coniectura fallitur! Vt enim omittam, tales ſcripturas ob artificium ſaepe hominibus illitteratis, vt ſcriptoribus, pictoribus, ſculptoribus, monetariis, &c. committi, (eadem ratio Teſtamentorum Graecorum maiuſculis litteris ſimiliter exſcriptorum, & alicubi adhuc extantium) haud permittit interdum anguſtia monetae, vt diſtincta ſententia vel nomina exſculpantur: quaenam hic intemperiae Virum Clariſſimum agitant, vt ex illis futilibus ſcrupulis in ipſum ſtimulos ſuos figere audeat Graecum Teſtamentum. Chriſtus enim Matth. 11. v. 21. cum, teſte Evangeliſta, ciuitates ad ripam Jordanis ſitas deuouiſſet, ex. gr. duas ignobiles, ut Chorazin & Bethſaida, ſubiungit poſtea Matthaeus vnam famigerabilem Capernaum; Quem verſum dum futilibus coniecturis it per-

peruerſum Henninius, & poſt illum Maior (****), certe in multas & difficiliores illas ſeſe difficultates induit: Et repugnant non ſolum omnes interpretes, teſte ipſo Maiore, ſed & Lexicographi, voculam, vti Hebraicam, non velut Graecam explanantes. Quae igitur e diuerſis Graecorum dialectis accommodare nititur Maior, prorſus ab inſtituto aliena ſunt, tantum abeſt, vt cum Buntingio, (caeteros omnes taceo) hoc quidem in ſtadio concurrere poſſit, Theologo, Hiſtorico, & Geographo ſolidiſſimo. Alterum argumentum ſuppeditat Maior pag. 14: *Si quis dicat, reperiri codices veteres Græcos MS* (habemus ergo manus iterum dantem Antagoniſtam), *in quibus accentus adſcripti hodiernae rationi conformes*. Reſpondet admodum dubitanter Maior: *Quis eosdem in codicibus ante pluscula licet ſæcula conſcriptis, affingi demum ac pingi a poſterorum aliquibus potuiſſe neget?* idque illuſtrat e bibliis hebraicis virgulis no-

(****) Vterque pro lectione Χωρα ζιν, *Regio Zin* contendit, quae res anſam deinceps dedit philologicae Maiorem inter ac Woergerum controverſiae, ea vehementia agitatae, vt tandem in actionem iniuriarum ſit commutata. Scripta ab vtroque edita commemoraui Athen. Lub. P. II. p. 418 ſq.

notatis atque punctis. Sed hoc argumentatione ipsammet suam quam maxime prostituit causam. Palmarium argumentum eorum ducitur ab antiquitate, quam nonnulli inquisitores deprehenderunt: Quod si vel vnum atque alterum contrarium documentum daretur, concideret facile isthæc ratiocinatio. Sed Maior largitur, ANTE PLUSCULA SECULA insignita accentibus extare exemplaria in bibliothecis Graecis, verum *appingi potuisse* addit, non diserte asseuerat, quantus enim labor esset, quamque frustraneus! Ergo hisce sese inuoluit nebulis, vt quid regerat aut respondeat, vix animaduertat. Atqui sic eludere omnia possem criteria, si *a posse ad esse*, quemadmodum Logici loquuntur, *procederet consequentia.* Et repugnat is, quem frustra allegat p. 15. Sixtus Senensis: (*antiquissimis enim temporibus* varia scripta absque accentuum notis esse formata, vltro concedimus, potissimum inter Graecos) item *vniuersum nouum Testamentum Graece scriptum fuisse:* Et *Voluit autor priscam in eo linguae illius vetustatem maiestatemque intactam retinere, neque nouitiis* (intelligit nouam manum alieni recentioris scriptoris) *rebus tam venerandae maiestati detrimentum afferre.* Religio igitur veteribus fuerit, e mente Six-

Sixti Senenſis, ſcripta vetuſta nouis apicibus, id quod commode neque fieri queat, deturpandi; & ſic coniectura ipſius e laudati Senenſis verbis concidit Maioris, additos eſſe a nouitiis accentus ſcriptis vetuſtis ante pluscula ſecula exaratis. Tertium argumentum idem Sixtus Senenſis promit pag. 15. *Hos* (codices) *antiquitus nudis tantum litteris absque ullis accentuum notis fuiſſe conſcriptos, teſtes ſunt Epiphanius, Salaminae Episcopus, & Franciscus Ximenius, Archiepiscopus Toletanus in edit. N. Teſtamenti. Viſum eſt autem poſtea Graecis patribus, haec addere, non ſolum ad rectam ac diſtinctam ſcripturae ſanctae lectionem, ſed ad discernendas quoque ambiguitates quasdam non parui momenti, quae ſine his notulis, apicibus, & punctis dirimi non poterant.* E quibus varia elicimus noſtrae firmandae theſi. Si enim absque illis *apicibus* atque *punctis* haud ſemper omnes ambiguitates linguae Graecae deuitari poſſunt, accentus illi non extrinſecus acceſſere, velut inuentum poſterorum, ſed intrinſecus cum ipſis litteris Graecis ſunt prognati, & ad perfectionem pertinent linguae, licet a peritioribus olim haud usquequaque frequentati, quod nunquam diffitemur. Sed verum, ipſo Maiore concedente, eſt prius, ergo & poſterius. Alterum, quod iſthinc ſequitur,

tur, neque itidem negandum, omnia argumenta, quae ab exemplaribus petuntur, absque ullis accentuum notis conscriptis, licet crebra ſint, concludere tamen, vti Logici loquuntur, e meris particularibus, cum non ſequatur: tot viſa ſunt exempla absque punctis, ergo nulla prorſus dantur cum punctis. Contrarium potius ex illo exſculpimus, nec immerito. Quaecunque ſcriptura ſemper agglutinatur alii ſcripturae, ea de antiquitate certat cum illa ipſa ſcriptura. Sed ſcriptura minorum literarum Graecarum agglutinatur ſemper in antiquis, imo antiquiſſimis excuſis libris maiusculis litteris. Ergo cum illis de antiquitate certat. Probatio maioris a parte noſtra aeque certa ac illa, quam fouent a parte aduerſa. Fac enim, extare adhuc exempla literis maiusculis exarata, quis inficias iret, nulla prorſus nec ſimiliter eſſe ſcripta literis minoribus? cum iſtud neque negare audeat ipſe Maior? Quod ſi absque ullis literis maiusculis (quae accentuatione deſtituuntur) hodie ſcriptura Graecorum minuscula in excuſis libris legeretur, maior eſſet anſa dubitandi; ſed cum nullus libellus inueniatur, qui non aeque maiusculos ac minusculos literarum api-

ces coniungat, suo sese Maioristae ipsos feriunt gladio. Nam quis tanto locorum interuallo distantes Graecorum commentarios innumeros, a tot seculis per monachorum inscitiam inuiolatos, ita distinxisset, nisi vestigia in perquam multis exemplaribus inuenissent? Et quis illis e nummis descriptionibus amplius duceretur, de quibus omnibus, cum maiusculis literis exarentur & absque accentibus, recte asseverare possim e pag. 20 ipsius Maioris: *quod directe ad probandam vel reprobandam adscriptionem accentuum nihil conferant.* Laudabilis quidem conatus eruditorum ex his talibus historias veteres illustrantium. Sed si ulterius eiusmodi coniecturas extendant, imo & in ipsum SS. Codicem N. Testamenti violenter ac fraudulenter incurrant, haut est a cordatis facile opera haec approbanda, quippe quibus nullus alius, nisi vt aut delectent aut prosint, (non autem vt meris nouitatibus meras ac inanes coniecturas moueant) praefixus semper debet esse

FINIS.

III.

III.

IO. HENR. a SEELEN

Obſervationes Philologicae in NOVVM TESTAMENTVM ex HESIODO adornatae.

Qllum eum, arbitrer, praecipuum eſſe lectionis ſcriptorum profanorum Graecorum vſum, vt, ſi quid in iisdem occurrat ad ſtylum Noui Foederis, vel contra irreligioſos quosdam homines, non ſatis purum & elegantem eum iudicantes, vindicandum, vel declarandum ac illuſtrandum, conducens, ſtudioſiſſime annotetur; hoc etiam facere non intermiſi eo tempore, quo olim, exigente muneris, quod in Gymnaſio Stadenſi geſſi, ratione, *Heſiodus*, ſcriptor vti perantiquus, ita nitidus quoque, a me erat pertractandus. Vides itaque, Lector, fructum priſtini laboris, qui tum in aliis rebus, tum potiſſimum in obſeruandis vocibus ac dictionibus rarioribus, quas ſcriptores diuini cum vate Graeco habent

communes, verſatur. Hunc, ſpero, Tibi eo minus fore ingratum, quo maiorem ii a prudentibus hactenus inierunt gratiam, qui ſtylum Noui Teſtamenti cum loquendi rationibus, quibus vſi ſunt ſcriptores profani, diligenter contulerunt. In his licet vnus quoque alterve ſit, qui Heſiodum jam vocarit, raro licet, in ſubſidium; pauca tamen illa impedire non potuerunt, quo minus meas Obſeruationes, multa, quae alii non attigerunt, continentes, prodire iuberem. Non autem prolixos commentarios, ſed breues modo annotationes polliceor.

Matth. V. 9.

Υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται) Non male hoc verbum, aliqui interpretantur: *erunt.* Cuius tamen explicationis ergo Hebraismi praeter neceſſitatem a nonnullis augentur, cum Graeci eodem ſenſu hoc verbum adhibuerint. Heſiodus in O. & D. v. 122. 123 de Diis inferioribus:

> Τοὶ μὲν δαίμονές ΕΙΣΙ, Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,
> Ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι.

Ii quidem daemones SVNT, Iovis magni consilio,
Boni, in terris versantes.

De iisdem vero infra v. 141:

Τοὶ μὲν ἐπιχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ ΚΑΛΕΟΝΤΑΙ.

Plura Hesiodi loca collegit Io. Georg. Graevius in Lectionib. Hesiod. pag. 20. Ex aliis scriptoribus idem probauit ICtus ac Philologus Marpurgensis clarissimus, Io. Frid. Hombergk, in Parerg. Sacr. p. 13 sq.

Matth. VII. 2.

Ἐν ᾧ μετρῷ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν) Sententiae huic conformia sunt in monitis, qvae Persae suo dedit Hesiodus O. & D. v. 349. 350:

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.

Rectam quidem mensuram accipias a vicino; recte etiam reddas
Eadem mensura, & amplius, si quidem possis.

Matth. X. 21.

Παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον, καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς.) Simili fere ratione homines ferrei saeculi describit Hesiodus O. & D. v. 182 sqq:

Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίϊος, οὐδέ τι παῖδες,
Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ, καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ,
Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται, ὡς τὸ πάρος περ.
Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας.
Μέμψονται δ' ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντ' ἐπέεσσι
Σχέτλιοι, οὐδὲ Θεῶν ὄπιν εἰδότες, οὐδὲ μὲν οἵ γε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν,
Χειροδίκαι· ἕτερος δ' ἑτέρου πόλιν ἐξαλαπάξει.
Οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται, οὔτε δικαίου,
Οὔτ' ἀγαθοῦ.

Neque

Neque pater cum liberis concordat, neque liberi cum patre,
Neque hospes cum hospite, neque amicus cum amico,
Neque frater amicus erit, vt antehac.
Celeriter vero senescentes contumelia afficient parentes.
Vituperabunt autem illos molestis alloquentes verbis
Impii, neque Deorum vindictam veriti. Neque hi sane
senibus parentibus educationis praemia reddent
Violenti. Alter autem alterius ciuitatem diripiet.
Neque vlla religiosi gratia erit, neque iusti, Neque boni.

Matth. XIII. 15.

ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι) Frustra his verbis Hebraismus inesse a nonnullis dicitur. Sic enim, praeter alios, Poeta noster Theogon. v. 701:

ΟΦΘΑΛΜΟΙΣΙΝ ΙΔΕΙΝ ἠδ' ΟΥΑΣΙΝ ὄσσαν ΑΚΟΥΣΑΙ.

Oculis videre, ac auribus vocem audire.

Scut. Hercul. v. 335:

ΟΦΘΑΛΜΟΙΣΙΝ ΙΔΗΙΣ.

Matth. XXIV. 7.

Ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοί) Conf. Luc. XXI. 11, vbi itidem λιμοὶ ac λοιμοὶ coniunguntur. Idem fecit Hesiodus O. & D. v. 242. 243:

Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων,
ΛΙΜΟΝ ὁμοῦ καὶ ΛΟΙΜΟΝ.

Iis (malis) *autem coelitus magnum importare solet malum Saturnius,*
Famem simul & pestem.

XXIV. 30.

Τότε κόψονται πᾶσαι αἱ Φυλαὶ τῆς γῆς) i. e. homines in terra viuentes. Hesiodus Scut. Herc. v. 162:

Φοβέεσκον ἐπὶ ΧΘΟΝΙ ΦΥΛ' ΑΝΘΡΩΠΩΝ.

Perterrefaciebant super terram homines.

Marc. III. 14.

Καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν) Vulgatus transtulit: *Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos praedicare.* Sed non videtur intellexisse, quod verbum ποιεῖν, de personis adhibitum, *comparare,*

elig

eligere, *constituere* significet. Vnde Hesiodus, de conducendo seruo praeceptum dans, O. et. D. v. 602:

Θῆτα ἄοικον ΠΟΙΕΙΣΘΑΙ.

Conf. Graevius l. c. pag. 68. Bene ergo ἐποίησε Lutherus reddidit: *ordnete*. Castalio: *constituit*. Minus commode Felbingerus: *machte*.

Marc. VII. 2.

καὶ ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ κοιναῖς χερσὶ (τοῦτ᾽ ἔστιν ἀνίπτοις) ἐσθίοντας ἄρτους, ἐμέμψαντο) Lotionem manuum apud Iudaeos laudabilem initio fuisse ritum, at deinceps in superstitionem degenerasse, notum est. Varia eo fine habet Codex Sacer: non pauca vero etiam Mischna, cuius titulum de Lotionibus, lectu dignis commentariis illustratum, Martin. Iac. Owmannus Hamb. 1706. 8. euulgauit. Ea vero licet ante alias quoque actiones, in primis tamen ante sacra obeunda religiose obseruabatur. Pharisaeorum zelus, a Marco commemoratus, aduersus omissam lotionem, superstitionem sapit. Hanc redolet quoque gentilium mos, quo lotionis ante sacra facienda rationem omnino esse habendam putabant. Vnde Hesiodus

siodus noster, Persam adhortans, O. & D. v. 724. 725. 726:

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
ΧΕΡΣΙΝ ΑΝΙΠΤΟΙΣΙΝ, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
Οὐ γὰρ τοίγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.

Neque vnquam mane Jovi libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus.
Neque enim illi exaudiunt, respuunt vero etiam preces.

Comparanda cum his sunt, quae de lavandi ritu a Rege AEgyptiorum obseruato memoriae prodidit Diodorus Siculus Biblioth. Hist. Lib. I. p. m. 63. edit. Wechel: ἕωθεν ἐγερθέντα λαβεῖν αὐτὸν ἔδει πρῶτον τὰς πανταχόθεν ἀπεσταλμένας ἐπιστολὰς — ἔπειτα λουσάμενον, καὶ τοῖς τῆς ἀρχῆς συσσήμοις μετ' ἐσθῆτος λαμπρᾶς κοσμήσαντα τὸ σῶμα, θῦσαι τοῖς Θεοῖς. i. e. *Sub auroram experrecto literae vndecunque scriptae omnium primo acceptandae erant* — — *tum lotus & regni insignibus, splendidaque trabea ornatus, Diis sacrificatum ibat.* De virgine quoque in sacris iugis versante, in campo Do-

Dotio, canit Hesiodus in Fragment. ex Eustathio collectis p. m. 336. edit. Cleric:

ΝΙΨΑΤΟ Βοιβιάδος λίμνης. κ. τ. λ.

Ex aliis scriptoribus plura collegit testimonia Io. Behmius in Diss. de Lotione in obeundis Sacris, Gentilium, Judaeorum & Christianorum. Regiom. 1715. 4. Conf. Henr. Lubberti Discurs. Philol. de Antiquo Lavandi Ritu. Lubec. 1670. 4.

Marc. VII. 35.

ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης) Vincula, quibus vincitur lingua, occurrunt quoque in Fragmentis Hesiodi ex Athenaeo collectis p. m. 344:

Σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέει, ΓΛΩΣΣΑΝ τε νοόν τε
ΔΕΣΜΟΙΣ ἀφράστοισι.

Simulque pedes & manus vincit, linguamque & mentem
Vinculis ineffabilibus.

X. 23.

τὰ χρήματα ἔχοντες) χρήματα hic *opes* denotant. Eodem modo Hesiodus O. & D. v. 320:

ΧΡΗΜΑΤΑ

ΧΡΗΜΑΤΑ δ' ἐχ ἁρπακ7ά. Θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.

Opes autem non rapiendae: diuinitus datae multo meliores.

Ibid. v. 686:

ΧΡΗΜΑΤΑ γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Marc. XII. 34.

Νουνεχῶς ἀπεκρίθη) Eleganter Lutherus νουνεχῶς transtulit: *Vernünftiglich*, & Seb. Schmidius: *prudenter*. Νουνεχὴς enim, ſiue vt Apoc. XIII. 18 vocatur, ἔχων τὸν νοῦν, idem eſt ac νοήσας, qua cognata voce Heſiodus *prudentem* appellat. Sic enim canit in O. & D. v. 12:

— — τὴν μέν κεν ἐπαινήσειε ΝΟΗΣΑΣ.
— — *alteram quidem laudauerit prudens.*

Ibid. v. 293:

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάν7α ΝΟΗΣΑΙ.

Ille quidem optimus eſt, qui per ſe in omnibus ſapit.

V. 296:

Ὃς δέ κε μή τ' αὐτὸς ΝΟΕΗι.
Qui vero nec per ſe ſapit.

Luc.

Luc. I. 27.

Ἐξ οἴκου Δαβὶδ) οἶκος hic nihil aliud est, quam *familia*, quo sensu hoc vocabulum etiam vsurpauit Hesiodus. Patet hoc ex O. & D. v. 243. 244:

— — Ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί,
Οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν, μινύθουσι δὲ
ΟΙΚΟΙ.

— — *Intereunt vero populi.*
Neque mulieres pariunt; intereunt familiae.

Conf. v. 325. 376.

II. 8.

Ποιμένες ἀγραυλοῦντες) Disceptant interpretes, vtrum haec verba per *pastores in agris commorantes & sub dio vitam degentes*, an vero per *pastores in agris pernoctantes & excubias noctu agentes* debeant exponi. Quoniam autem ab Hesiodo Theogon. v. 26. adducuntur ΠΟΙΜΕΝΕΣ ΑΓΡΑΥΛΟΙ, Graevius in Lect. Hesiod. p. m. 75 ita dicit sententiam: ποιμένες ἄγραυλοι sunt pa-" stores *sub dio agentes*, non, vt Interpretes," *in agris pernoctantes.* Quem errorem quo-" que B. Lucae Interpretes errarunt in ca-" pite secundo; sed quem dudum casti-" gauit Is. Casaubonus." Non male pronunciasse Graevium, addita verba:

φυ-

φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς, commonſtrant. His enim ſignificantur paſtorum, qui, ſiue diurnum, ſiue nocturnum tempus ſit, dicuntur ἀγραυλεῖν, eo ſigillatim tempore actae nocturnae excubiae. Recte ergo vertit B. Lutherus: *Hirten auf dem Felde.* Felbingerus: *Hirten, di ſich im Felde aufhielten.*

Luc. XVI. 26.

Χάσμα μέγα ἐστήρικται) Χάσμα, quod eſt ex Novi Teſtamenti ἅπαξ λεγομένοις, maximum, quod beatos inter eſt & damnatos, diſcrimen, & horum ab illis ſeiunctionem perpetuam atque aeternam, deſignat. Hoc χάσμα non trahit originem e figmento poëtico, quod vel ſolum additum verbum: ἐστήρικται, demonſtrat; vti illud, quod poſt deſcriptum tartarum, eiusque incolas, de quibus inter alia dicit Theog. v. 732: Τοῖς οὐκ ἐξιτόν ἐστι, *his non licet exire*, commemorat Heſiodus l. c. v. 739 ſqq:

Ἀργαλέ' εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ,
ΧΑΣΜΑ ΜΕΓ'. οὐδέ κε πάντα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν
Οὖδας ἵκοιτ', εἰ πρῶτα πυλέων ἔντοσθε γένοιτο.

Mo-

Molesti, squalidi, quos oderunt etiam ipsi Dii.

Hiatus ingens. Nec vero toto integro anno Solum attingeret, vbi primum intra portas venisset.

Graevius l. c. p. m. 115 ad verba Hesiodi Theog. v. 700: καῦμα δὲ θεσπέσιον κάτεχεν χάος, probat, quod inferorum domicilium a gentibus saepe *Chaos* nominetur. Hinc, scribit inter alia, & vetus Inter-" pres Luc. XVI. 26. illud μέγα χάσμα," quod inter epulonem diuitem & Laza-" rum erat, *chaos magnum* interpretatur," hoc est, vastum inane, vastum interual-" lum, quale est aër, siue, vt Tertullia-" nus vertit, immensa distantia sublimita-" tis & profunditatis. Noster poëta infe-" rius v. 740. locum Erebi vastum & im-" mensum, in quo Titanes seruabantur," χάσμα μέγα dicit, quem postea v. 814." ait esse πέρην χάεος ζοφεροῖο, vltra Chaos" tenebricosum, hoc est, Erebum." Haec Graevius. Castalio χάσμα μέγα interpretatus est: *vasta vorago.*

Luc. XXI. 21.

Ἐν ταῖς χώραις) Rectissime vertit Lutherus: *auf dem Lande.* χώρα enim non sem-

ſemper *regionem*, ſed nonnunquam etiam *agrum*, denotat. Heſiodo in O. & D. v. 344 χρῆμ' ΕΓΧΩΡΙΟΝ eſt *opus ruſticum, ad agricolas pertinens.* Graevius l. c. p. m. 38 apte hoc illuſtrat χωρεπισκόποις. Horum enim officium erat, in vicis & pagis, apud ruricolas, rem ſacram facere. Vid. quae de Chorepiſcopis commentatus eſt Car. du Fresne in Gloſſ. Lat. T. I. col 969 ſqq.

Io. VI. 27.

Ἐργάζεσθε βρῶσιν) i. e. *parate, acquirite cibum.* Caſtalio: *procurate.* Hoc ſenſu occurrit verbum ἐργάζεσθαι tum apud alios ſcriptores Graecos, tum apud Heſiodum O. & D. v. 42. 43:

Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι Θεοὶ ΒΙΟΝ ἀνθρώποισι.
Ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ΕΡΓΑΣΑΙΟ.
Occultarunt enim Dii victum hominibus.
Facile enim alioqui vel vno die tantum acquiſiuiſſes.

VI. 57.

Κἀγὼ ζῶ διὰ τὸ πατέρα καὶ ὁ τρώγων με, κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ) Malunt hic διὰ aliqui vertere *per*, quam cum nonnul-

nullis *propter*. Prioribus fauet dictio Hesiodea O. & D. v. 3, vbi de Jove:

> ΟΝ τε ΔΙΑ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε.
>
> *Per quem mortales homines obscuri pariter ac clari.*

Graevius l. c. διὰ τὸν πατέρα reddit *beneficio patris*, idque illustrat verbis Demosthenis: διὰ τοὺς θεοὺς, quae interpretatur: *Deorum beneficio & munere.* Etsi vero Castalio, Iunius ac Tremellius in loco Ioanneo habeant *per patrem*, *per me*; ii tamen etiam, qui διὰ verterunt *propter*, e. c. Vulgatus, Erasmus, Seb. Schmidius, &c. facile possunt ipsius Tullii auctoritate sese tueri. Is enim plus vice simplici *propter* pro *per* vsurpat. Sic pro Rosc. Amerin. c. 22: PROPTER (i. e. per) *QVOS hanc suauissimam lucem aspexerit.* Pro Milon. c. 22: *Quod praemium satis magnum est tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus seruis*, PROPTER (i. e. per) *QVOS viuit.* Conf. quae ad h. l. Lambinus annotauit.

Io. VI. 64.

Ἐξ ἀρχῆς) Hac loquendi ratione vsus modo est Ioannes l. c. vt & cap. XVI. 4. Reliqui scriptores sacri dicunt: ἀπ' ἀρχῆς.

 Prio-

Priorem tamen etiam formulam esse elegantem & probatam, vel solus docere potest Hesiodus Theog. v. 155. sq:

— — σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆι
ΕΞ ΑΡΧΗΣ.

— — *a suo vero infestantur parente*
Ab initio.

Ibid. v. 203:

Ταύτην δ' ΕΞ ΑΡΧΗΣ τιμὴν ἔχει.
Hunc vero ab initio honorem habet.

Cap. VIII. 44. XV. 27 Ioannes vsurpauit quoque formulam: ἀπ' ἀρχῆς, cuius exempla in profanis non sunt rara.

Io. XII. 24.

Καρπὸν φέρειν) Haec quoque phrasis Ioanni est perquam familiaris & quasi propria, quam semper adhibet, reliquis Euangelistis καρπὸν, vel καρποὺς ποιεῖν scribentibus. Vtraque elegans est. De ea, quam vsurpat Ioannes, hac vice tantum affero locum ex Hesiodi O. & D. v. 237:

ΚΑΡΠΟΝ δὲ ΦΕΡΕΙ ζείδωρος ἄρουρα.
Fructum vero fert foecundus ager.

Io.

Io. XXI. 7.

Πέτρος τὴν ἐπενδύτην διεζώσατο, (ἦν γὰρ γυμνὸς) Petrum fuisse sine omni omnino vestitu, nemo facile sibi persuaserit, nisi qui possit credere, diuinum virum omnem modestiam ac pudorem posuisse. Licet itaque hoc videatur indicare vox γυμνὸς, ea tamen rite intellecta non semper omnium vestimentorum defectum inuoluit, sed haud raro ab antiquis Graecis (aeque ac a Latinis *nudus*) vsurpatur de homine, qui vestem modo superiorem deposuit. Probari hoc potest, praeter ea, quae hanc in sententiam protulit Gisbert. Cuperus Obseruatt. L. I. c. 7. p. 36 sqq., duobus locis Hesiodeis, quorum alter alterum explicat. Primus est in O. & D. v. 391. 392:

— ΓΥΜΝΟΝ σπείρειν, ΓΥΜΝΟΝ δὲ βοωτεῖν,
ΓΥΜΝΟΝ δ' ἀμάειν.

— *Nudus serito, nudusque arato,*
Nudus quoque metito

Alter occurrit in Scut. Herc. v. 286. 287. 288:

— — — Οἱ δὲ ἀροτῆρες

Ἤρεικον χθόνα δῖαν, ἐπισολάδην δὲ
ΧΙΤΩΝΑΣ

Ἔςαλατ'.

— — — *Aratores vero*

Scindebant terram bonam, ornateque tunicas

Succinxerant.

Licet itaque ararint ſine veſtibus exterioribus, non omnibus tamen fuerunt deſtituti. Elegantem nummum, a Petro Seguino acceptum, in quo arator, vnica indutus tunica, ſiſtit Cuperus l. c. p. 37. Ioannea itaque de Petro verba commode ſic exponuntur: Petrus ſuccinxit ἐπένδυμα (quod vocabulum, a rei veſtiariae ſcriptoribus, Octavio Ferrario & Alberto Rubenio, quod mireris, neglectum, etymologia iubet cum Tertulliano exprimere *ſuperindumentum*); veſte enim interiori erat modo indutus. Graevius l. c. p. 42 ad declarandam vocem γυμνὸς affert, quae de nudo Saule 1. Sam. XIX. 24 leguntur.

Act. VII. 41.

Ἀνήγαγον θυσίαν τῷ εἰδώλῳ) Summo iure reprehenduntur Iſraëlitae, imitati morem gentilium. Horum ſtudium ſacrificandi fictis Numinibus comprobat Heſiodus

ſiodus O. & D. v. 336 - 340 hac admonitione:

Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
Ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, ἐπὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν.
Ἄλλοτε δὴ σπονδῆς θυέσσί τε ἱλάσκεσθαι,
Ἠμὲν ὅτ' εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ,
Ὥς κέ τοι ἵλαον κραδίην καὶ θυμὸν ἔχωσιν.

Pro facultate autem ſacra facito immortalibus Diis
Caſte & pure, nitidaque femora adole.
Interdum certe libaminibus atque hoſtiis placa,
Et quando cubitum ieris, & quando matutinum tempus venerit,
Vt beneuolum erga te cor atque animum habeant.

Quae in his puriorem de ſacrificiis doctrinam ſapere videntur, ea non ex naturae lumine, ſed ſine dubio ex commercio gentilium cum populo Dei, & inde nato aemulandi ſtudio, (diabolum enim eſſe Dei ſimium, quis neſcit?) hauſta. Quare Marſhamo-Spencerianae de ſacrificiis hypotheſi hic quoque locus Heſiodeus minime fauet. Eiusmodi autem gentile ſacrificium, licet illud tanquam gratum & ac-

acceptum describat vates Ascraeus, describant alii, multis tamen illud parasangis post se relinquit ὀσμὴ εὐωδίας, θυσία δεκτὴ εὐάρεστος τῷ Θεῷ, cuius meminit Paulus Eph. IV, 18.

Act. XII. 14.

Καὶ ἐπιγνοῦσα τὴν Φωνὴν τοῦ Πέτρου) In his verbis malunt aliqui τὴν Φωνὴν exprimere per *nomen*, quam per *vocem*, inducti nonnullis profanorum scriptorum locis, in quibus Φωνὴ *nomen* denotat. Est in his Hesiodeus O. & D. v. 79, 80. 81:

— — — Ἐν δ' ἄρα ΦΩΝΗΝ
Θῆκε θεῶν κήρυξ, ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα
Πανδώρην.

— — — *Sed nomen illi*
Imposuit Deorum praeco. Appellauit autem mulierem hanc
Pandoram.

Eandem vocis Φωνῆ significationem ex Homero confirmat Graevius l. c. p. m. 13. Etsi itaque negari non possit, profanos interdum Φωνὴν pro *nomine* vsurpare, quia tamen haec significatio apud ipsos rarior est, ea autem, qua *vocem* denotat, multo fre-

frequentior, malim in communi ſententia perſiſtere, & Φωνὴν Petri *vocem* ipſius potius, quam *nomen* interpretari. Fauet huic expoſitioni in primis additum verbum ἐπιγνοῦσα: fauent alia, quae ab interpretibus iam annotata non repetam.

Act. XIV. 12.

Ἐκάλουν τὸν Παυλὸν Ἑρμῆν, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου) Mercurium, quem in diſerti Pauli perſona ſe inueniſſe putabant Lyſtrenſes, tanquam Deorum praeconem & nuntium, facundia pollentem, deſcribit Heſiodus Theog. v. 938. 939:

Ζηνὶ δ' ἄρ' Ἀτλαντὶς Μαίη τέκε κύδιμον
ΕΡΜΗΝ,
Κήρυκ' ἀθανάτων.

Ioui vero Atlantis filia, Maia, peperit glorioſum
Mercurium,
Praeconem Deorum.

Ο. & D. v. 77. 78. 79:

Ἐν δ' ἄρα οἱ ϛήθεσσι διάκτορος Ἀργει-
φόντης
Ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπι-
κλόπον ἦθος
Τεῦξε.

At in pectore illi nuncius Argicida
Mendacia blandosque sermones & dolosos mores
Condidit.

v. 84. 85:

Εἰς Ἐπιμηθέα πέμπε πατὴρ κλυτὸν Ἀργει-φόντην
Δῶρον ἄγοντα, θεῶν ταχὺν ἄγγελον.

Ad Epimethea misit pater inclytum Argicidam
Munus ferentem, Deorum celerem nuntium.

Conf. quae de eloquentia Mecurii (quem ob interfectum Argum non raro apud poëtas *Argicidae* nomine venire, notum est) obseruauit Lamb. Barlaeus in Nott. ad Theog. p. 239.

Act. XIV. 17.

Οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς) Recte his verbis Paulus pluuiam recensuit inter beneficia, quae vero Deo in acceptis sunt referenda, idque eo haud dubie fine, vt gentes, eiusmodi beneficia a fictis Numinibus, & reuerentia illis exhibita, deriuantes, pudore suffunderet. Nullam autem gentibus inferri iniuriam, vel ex solo Hesiodo liquet. Nam in O. & D. v. 488 legitur:

Τῆ-

Τῆμος Ζεὺς ὕοι τρίτῳ ἤματι, μὴδ' ἀπολήγοι.

Tunc Iupiter pluat triduo, neque desinat.

Conf. v. 626, nec non 676, vbi Διὸς ὄμβρος, *Iouis imber*, commemoratur.

Act. XIX. 35.

Τοῦ Διοπετοῦς) i. e. *a Ioue, s. coelo delapsi*. Hanc enim Dianae simulacro originem Ephesii, ethnicismi labe infecti, adiudicabant. Occurrit eadem vox de fluuio vsurpata in Hesiodi Fragm. ex Scholiaste Apollonii p. m. 339:

Αὐτὸς δ' ἐν πλήσμησι ΔΙΙΠΕΤΕΟΣ ποταμοῖο.

Ipse vero in exundationibus a Ioue delapsi fluuii.

XIX. 38.

Ἀγοραῖοι ἄγονται) Verbum ἄγειν h. l. forense esse, haud difficulter intelligitur. Eodem illud sensu adhibuit Hesiodus O. & D. v. 768:

Εὖτ' *ἂν ἀληθείην λαοὶ κρίνοντες* ΑΓΩΣΙΝ.

Leg. quae hic annotauit Clericus in Nott. p. m. 315 sq.

Act. XXVI. 29.

Εὐξαίμην ἂν τῷ Θεῷ) Semel tantum cum Datiuo constructum verbum εὔχομαι in N. T. reperitur. Vere Graecam tamen esse hanc constructionem, probo ex Hesiodi O. & D v. 465:

Εὔχεσθαι δὲ Διῒ χθονίῳ, Δημήτερί θ' ἁγνῇ.

XXVII. 40.

Ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων) πηδάλιον est *gubernaculum*, quo nauis regitur. Occurit non raro in optimis scriptoribus Graecis, e quibus sufficit hic citasse nostrum Hesiodum O. & D. v. 629. 630:

ΠΗΔΑΛΙΟΝ δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι
Αὐτὸς δ' ὡραῖον μίμνειν πλόον, εἰσόκεν ἔλθῃ.

Gubernaculum vero fabrefactum super fumum suspendito.
Ipse autem tempestiuam exspectato nauigationem, dum veniat.

Conf. v. 45. Add. Graevium l. c. p. 11 sqq. In numero plurium, vt in Nouo Foedere, ita apud profanos quoque haud raro oc-

occurrit, quoniam naues veterum duo habuere gubernacula.

Act. XXVIII. 4.

Ὃν ἡ Δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν) Barbaros hic intelligere vltricem Deam, *Dicen*, omni dubio caret. Hanc vero Dicen sic describit Hesiodus O. & D. v. 256 sqq:

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ ΔΙΚΗ, Διὸς ἐκγεγαυῖα
Κυδρή τ' αἰδοίη τε Θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.
Καί ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
Αὐτίκα παρ' Διῒ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι,
Γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον. κ. τ. λ.

Virgo autem est Dice, Ioue prognata,
Augusta & veneranda Diis, qui coelum habent.
Et certe, cum quis illam laedet, impie contumelia afficiens,
Statim apud Iouem patrem considens Saturnium,
Queritur hominum iniquitatem. &c.

Conf. supra v. 220 sqq.

Rom.

Rom. I. 29.

Ἔριδος) Inter vitia, quibus gentiles fuere inquinati, ἔρις a Paulo refertur. Huic illos fuisse deditos, ob eam, qua obducti fuere, caecitatem, & ob reprobam, in quam iustissimus eos Deus tradidit, mentem, non miramur, etsi prudentiores turpitudinem eius probe intellexerint. Testis est vel solus Hesiodus in Scut. Herc. v. 148. 149 scribens:

Δεινὴ ΕΡΙΣ πεπότητο, κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν,
Σχετλίη. κ. τ. λ.

Saeva contentio volitabat, accendens pugnam hominum,
Tetra &c.

Conf. O. & D. v. 28. vbi ΕΡΙΣ κακόχαρτος, *contentio malis gaudens*, valde dissuadetur.

II. 20.

Παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων) Eleganter hic ἄφρονες & νήπιοι coniunguntur. Νήπιοι enim Graecis non raro vocantur *insipientes*, *malesani*, qui magna mentis atque ingenii laborant imbecilli-

ta-

tate, ideoque infantibus recte aſſimilantur. Heſiodus O. & D. v. 40. 41:

ΝΗΠΙΟΙ. ὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Stulti: neque ſciunt, quanto plus dimidium (legitime acquiſitum) *ſit toto* (male parto),
Neque quam magnum in malva & aſphodelo bonum.

Ibid. v. 130, 131:

Ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ἐτρέφετ' ἀτάλλων μέγα ΝΗΠΙΟΣ ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Sed centum annorum puer apud matrem ſedulam
Nutriebatur creſcens valde rudis domi ſuae.

v. 218:

— — — Παθὼν δέ τε ΝΗΠΙΟΣ ἔγνω.
— — — *Suo autem damno ſtultus diſcit.*

Conf. v. 286. 397. 456. 633. Fragm. p. m. 348. Cum loco noſtro Paulino comparetur alius Epheſ. IV. 14.

Rom

Rom. XI. 34.

Τις γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίȣ;) Haud dissimilia, sed falso, de Ioue suo tradebant gentes, cuius rei documentum licet capere ex Hesiodi Fragment. p. m. 346, vbi isthaec, ex Clemente Alexandrino excerpta, leguntur:

Μάντις δ' ȣ̓δεὶς ἐςιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Ὅςτις ἂν ΕΙΔΕΙΗ Ζηνὸς ΝΟΟΝ Αἰγιόχοιο.

Vates nemo est inter terrestres homines,
Qui nouerit mentem Iovis AEgidem habentis.

Add. Theogon. v. 550 sq, vbi de eodem Ioue:

— Ζεὺς δ' ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
Γνῶ ῥ' ȣ̓δ' ἠγνοίησε δόλον.

— Iupiter autem aeterna consilia sciens
Cognouit certe, nec ignorauit dolum.

XIII. 13.

Μὴ κώμοις) Rectissime ab iisdem Romanos suos, ad castra Christiana transgressos, sibi gentium doctor iubet cauere. Nimia enim, imo, vt vno verbo dicam, gentilis erat κωμαζόντων, qui peculiarem effinxerant Deum, temulentiae atque luxuriae praesidem, Κώμȣ nomine famosum, volup-

luptas. Haud obscure istud quoque indicant ea, quae habet Hesiodus in Scut. Herc. v. 281 sqq:

> Ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι ΚΩΜΑΖΟΝ ὑπ' αὐλοῦ,
> Τοίγε μὲν αὖ παίζοντες ὑπ' ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ,
> Τοίγε μὲν αὖ γελόωντες. ὑπ' αὐλητῆρι δ' ἕκαστος
> Πρόσθ' ἔκιον. πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
> Ἀγλαΐαι τ' εἶχον.

> *Inde rursus ex alia parte iuuenes comessabantur ad tibiam:*
> *Alii quidem ludentes saltatione & cantu,*
> *Alii vero ridentes. Sub tibicine autem singuli*
> *Procedebant. Totam vero vrbem laetitiae, choreae,*
> *Voluptates tenebant.*

1. Cor. IV. 15.

Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε) i. e. *permultos*. Comp. 1. Cor. XIV. 19, vbi πέντε ac μυρίοι, *pauci* & *multi*, sibi inuicem opponuntur. Eodem sensu haec vox apud

apud Hesiodum occurrit. Sic in O. & D. v. 100:

— ΜΥΡΙΑ λυγρὰ κατ' ἀνθρώπȣς ἀλάληται.

— *Permulta (imo innumera) mala inter homines errant.*

Ibid. v. 252:

Τρὶς γὰρ ΜΥΡΙΟΙ εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πȣλυβοτείρῃ.

Fragm. p. m. 334:

ΜΥΡΙΟΙ εἰσὶν ἀριθμὸν, ἄτερ μέτρȣ γε μέδιμνος.

1. Cor. VIII. 5.

Θεοὶ, εἴτε ἐν ȣ᾽ρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς) Cum non de magistratu ciuili, quod nonnulli volunt, sed de fictis gentium Diis, quibus in subsequenti comm. 6 verus Deus opponitur, haec verba agant, indicant simul gentilium stultitiam, qua Numina in coelestia diuidebant atque terrestria, illis, tanquam superioribus, coelum, his, tanquam inferioribus, terram assignantes sedem. Vtrorumque apud Hesiodum, in Theogonia praesertim, fit passim mentio, in primis priorum, qui iuxta Theog. v. 373 ȣ᾽ρανὸν εὐρὺν ἔχȣσι, *coelum latum tenent*

nent. Plura loca non cumulo. Res enim satis nota est.

Gal. III. 19.

Νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων) Seb. Castalio vertit: *Lex instituta per genios.* Sed magis placet interpretatio Seb. Schmidii: *Lex disposita per Angelos.* Ministrorum enim est, legem *disponere*, quae a Domino *lata*, siue, vt loquitur Castalio, *instituta.* De Ioue, pro legis ministro potius, quam auctore habito (nam ad citand. Hesiodi loc. eleganter obseruat & ex Sophoclis Antigon. v. 455 sqq probat Clericus, quod ethnici leges, a Ioue, vt opinabantur, dispositas, ipso putarint multo antiquiores, imo adeo antiquas, vt nemo nouerit earundem originem) simili ratione canit Poeta noster O. & D. v. 276:

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι ΝΟΜΟΝ ΔΙΕΤΑΞΕ
Κρονίων.

Idem Clericus ex h. l. refutat Iosephum L. II. contra Apion. asserentem, ne nomen quidem *Legis* olim apud Graecos fuisse cognitum, cum ex Hesiodo, vate peruetusto, contrarium appareat, etsi casu contigerit, Homerum eam vocem plane non adhibuisse.

Ephes. II. 18.

ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν) Verbum Ἔχειν nonnunquam apud Graecos idem est ac *consequi*, *adipisci*. Sic Hesiodus O. & D. v. 126:

— — Τοῦτο γέρας βασιλήϊον ΕΣΧΟΝ.

— — *Hanc dignitatem regiam consecuti sunt.*

Eandem habet emphasin in hoc & alio loco Paulino Rom. V. 2.

IV. 22.

Κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης) Non lucis, sed tenebrarum filios amare Ἀπάτην, certum est. Coniungitur illa cum ἐπιθυμίαις, quoniam prauae cupiditates non raro fraudis ope peraguntur. Purioris itaque doctrinae gentilis videtur esse documentum, quando Hesiodus Ἀπάτην Noctis filiam dicit, eidemque sororem adiungit Φιλότητα, libidinem, in Theog. v. 223. 224 scribens:

Τίκτε δὲ καὶ Νέμεσιν, πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι,

Νὺξ ὀλοή. μετὰ τήνδ' ΑΠΑΤΗΝ τέκε καὶ ΦΙΛΟΤΗΤΑ.

Pe-

Peperit praeterea & Nemesin, cladem mortalibus hominibus,
Nox perniciosa: post hanc Fraudem enixa est & Libidinem.

Ephes. IV. 28.

Ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν ταῖς χερσὶν) Indicat hic τὸ ἐργάζεσθαι laborem strenuum, omnem difficultatem ac molestiam superantem, famem pellentem, ea, quae ad victum ac vitam honeste sustentandam requiruntur, parantem, &, quod praecipuum est, Deo gratum. Eodem sensu reperitur apud profanos, & nostrum sigillatim Hesiodum, e quo, breuitatis studio, duo tantum loca producam. Et primum quidem ex O. & D. v. 299. 300. 301:

ΕΡΓΑΖΕΥ, Πέρση, δῖον γένος, ὄφρά σε λιμὸς
Ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δὲ ἐυςέφανος Δημήτηρ
Αἰδοίη, βιότου δὲ τεὴν πίμπλησι καλιήν.

Labora, o Persa, diuinum genus, vt te Fames
Oderit, amet autem pulchre coronata Ceres
Veneranda, victuque tuum impleat horreum.

Alterum ex eodem libro v. 309. 310:

Καὶ τ' ΕΡΓΑΖΟΜΕΝΟΣ, πολὺ φίλτερος ἀθανάτοισιν

Ἔσσεαι ἠδὲ βροτοῖς.

Et laborans, multo carior immortalibus
Eris ac hominibus.

Reliqua huc ſpectantia vid. ibid. v. 312. 313. 314. 315. 316. 382. 397. 398. 399. 400. 438. 623.

Tit. I. 12.

Κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί) Ita ciues ſuos, Cretenſes, vocat Epimenides. Eadem fere ratione ignauos paſtores appellat Heſiodus Theogon. v. 26:

— — Κακ' ἐλέγχεα, ΓΑΣΤΕΡΕΣ οἶον.
— — *Mala probra, ventres ſolum.*

Denotat autem hic γαστὴρ hominem guloſum, abdomini & ingluuiei deditum; aeque ac *venter* a Terentio Phorm. V. 7. 95 pro *lurcone* atque *paraſito* vſurpatur. Vnde in Gloſſis γαστρίζειν, *Saginare.* Vid. quae hanc in ſententiam ex AEliano & Themiſtio eleganter obſeruauit Cuperus Obſeruatt. L. III. c. 10. p. 296.

Heb. IV. 4.

Ἐν τῇ ἡμέρα τῇ ἑβδόμῃ) Diei ſeptimi, quo Deus ab omnibus operibus ſuis quieuit, ſan-

ſanctificatio, a Numine praecepta, non ad Theologiam naturalem, ſed reuelatam ſpectat. Etſi enim in loco Heſiodi O. & D. v 769. 770:

Αἵδε γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς παρὰ μητιόεντος.
Πρῶτον ἔνη, τετράς τε, καὶ ΕΒΔΟΜΗ,
ΙΕΡΟΝ ΗΜΑΡ.

Hi enim dies ſunt a Ioue prudente.
Primum nouilunium, quartus, & ſeptimus,
ſacer dies,

nonnulli (quos inter eſſe Patrum Allixium, e colloquio cum ipſo inſtituto annotavit V. Cl. Iac. Hieron. Lochnerus Obſervatt. Anglic. Del. I. p. 9) quaeſiuerint Sabbathi Iudaici veſtigia, irritum tamen fuiſſe eorum conatum, deprehendimus. In loco enim Heſiodeo non hebdomadis, ſed menſis ſeptimum commemorari diem, docent verba antecedentia v. 766: *τριηκάδα μηνὸς ἀρίστην, κ. τ. λ. triceſimum menſis optimum*, &c. Vnde liquet, hic non de hebdomadis, ſed menſis diebus eſſe ſermonem. Idem luculentiſſime euincit ſequens v. 772: *ὀγδοάτη τ' ἐνάτη τε, δύω γε μὲν ἤματα μηνὸς, Octauus & nonus, ambo dies menſis.* Neque ἱερὸν ἦμαρ hic eſt *dies feſtus*, cum laetitia coniunctus, ſed, vt cum Gellio N. A. L. IV. c. 9. loquar, *triſti omine* in-

infamis, adeoq; timorem ac tremorem secum ferens. Haud dubie ad Planetas, qui κοσμοκράτορες priscis dicebantur Astrologis, hic respicitur. Septimo autem diei praefectus erat Saturnus. Hinc ille ater putabatur atque infaustus, hominibusque metum facile incutiebat. Plura vid. in celeberr. Io. Iac. Syrbii erudita Diss. de Sabbatho Gentili, in quo etiam locus noster Hesiodeus reperitur excussus. Praeter allatas autem, alia dari potest ratio, ab Apolline desumta. Hic quia in lucem editus erat septimo mensis die, vocabatur *Hebdomagena*, dies septimus illi fiebat sacer, numerusque septenarius consecrabatur. Luculentum huius rei documentum praebent verba Procli in Timaeum Platonis L. III: Καὶ τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἑπτάδα ἀνεῖσαν, ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας. διὸ καὶ Ἑβδομαγέταν ἐκάλουν τὸν Θεὸν, καὶ τὴν ἑβδόμην τοῦ Θεοῦ ἱερὰν ἔλεγον. Conf. quae ex aliis scriptoribus attulit AEgid. Menagius Observatt. in Laërt. L. III. Segm. 2. p. m. 134 sq. Nihil itaque hic praesidii inueniunt illi, qui Iudaeos morem celebrandi diem septimum a gentibus accepisse, ausu valde temerario affirmant.

Iac.

Iac. II. 19.

Τὰ δαιμόνια πιςεύουσι καὶ φρίσσουσι) Verbum φρίσσειν in N. T. ſemel tantum occurit, & de horrendo quidem horrore, quo maligni ſpiritus, credentes quidem, ſed fide tamen ſaluifica deſtituti, contremiscunt. Heſiodus vſurpat de tremore eorum, qui beſtiis ſe vident circumdatos; nec non ferarum, quas vehementiſſima tempeſtas & boreae, ſyluas deiicientis, vis conturbat. Ita enim canit Scut. Herc. v. 171. 172. 173:

— — ΦΡΙΣΣΟΝ γε μὲν αὐχένας ἀμφω.
Ἤδη γάρ σφιν ἔκειτο μέγας λῖς, ἀμφὶ δὲ κάπροι
Δοιοί.

— — *Horrebant tamen colla vtrorumque.*
Iuxta enim eos iacebat magnus leo, circum autem apri
Duo.

O. & D. v. 511. 512.:

— — Πᾶσα βοᾷ τότε νήριτος ὕλη.
Θῆρες δὲ ΦΡΙΣΣΟΥΣΙ.

— — *Omnis reboat tunc ingens ſylua.*
Ferae autem horrent.

Conf. ibid. v. 540.

Iac. III. 8. 9.

Τὴν δὲ γλῶσσαν, κ. τ. λ.) Non male Hesiodus iustum linguae vsum & illegitimum ipsius abusum describit O. & D. v. 719. 720. 721:

ΓΛΩΣΣΗΣ τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Εἰ δὲ κακὸν εἴποις, τάχα κ᾽ αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Linguae thesaurus inter homines optimus
Parcae, plurima vero gratia, si modum seruet.
Quod si malum dixeris, forsan & ipse maius audies.

IV. 6.

ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται) Per ὑπερηφάνους proprie intelliguntur homines, qui se prae aliis omnibus volunt ostendere, indomiti idcirco, nec superioribus debitam exhibentes reuerentiam, atque ideo non humanis solum hominibus, sed ipsi etiam Deo inuisi; comparandi cum Cotto, Briareo & Gyge, quos Hesio-

ſiodus Theog. v. 149 ΥΠΕΡΗΦΑΝΑ ΤΕΚΝΑ appellat.

1. Pet. II. 12.

Ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες) Accurata operum inſpectio & conſideratio hic indicatur. Quo ſenſu verbum ἐποπτεύειν occurrit etiam apud Heſiodum O. & D. v. 767: Ἔργα τ' ΕΠΟΠΤΕΥΕΙΝ. Magnam, quae in hoc verbo latet, emphaſin fuſius aliquando demonſtrabo, ſi vita & fata permiſerint, vt, quae *de Epoptis Veterum* horis interdum ſubſeciuis meditor, luce aliquando donentur.

2. Pet. II. 4.

Σειραῖς ζόφου ταρταρώσας) Dudum obſeruarunt interpretes, metaphoricam in his verbis eſſe loquendi rationem, deſumtam a ſceleſtis hominibus, qui ob perpetratum maleficium catenis conſtricti in carcerem ſqualidum & tenebricoſum coniiciuntur. Hoc autem non omnes animadverterunt, quod citatis verbis Petrinis ad tartarum, poetarum fabulis & antiquorum monumentis inclytum, haud dubie alludatur. In iis vero deſcribitur tartarus tanquam locus obſcuriſſimut, in quo mali vinculorum ac tenebrarum poenas ex iuſto

iudicio ſuſtineant. Heſiodus noſter & vinculorum & caliginis & tartari facit mentionem Theogon. v. 119:

ΤΑΡΤΑΡΑ τ' ΗΕΡΟΕΝΤΑ μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.

Tartaraque tenebricoſa in receſſu terrae ſpatioſae.

V. 652. 653:

Ἐς φάος ἂψ ἀφίκεσθε δυσηλεγέος ἀπὸ ΔΕΣΜΟΥ,
Ἡμετέρας διὰ βουλὰς, ἀπὸ ΖΟΦΟΥ ἠερόεντος.

Ad lucem rediiſtis moleſto a vinculo,
Noſtra per conſilia, a caligine obſcura.

V. 658. 659. 660:

Σῇς δ' ὑποφραδμοσύνησιν ἀπὸ ΖΟΦΟΥ ἠερόεντος
Ἄψοῤῥον δ' ἐξαῦτις ἀμειλίκτων ἀπὸ ΔΕΣΜΩΝ
Ἠλύθαμεν.

Tua vero prudentia ab caligine opaca
Retro iterum acerbis a vinculis
Venimus.

V. 729. 730:

Ἔνθα

Ἔνθα θεοὶ Τιτῆνες ὑπὸ ΖΟΦΩι ἠερόεντι
Κεκρύφαται.
Illic Dii Titanes sub caligine obscura
Absconditi sunt.

Plura, cum his conuenientia, in Hesiodo sunt loca, quae lubens praetereo, cum adducta possint sufficere.

2. Pet. II. 13.

Σπῖλοι καὶ μῶμοι) Bene vertit Lutherus: *Schande und Laster.* Nec male Latini interpretes, Seb. Schmidius, Iunius & Tremellius, nec non Castalio: *labes & maculae.* Vulgatus: *coinquinationes & maculae.* Vox enim Μῶμος aliorum reprehensorem & irrisorem vulgo quidem dicitur denotare; pro ipso vero etiam *dedecore* ac *vitio* sumitur. ΜΩΜΟΝ, teste Hesiodo Theog. v. 213. 214, *τέκε* Νὺξ *ἐρεβεννὴ, peperit Nox obscura.* Vitia noctis & tenebrarum filii pariunt ac perficiunt. Proprie autem istud designat vitium, quod in iniqua ac maleuola personarum atque rerum bonarum, saepe minus recte cognitarum, reprehensione consistit. Hesiodus in O. & D. v. 755. 756 criminationem arcanorum in sacrificiis interdicit verbis sequentibus:

Μηδὲ

— Μηδ᾽ ἱεροῖσιν ἐπ᾽ αἰθομένοισι κυρήσας,
ΜΩΜΕΥΕΙΝ ἀΐδηλα.

— *Neque in sacrificia accensa incidens*
Reprehende arcana.

Add. Scut. Herc. v. 102, vbi Iolaus dicitur ΑΜΩΜΗΤΟΣ, i. e. nullo reprehensione digno vitio, aut dedecore commaculatus.

Apoc. XXI. 8.

Δειλοῖς) A plerisque redditur: *timidis*; a Castalione: *ignauis.* Sed mauult Lamb. Bos Exercit. Phil. in N. F. p. m. 304 sq *malis*, siue *improbis*, hancque suam interpretationem corroborare studet locis ex Homero, Eustathio & Theognide depromtis, in quibus δειλὸς idem est, ac κακὸς, πονηρὸς, *malus*. In gratiam huius expositionis cito iterum locum, quem Bos non attulit, Hesiodi O. & D. v. 686:

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται ΔΕΙΛΟΙΣΙ
βροτοῖσι,

vbi δειλοῖσι commode vertetur: *malis*. Non enim boni, sed mali homines, auaritia, malorum omnium radice, ducti, opibus ita adhaerent, vt anima eorundem queant nuncupari.

IV.

IV.

Olai Molleri,

Flensburgensis,

Epistola Critica

ad

IO. HENR. a SEELEN,

Th. Lic. & Gymn. Lub. Rect.

de integritate Vocis

ΡΕΜΦΑΝ

Act. VII. 43.

NOsti, *Vir doctissime plurimumque Reverende*, quantis laborat difficultatibus locus, quem Act. C. VII. com. 43 legimus. Nam quoniam Lucas ab Amosi, Vatis divini, verbis paululum recessisse videtur, Viri quoque eruditione illustres de conciliandis istis locis jam pridem cogitaverunt. Aliorum sententiis recensendis chartam consumere nolumus, præsertim, cum *Michael Waltherus*, (a) *Johannes Spencerus*, (b) *Hermannus Witsius*

(a) *In Harmonia Biblica pag. m. 519. seqq.*

(b) *de Legibus Ritualibus Hebraeorum Lib. II. C. X. p. m. 467.*

sius (c), *Salomon Deylingius* (d) ac *Johannes Franciscus Buddeus* (e), at quanta coeli literarii lumina! ingenii vires hac in parte exercuerunt, variasque aliorum interpretum illustrationes in medium attulerunt. Inprimis autem, quæ a *Campegio Vitringa* (f), enarratore oraculorum divinorum diligentissimo, multisque proinde laudibus ornando, hanc in rem sunt scripta, ingeniose mihi videntur excogitata. Non enim solum versionem Græcam cum textu contulit originali, sed & pro ingenio, quo excelluit, florentissimo e rhythmis (g) Veterum Hebræorum rationem reddere voluit, qui factum sit, ut verba apud Septuaginta Interpretes atque Lucam occurrentia, non eo, quo apud Amosum, legan-

(c) *In Diss. de Cultu Molochi Tom. I. Miscell. p.* 610 *sqq.*

(d) *Observationum Sacr. Parte II. p.* 337 *sqq.*

(e) *Hist. Eccles. V. T. T. I. p.* 769 *seqq.*

(f) *in Obs. de Molecho ab Israëlitis in deserto culto, qua prima est Obss. S. Lib. II. p.* 249 *sqq.*

(g) *Quoniam Judæi ex mente Doctiss. Vitringa etiam in libris historicis, ut Jos. XII. 9. Num. VI. 25. 26. Ester. IX. 7. 8. Poësi usi sunt rhythmica, etiam LXX Interpretes ad eandem respexisse arbitratur. Sic enim rem se habere putat, ut sequentis in typo videmus:*

ונשאתם

gantur ordine. Licet igitur ea non extra omnem dubitationem posita esse mihi sit fatendum, quæ Celeberrimus *Vitringa* pro tuenda sententia sua in scenam produxit; istæc tamen majori cum certitudine, quam quæ de vocabulo Ῥεμφὰν, nomine idoli notissimo, est commentatus, amplectenda esse firmiter sum persuasus. Posteaquam enim sententiam *Ludovici* de *Dieu* brevibus recensuerat, frivolisque plane, ut postea videbimus, argumentis erat aggressus, *Johannem Drusium* (h), qui ex Aben-Esra atque Kimchio, *Chevan* olim pro *Chiun* lectum esse, observat, mendamque igitur vel manu scribentis aberrante, vel etiam supina quadam ipsorum LXX Interpretum negligentia in Textum Græcum, quem D. *Lucas* calculo suo approbarit, irre-

---

ונשאתם את סכות מרככם
καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ
כוכב אלהיכם
καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν
כיון צלמיכם
Ῥεμφὰν τοὺς τύπους
אשר עשיתם לכם:
Οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς

Sed quis non videt, quam vacillanti hæc nituntur fundamento?

(h) *in Præteritis N. T. L: V. p: 178.*

irrepsisse conjicit, satis fidenter est secutus. Ut autem interpretes codicis Hebræi literam כ cum ר permutaverint, atque sic *Revan* in locum *Chevan* substituerint, eò facilius fieri potuisse arbitratur, quo certius est, quod *Hieronymus* jam suo tempore in versione Græca (i) Veteris Codicis ejusmodi *αβλεψίας* genera notaverit, ipseque B. *Glassius* (k), quem hac in re sibi habet consentientem, loco quodam e vaticiniis Nahumi petito literarum memoratarum permutationem (l) probaverit. Hæc igitur est, *Vir admodum Reverende*, mihi-

(i) *LXX Interpretes nonnunquam male legisse, atque literas Codicis Hebræi quoad externam formam non magnopere discrepantes confudisse, satis constat. Conf. Hieronymus ad Hoseam, & inter recentiores Job. Braunius de Vestitu Sacerdotum Hebræorum L. I. C. XVI. Add. Joh: Ernestus Grabius in Diss. de Variis Vitiis LXX. Interpretum. Oxoniæ 1710. in 4to.*

(k) *Grammatica S. Lib. IV. Tract. III. p. m.* 1376.

(l) *Ad eo faciliorem sententiæ Vitringianæ intelligentiam verba B. Glassii hic apponemus. Pro Hebræo* כִּיּוּן*, inquit, punctis sublatis LXX legisse videntur* רִיּוּן *(litera* כ *inferne evanida seu erasa) unde* ῥεφὰν *(quæ lectio in Theodoreto quæst. 25. in Levit. exstat) & insertione τοῦ μ, ῥεμφὰν Remphan facile fieri potuit. Notum enim est, quam varie nomina Hebræorum propria ad exteras linguas commo-*

hique amiciſſime, ſententia, quam doctiſſimus *Vitringa* magno cum eruditionis apparatu defendit. Omnem vero ejus operam inanem plane fuiſſe atque irritam, eſt dolendum. Quis enim tantam præ ſe ferret dementiam, ut lectionem Sacri Codicis multorum ſeculorum præſidio munitam, nulla vrgente neceſſitate, corruptam eſſe affirmaret? Quis Judæis duobus recentioribus majorem fidem, quam antiquis eloquiorum divinorum cenſoribus, qui Maſoretharum nomine nobis veniunt, adhiberet? Iſti ſane non aliam, quam quæ hodie in noſtris reperitur codicibus, commendarunt lectionem, nec alias vocales literis כִּיּוּן ſubjiciendas eſſe unquam ſtatuerunt. Verum lingua Perſis atque Iſmaelitis familiari Saturnum vocatum eſſe Chevan, Aben-Eſra atque Kimchius perhibuerunt. Verpos iſtos recutitos ita ſcripſiſſe conſtat; an vero ſolido nitantur fundamento, dubitandi cauſæ nobis ſunt graviſſimæ. Unde enim hi ſoli veteres Perſas vocem כִּיוּן eo, quo tradunt, modo pro-

migrantia, literis & punctis vocalibus mutentur. Et conjectura dicta favet, quod Nah. 1, 6. pro eadem litera כ in voce כָּאֵשׁ sicut ignis, LXX legerunt רֹאשׁ caput, princeps; vertunt enim ἀρχὰς, principatus,

nunciavisse, sunt edocti? Nullum proferunt argumentum, quo nos ad consensum cogere queunt, sed potius postulant, ut sine ulteriori in verba ipsorum juremus indagatione: qui vero opinionibus non sunt fascinati præjudicatis, verumque a falso discernere norunt, cum vate respondebunt Venusino (m):

— — — credat Judæus Apella
Nos non item.

Quod si *Vitringa* doctores istos Judæorum linguam Persicam intellexisse recentiorem credidisset, ambabus istud, ut ajunt, manibus largiremur, sed simul nobis in memoriam revocaremus, quæ in scripto de Confusione Linguarum nitidissimo ab ipso recte sunt disputata. Progressu enim temporis accidisse existimat, ut linguæ, quæ ab Oriente nomen traxerunt, a se invicem discrepaverint, quamvis unam eandemque matrem, Hebræam scil. agnoverint. Tantum igitur abest, ut lectionem Textus Hebræi per multa secula retentam temere sollicitemus, ut potius illam veram atque genuinam habeamus, præsertim cum Persas Chevan ex Chiun formasse non est quod dubitemus. Interea tamen non exiguum nostræ sententiæ accedit robur,

(m) *Satyra V. Lib. I. v. 100.*

bur, quod istud idolum ipsis fuerit notum gentilibus, & eodem nomine כִּיּוּן ab ipsis insignitum. Anubim fuisse Saturnum atque Κύων vocatum, *Plutarchus*, quo doctiorem Græcia vix quondam habuit virum, in libello, quem de Iside & Osiride conscripsit, jam pridem docuit. Etsi enim in censuram doctissimi *Johannis Braunii* & supra laudati *Deylingii* incurrit, quod turpiter errans, vocabuli hujus originem e Græcia arcessiverit, nobis tamen sufficit, ut Saturnum antiquitus a Græcis Κύων fuisse appellatum sciamus. Quam sententiam etiam *Petrus Juriæus* (n) ac *Samuel Petitus* (o) confirmarunt, dum Carthaginensibus כִּיּוּן non ignotum, sed potius Numinis instar cultum fuisse evicerunt. Quædam scilicet in Plauti Pœnulo loquendi genera occurrere constat, quæ e lingua veterum Pœnorum sunt depromta, atque si Duumviris istis credere velimus, idoli nostri mentionem facere videntur. In primis vero *Johannis Spenceri* opinio, qua Judæos Saturnum

(n) *in Histoire Critique des Cultes L. IV. p. 577.*
(o) *Miscell. Lib. II. ad Plauti Pœnulum Act. V. Scen. II. Addantur Reinesii ἱστορούμενα Linguæ Punicæ in Syntagmate Dissertationum Græviano recusa Ultrajecti 1701. in 4to.*

Deum hoſpitalem cultu proſecutos eſſe divino eſt arbitratus, mirifice corroboratur, poſteaquam locum quendam Plautinum de teſſera hoſpitalitatis, quam ex antiquitate *Thomaſinus* (p) egregie illuſtravit, poſt *Petitum*, *Johannes Braunius* (q) doctiſſime expoſuit. Nec denique *Spiritum* S. omnis erroris expertem, permiſiſſe credendum eſt, ut Lucas LXX Interpretum errantium veſtigiis inſiſteret, mendamque ab iis commiſſam ſuis inſereret Actis. Impia vere ſunt, ac homine Chriſti nomen profitente prorſus indigna, quæ *Vitringa* (r) „affert, quando ſcribit: *Quanta præjudicatarum opinionum vis eſt etiam apud doctiſſimos & limati cæteroquin judicii* (Intelligit „*Johannem Seldenum*, qui religione ductus „Lucam erroris arguere noluit). *Quaſi vero Lucas, licet ductus ſit a Spiritu S. in hiſtorica narratione uti non potuerit verſione Græcorum interpretum in una litera nominis idoli plane ignoti a lectione hebræa diſſentiente.* Et paulo inferius addit ſequentia: *Non hæc* „*religio amplius, ſed ſuperſtitio dicenda. Si enim*

(p) *in Libro de Teſſeris Hoſpitalitatis, qui prodiit Utini* 1647. *in* 4to *&* *Amſt.* 1670. *in* 12mo. *Deinceps recuſus eſt a Jacobo Gronovio Tom. IX Antiquitatum Græc. p.* 213 *ſqq.*

(q) *in Selectis Sacris L. IV. C. IX. p.* 484.

(r) *loco cit. p.* 250 *&* 251.

„*enim Spiritus S., omnium prudentum consensu,*
„*in loquendo cum hominibus eorum sæpe suppo-*
„*nat opiniones, etiam erroneas, ut ab iis possit*
„*intelligi, eccur idem non facere potest in ver-*
„*sione, licet versionem non probet?* Quid autem a veritate magis alienum esse potest, quam affirmare, quod loquendo erroneas hominum opiniones Spiritus S. supponat? An omnes prudentes hac in re consenserint, vehementer dubito? *Thomam Campanellam* (s) quidem, *Johannem Clericum* (t), qui Socinianis in plerisque doctrinæ sacræ favet capitibus, dogmatumque Cartesianorum atque Copernicanorum propugnatores tale quidpiam statuisse, non ignoro. Istine igitur soli prudentes sunt habendi? Ita sane, sed omni ratione solida destitutus, Celeberrimus *Vitringa* judicat. Nam quod Scriptura Sacra in describendis affectibus & proprietatibus divinis ad captum humanum sese accommodaverit, imbecillitatis nostræ causa factum esse novimus (u). Absit autem,

 imo

(s) *in Apologia pro Galilæo, Mathematico Florentino, ubi disquiritur, utrum ratio philosophandi, quam Galilæus celebrat, faveat Sacris Scripturis, an adversetur, Francofurti 1622. in 4to.*

(t) *in Comment. in Pentateuchum p. 92 ad Gen. XI.*

(u) *Optime Matthias Flacius in Clave Script. Part. II. p. 346: Incomprehensibilia sunt Dei opera & actiones, neque nos aliquid de iis adsequi possemus,* nisi

imo quam longiſſime abſit, ut *Spiritum S.* erroneis hominum opinionibus ſtabiliendis ſe attemperaviſſe credamus. Quapropter male cohærent, quæ de *Spiritu S. Vitringa* pronunciare non dubitavit, quod licet Verſionem iſtam non probet LXX Interpretum, illam nihilominus in Novo Foedere retinere voluerit. Hoc ſane idem eſſet ac ſi diceremus, quod *Spiritus* veritatis hominibus ſententias inſtillare geſtiret erroneas. Quam impiæ autem ejusmodi ſunt cogitationes, omnes, quibus in rebus ſacris recte ſentiendi eſt animus, nullo fere negotio videbunt. Nam licet, quæ hic ab Eruditis diſputantur, Cl. *Vitringæ* minutiſſima videntur; *Johannes Seldenus* (x) tamen piaculum eſſe tale quid de iis, qui *Spiritu S.* dictitante ex veteri inſtrumento ad rem Chriſtianam promovendam aliquid adduxêre, ſtatuere recte judicavit. Ideo etiam vocem ῥεμφὰν, qua D. Lucas eſt uſus, ſive ῥαιφὰν, prout apud LXX Interpretes legimus, ex Hebræorum

---

niſi Sacra Scriptura iis uteretur loquendi de Deo formulis, quæ rebus humanis propinqua ſunt. Itaque Spiritui S. Scripturarum autori placet propter captus noſtri imbecillitatem noſtro more balbutire, & blandius humiliusque, quam tanta majeſtati conveniat, nobiscum per ſigna & verba agere.

(x) *Syntagm. II. de Diis Syris C. XIV.*

rum כִּיּוּן, vel, ut doctores Judæorum *Aben-Esra* atque *Kimchius* volunt, *Chevan* esse natum, nemo, qui sacrum Codicem, ea, qua decet, reverentia prosequitur, existimabit. Potius iis, qui ῥεμφὰν idolum fuisse Ægyptiorum antiquissimum, atque Græcorum Saturnum significasse, credunt, calculum suum dabit. Ita Interpretes multi, quorum nomina quo minus recenseamus, chartæ prohibet angustia, præter supra jam memoratum *Ludovicum de Dieu* (y), existimarunt. Laudant scilicet LXX Seniorum prudentiam, quod, cum in Ægyptiorum gratiam Biblia in græcam transferrent linguam, ignotum Ægyptiis Hebræorum כִּיּוּן in notissimum ipsis Ῥαιφὰν sive Ῥεμφὰν transmutaverint. Huic sententiæ fidem facit Alphabetum Ægyptiacum, quod ex Ægypto Romam missum *Athanasius Kircherus*, Antiquitatum studiosissimus, in musæo suo asservavit, atque cum orbe deinceps communicavit literato (z). Siquidem Ægyptios Saturnum vocabulo Ῥεμφὰν indicasse, ex

(y) *ad Act. VII. 43.*

(z) *in Prodromo Coptico, C. V. & Lexico Coptico p. 526. Evolv. etiam Samuel Bochartus in Phaleg. Ægyptios antiquissimis temporibus Regem habuisse nomine Remphin insignitum, testatur Diodorus Siculus Bibl. Histor. L. I. quod nomen Remphan iis haud fuisse inusitatum indicat.*

eo satis luculenter constare doctissimi quique jam pridem judicaverunt. Hoc enim ordine nomina septem Planetarum scribuntur pariter atque explicantur, ut Πιρη denotet Solem, Πιι Lunam, ΡηΦὰν Saturnum, Πιζευς Jovem, Moloch Martem, Σȣροτ Venerem, Πιερωης Mercurium. Sententiam igitur a permultis eruditis probatam, qua *ΡαιΦαν* apud Septuaginta Interpretes ex Hebræorum כיון corruptum esse putabant, cecidisse quid mirandum est? posteaquam *Ludovicus de Dieu* integritatem vocis istius, nixus autoritate hujus Alphabeti, quod *Claudius Salmasius ὁ πάνυ* pro singulari, qua erga eum affectus erat, humanitate ipsi ostenderat, non amplius in dubium vocandam esse rectissime censuit. Et certe ipse doctissimus *Vitringa* huic sententiæ lubens subscriberet, ac pro ea non minori cum ardore pugnaret, nisi quicquam adhuc restitisset, quod ipsi fuisset impedimento, quo minus ad nostras accederet partes. Alphabetum enim, in quo cum *Ludovico de Dieu* præsidium nostrum collocamus, ab otiosis Monachis in Ægypto degentibus, eumque in finem Romam missum existimat, ut *Kircherum*, ad superstitionem usque antiquitatum amantissimum, deciperent. Ita enim diser-

disertis scribit verbis: *Certe si omnino essem persuasus, eo tempore, quo facta est versio Græca Sacri Codicis, vocem* Ρηφὰν *apud Coptos pro Saturno communiter acceptam usurpatamque esse, nullus ego dubitarem, quin eo respexissent sua in Versione Interpretes Græci. Sed novi ego sane, quam sublesta sæpe eorum sit fides, quæ ex orientalibus illis regionibus doctissimo Kirchero (cujus tamen per me salva sint existimatio & merita) per Monachos missa Romam fuerunt, indeque inter eruditos viros per Europam dispersa. Mihi itaque, ut verum fatear, suspectum est hoc Alphabetum Ægyptiacum.* Verum non video, quo jure ipsi suspectum esse potuit. Monachis quidem in terris longe remotis viventibus, atque antiquitatis monumenta ad nos transmittentibus, haud semper est fidendum. Experientia enim edocti in moribus iis positum esse novimus, ut, quæ ipsorum sacris possint damnum inferre, mutent, aut quæ erroneis eorum dogmatibus stabiliendis inserviant, pro felicitate ingenii, qua præditi sunt, excogitent. Exemplum est in promptu, quo verbis nostris lucem affundere possumus, & quoniam idoli Ægyptiaci nomini discutiendo immoramur, in Ægypto quoque nobis subsistendum esse arbitramur. In Thesauro scil. librario, quem Reges Gallorum poten-

tissimi Parisiis sibi maximis comparaverunt sumtibus, exstat Codex Evangeliorum Copticus, qui cænæ actum in pictura repræsentat, atque discipulos a Christo inclinato ad terram corpore carnem atque sanguinem ejus accipientes sistit. *Richardus Simonius* (a), qui gentium Orientalium ritus sacros cum Romanis conciliare studuit, exinde pro adoranda hostia argumentum petivit, ut sibi persuasit, firmissimum. Sed quis hanc picturam a Coptis profectam, nec a Pontificis Romani Legatis immutatam esse credet? Certe qui non ignorat, quanto studio ritus orientales cum suis componere allaborant, qui coeco quodam impetu ducti Papæ sputum lingere non dubitant, picturam istam a Monacho quodam effictam atque Codici assutam fuisse nullus plane dubitabit. Hincquoque *Cl. Maichelius* (b) *Simonium* censura quadam excepit, atque sanæ rationi omnino repug-

(a) *Bibl. Crit. T. IV. p. 103. Huc pertinet etiam ejusdem Simonii scriptum, quod Parisiis 1687. in 12mo excusum & vocatur La Creance de l' Eglise Orientale sur la Transubstantiation, & controversia, quæ illi hac de re cum Thoma Smitho, Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero, intercessit. Vid. Bibl. Universelle Joh. Clerici T. V. p 236 sq & Tom. XXII. p. 176 sqq.*

(b) *in Historia Literaria de Bibliothecis Parisiensibus pag. 39.*

pugnare demonstravit, si ex pictura statim doctrinæ detestandæ consensum inferre velit. In hisce igitur doctrinæ capitibus, de quibus nobiscum Papicolæ pugnant, iis Monachorum monumentis, quæ Romam aut Parisios mittuntur, fidem non esse habendam, quilibet videt. Longe autem diversa earum rerum est conditio, quæ ad Philologiam atque literas spectant humaniores, nec ullum ad erroneas Pontificiorum sententias habent respectum. In iis utique tam diu acquiescere nostrum est, usque dum ab aliis erroris sive mendacii sunt convictæ. Quæ enim nisi immota starent atque inconcussa, omnia in dubium vocare possemus monumenta, quæ ex oris orientalibus ad nos sunt allata. Et quoniam Alphabetum Ægyptiacum huc est referendum, non video, qua ratione fides istorum, qui ex oriente illud Romam transmiserunt, sublesta sit vocanda. Perinde enim iis esse potest, an Ρεωφάν vera sit lectio, an vero minus. Nullum plane præsidium pro erroneis suis opinionibus hac in re inveniunt. Adde quod ad hunc usque diem nemo sit inventus, qui istud suppositititium esse demonstravit atque fictitium. Quapropter nihil magis sanæ adversatur rationi, quam cum *Vitringa* lectionem temere sollicitare, monu-

numentumque genuinum argumentis plane nullius ponderis additis ſuſpectum reddere. Quantum autem porro ad *Athanaſium Kircherum* attinet, fatendum eſt, quod nimia credulitate deceptus, verum a falſo diſtinguere non ſemper noverit, ac proinde nonnunquam in errores prolapſus fuerit graviſſimos. Teſtimonio omni exceptione majori *Johannis Burchardi Menckenii*, (c), qui merito elegantioris literaturæ ſtator prorſus eximius eſt vocandus, iſtud confirmare licet, quippe qui in declamatione, qua ridiculos Eruditorum mores calamo perſtrinxit aculeato, nonnulla huc omnino facientia de Kirchero noſtro in medium protulit. Attamen non eo eſt progrediendum, ut quicquid Viro eruditiſſimo e terris diſſitis ſit tranſmiſſum, νοθείας arguere velimus. Verus ſane, ut a laudato Menckenio appellatur, antiquitatis fuit promus condus atque muſeum reliquit, rebus ex oriente aliisque regionibus allatis, adeo inſtructum, ut *Philippus Bonannius* grandi ſatis volumine iſtud comprehendere ac explicare potuerit. Quod ſi igitur Cl. *Vitringa* unum atque alterum modo, qui Alphabetum iſtud Monachorum

(c) *in Declamatione de Charlataneria Eruditorum p. m. 63. edit. cum notis Var.*

um commentum esse ostenderat, in scenam produxisset, majori cum certitudine, contra *Ludovicum de Dieu* atque reliquos, qui castra ejus sunt secuti, pugnare potuisset. Cum autem nunc meris conjecturis, quæ ne speciem quidem veri præ se ferunt, armatus sententiam vult oppugnare validissimam, illum operam perdidisse, aëremque solummodo andabatarum more vibrasse, omnes judicabunt, quibus Titan e luto meliori finxit præcordia. Adde, quod ipsa vocabula Ægyptiis olim usitata fuisse constet; Nam licet Ζεὺς & Ἕρμης nomina sint Græcorum, quibus Jovem denotarunt atque Mercurium, reliqua tamen sine dubio originem ex lingua traxerunt Ægyptiaca, præsertim cum articulum πι, qui apud Ægyptios numerum indicat, ut Grammatici loquuntur, singularem, ubique præpositum esse deprehendamus. *Claudius Salmasius* enim pro ea, qua pollebat, eruditione in epistola (d), quam ad *Jacobum Golium* dedit, jam pridem observavit, præfixum πι singularis numeri sicut Ni pluralis indicium fuisse certissimum. Ne autem quis miretur, qui factum sit, ut Ægyptii voces Græcas, Ζεὺς atque Ἕρμης, in lingvam suam

(d) *qua est sexagesima, p. m. 134.*

ſuam tranſtulerint, *Thaletem, Pythagoram* (e) aliosque Viros ſapientia quondam conſpicuos, eosdem adiiſſe, deque rebus ſacris pariter ac literariis ſermones inſtituiſſe familiares, eſt ſciendum. Hinc facile accidere potuit, ut nomina iſtæc a Græcis ſint mutuati, præſertim, quoniam eorum Philoſophos ab Ægyptiis nonnunquam magni eſſe æſtimatos, relatum legimus. Frequentibus enim peregrinationibus populi non ſolum de moribus, ſed etiam de vocabulis res ſignificantibus aliarum gentium præter opinionem aliquid in civitatem ſuam recipere ſolent. Quanta vocum peregrinarum cohors in linguam irrepſit Latinam, poſteaquam Græcis cum Romanis commercium interceſſit literarium. Ipſi Syri in verſione Sacræ Scripturæ nonnullas e Græcia retinuerunt voces, uti cunctis patebit, qvi modo translationem Novi Foederis, ut dicunt, oculis fugitivis per luſtrarunt Ciceronis enim temporibus, uti in præſtantiſſima pro Archia oratione teſtatus eſt, græca per totum terrarum orbem legebantur, cum Romanorum lingua contra terminis eſſet circumſcripta prorſus exiguis; ne de *Roberto Sheringhamio*

(e) *Conf. de Pythagora Jamblichus in Vita ejus C. IV, p. 15. Edit. Kusteriana.*

mamio (f), *Hadriano Junio* (g), multas Anglorum atque Belgarum voces e Græcia derivantibus, aliquid dicamus? Quid igitur obstat, quo minus Ægyptios, Græcorum Sapientibus familiariter usos, vocabula quædam Græca retinuisse affirmemus? Alphabeto igitur huic Ægyptiaco manebit pretium, nec unquam lectio, quam LXX Interpretes atque *D. Lucas* nobis dederunt, erroris convincetur. Restat tantummodo, *Vir plurimum Reverende*, ut paucis de origine vocis Ρεμφὰν agamus, atque convenientiam ejus cum vocabulo [illegible] ostendamus.

(f) *in Libro non ubivis obvio de Anglorum Origine pam. 99. sqq.*

(g) *Animadversorum p. 274 Edit. Arckeliana, quæ prodiit Roterodami 1708. in 8vo. Juvenalis Romanos perstringit, quod voces græcas atque peregrinas in linguam introduxerint Latinam, quando scribit Satyra III. L. I. Comm. 60 seqq.*

—— —— Non possum ferre, Quirites,
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jam pridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores & cum tibicine chordas.

Quantum ad linguam Belgicam ejusque puritatem attinet, idem præstitit Petrus Rabus in Libro Belgice conscripto, qui vocatur: Griekse, Latynse en Neerduitse Vermakelykheden der Taalkunde. Roterodami 1688. in 8vo.

mus. Hac enim demonſtrata eo minus dubitandi locus nobis eſt relictus, quin כיון atque Ῥεμφὰν unus idemque ſit Deus, quem Veteres Ægyptiorum cultu ſunt proſecuti adorationis. Tanta autem hic deprehenditur eruditiſſimorum virorum diſſenſio, ut ſi recenſendis opinionibus, quas fovent, immoraremur, epiſtolæ limites facile tranſiremus. Quapropter ſententiarum, quas *Johannes Braunius* (h) collegit, divortiis miſſis, originem vocis Ῥεφὰν, ſive, ut *Lucas* habet, Ῥεμφὰν (i) apud Ara-

(h) *in Selectis Sacris p. 486. Addantur Glasſius atque Waltherus ll. cc. Matthaus Hillerus in Onomaſtico Sacro p. 123 verba Amoſi atque Stephani alia ratione conciliare ſtudet;* כיון *enim nomen appellativum eſſe putat & per* Ἰύνξ *explicat. Sed dubito, an lectoribu ſit ſatisfacturus. Idem quoque de doctiſſ. Lindhammero, qui poſt alios in nuperrimo Comment. in Act. Apoſt verba Amoſi* וְאֵת כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם *& imaginem ſimulachrorum, reddidit, ſentiendum eſſe mihi videtur.*

(i) *Joh. Millius ad Act. VII. 43. fol. m. 277. annotat, Codicem Alexandrinum legere* Ῥαιφὰν. *Alii habent* Ῥεμφὰν, Ῥειμφὰν *&c. In Alphabeto Ægyptiaco legitur* Ῥηφὰν; *Vocales enim non minus ac literæ* אהוי *ſæpius inter ſe permutantur, & Græci, uti Hillerus l. c. p. 123 optime obſervat, vocem enunciaturi μ ante labialem literam ponunt.*

Arabes esse quærendam, cum *Ludovico* de *Dieu* obſervabimus. Nam quemadmodum כיון ab Hebræorum כון, quod ſignificat *diſponere*, *aptare* deſcendit, ita quoque Ρεμφὰν ab Arabico רף, ῥὲφ, quod ſignificationem *ſe movendi* habet, derivandum (k) eſſe, ſoepius memoratus de *Dieu* haud immerito exiſtimavit. Res enim perpetua quaſi agitatione excludere, iisque exiſtentiam largiri iſtud idolum, Ægyptii credebant; quod etiam *Plutarchus* egregie confirmat, quando Anubim ſive Saturnum Κύων dictum fuiſſe refert. Licet enim autor iſte elegantiſſimus veros hujus vocabuli natales ignoraverit, tamen alluſione ad verbum Κύω facta optime obſervat, Saturnum ita vocatum eſſe, ὅτι πάντα τίκτει ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ κύει, quod omnia ex ſe generat, & in ſe tanquam in utero gerit. Vident igitur, quotquot præjudicatarum opinionum ſunt expertes, quam mirabili

(k) *in Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres T. II. p. 143 alia adſ. derivatio, qua ex lingua petita eſt Sinica.* כיון *enim ex Ki, quod notat Spiritum, halitum & aërem, atque Jun, quod ſignificat nubem, compoſitum eſſe ibidem dicitur, ita ut Spiritus S. eam Judaeorum Idololatriam, quæ nubes adorabant, taxare vellet. Verum hæc, doctiſſ. Buddeo obſervante T. I. Hiſt. Eccleſ. V. T. p. 769 non certo nituntur fundamento.*

concentu כִּיּוּן atque Ρεμφὰν unum idemque significant idolum; quæ sane omnia doctissimum *Vitringam* sine ratione lectionem tentasse vulgarem haud obscure indicant. Hæc autem sunt, *Vir Nobilissime, plurimumque Reverende*, quæ ea, qua fieri potuit, brevitate, excutere volui. Nam quoniam TE tali ingenio esse præditum mihi est exploratum, quod nobilissima illa scientia, quæ recte judicandi dexteritate se omnibus commendat, ac vulgo Critices nomine insignitur, maxime delectatur, argumentum quoque istud seligere *Tuoque Nomini*, quod semper mihi erit in deliciis, inscribere volui. Utinam etiam palato *Tuo* prorsus esset accommodatum, ac eo, quo decet, studio elaboratum! Sed hac de re dubitandi causæ mihi sunt justissimæ, quoniam in arte critica me parum esse exercitatum sentio. Interim omnia, pro ea, qua polles, humanitate in benigniorem interpretaberis partem, & quemadmodum animum *Tuum* a multis inde annis mihi deditissimum cognovi, ita etiam *Te* eodem amoris affectu me imposterum esse amplexurum firmissime sum persuasus. Vale, meque amare perge, qui *Nominis Tui* in Rep. Literaria celebratissimi ad cineres usq; cultor ero devotissimus. Scribebam Norburgi sext. Id. Julii. An. MDCCXXVII.

V.

V.

Recensiones Librorum.

I.

Nicol. Staphorst,

Pastoris zu S. Joh. in Hamburg / *Historia Ecclesiae Hamburgensis Diplomatica*, das ist: Hamburgische Kirchen-Geschichte / aus glaubwürdigen und mehrentheils noch ungedruckten Urkunden / so wol Kaiserlichen / Königlichen / Fürstlichen / Gräflichen / 2c. als auch Päbstlichen / Erz-Bischöflichen / Bischöflichen und andrer beider geistlicher als weltlicher Personen respective Gnaden-Freiheits-und Bestätigungs-Briefen / Concessionen, Indulten, Stifftungen / Vermächtnussen / Verordnungen / Statuten, Verträgen / Contracten, Vergleichungen und andern dergleichen vielfältigen Schrifften gesammlet / beschrieben und in Ordnung gebracht. Des Ersten Theils dritter Band / darinnen die im II. Bande übrig gelassene Beilagen / und mittelst dererselben Urkunden und Nachrichten von denen Kirchen S. Catharinae, S. Nicolai, S. Petri, wie auch von denen *Memorien* im Dom gegeben werden. Hamb. 1727. 4. Alph. 5. 3 Kupffer.

Hoc Volumen duobus antecedentibus non illi ſolum aequiparabunt, qui eccleſiaſticam amant hiſtoriam, ſed praeferent etiam ii, qui hiſtoriam literariam habent in deliciis. Continet enim illud, praeter multa egregia documenta, laudando valde ſtudio in lucem protracta, quae Hiſtoriam Eccleſiarum Hamburgenſium mirifice illuſtrant, & alia lectu digna, accuratam *Bibliothecae Petrinae Hamburgenſis* notitiam, quae aliis etiam, extra Hamburgum viuentibus, non poterit non eſſe pergrata. Legitur, doctis obſeruationibus paſſim illuſtrata, p. 138-486, atque Codices editos pariter ac ineditos complectitur. Ex editis vero recenſentur tantum aliqui, iidemque rariores,

1. *Conſtitutiones Clementinae*, de quibus, earumque auctore, praeclare diſſeritur p. 138 ſqq, imo ipſae *Conſtitutiones*, *Bullae*, *Epiſtolae* CLEMENTIS, apud varios ſcriptores extantes, in ordinem chronologicum redactae, tanquam *Bibliothecae Diplomaticae*, quam molitur Cl. Auctor, ſpecimen, p. 142-171 enarrantur.

2. *Hiſtoria noua de Compaſſione beate Marie Virginis.* Lubec. 1495, quae hiſtoria, quoniam non adeo prolixa, p. 172-181 inſerta.

3. GVI-

3. *GVILIELMI DVRANTI, Mimatensis Episcopi, Rationale diuinorum Officiorum*, industria *Antonii Koburger* exaratum Nurenberge an. 1480. XII. Kal. Maj.

Post hos tres codices euulgatos sequuntur *Manuscripti*, quorum seriem, cum codicum editorum numeris connexam, hic quoque legere iuuabit. Sunt autem

4. *Passionale*. Huius contenta dantur p. 82 sqq: aetas disquiritur p. 185, & saeculo XIII assignatur: pag. autem 186-201 ex eodem sistuntur Excerpta, quae varias sacrorum Temporum rationes continent, adeoque rem liturgicam antiquiorem non parum illustrant. Quo modo hoc Passionale scriptum sit, e Tab. I. p. 48 licebit cognoscere.

5. *Historia Scholastica*. Codex hic membranaceus, decantatam PETRI COMESTORIS Historiam complectens, neque libros habet, neque capita, adeoque differt ab editionibus, quas p. 201 recenset Noster, recte obseruans, quod Historiae huic multae fabulae sint admixtae.

6. Codex chartaceus, in quo sunt (a) *MALARII Diaconi Capitula in Concilio Aquisgrani an. 816 a Ludouico Pio Imperatore celebrato, approbata.* (b) *Bulla LVNEBVRGENSIVM*

contra Prelatos super fructibus Salinae a CALISTO *Papa III impetrata an.* 1455. (c) *Magistri* PETRI BLESENSIS *Epistolae* 135, quarum occasione de Petro eiusque Epistolis p. 202 sqq praeclare disseritur, & p. 212-233 quinque Epistolae (conf. p. 425) in solo codice Hamburgensi extantes, integrae exhibentur, quae, praeter alia, docent, Petrum veritatis confessoribus, corruptum ecclesiae statum agnoscentibus, esse accensendum. *Collatio Epistolarum Petri Blesensis in Bibliotheca Patrum Lugd. obuiarum ad MSS. Petrinum Hamburgense*, permagno studio adornata, legitur infra pag. 425-486.

7. IORDANI *Sermones de Sanctis.* Tres innotuerunt IORDANI. Primus cognominatur *Brixio*: secundus *de Saxonia*: tertius *Teutonicus.* Vltimus, qui sub initium saeculi XV vixit, horum Sermonum auctor est.

8. Codex chartaceus, continens 1) *Casus de textu Decretalium & de summis ac de apparatibus collectos.* 2) *Sermones* varios de argumentis sacris. 3) *Compendium Theologicum*, an. 1463 consarcinatum, & in Capita 98 distinctum. 4) *Sermones* varios Patrum, in primis recentiorum, in quibus reperitur etiam *Passio Christi cum Concordantia Euangelistarum.*

9. *Lectu-*

9. *Lectura super Officio Missae*, an. 1407 scripta.

10. Codex chartaceus, complectens (α) IORDANI *Partem AEstivalem Postillae super Euangelia Dominicalia.* (β) *Magistri* HENRICI *de* VRIMARIA, *Ordinis St. Augustini, Tractatum de Instinctibus.* (γ) *Quaestiones venerabilis Magistri* IOHANNIS SCARPEN, *S. Theologiae Professoris, an liceat infra officium Missae plura signa facere, aut orationes dicere, quam quae instituta sunt ab Ecclesia.*

11. Codex chartaceus, nitide exaratus, in quo reperiuntur *Psalterium* DAVIDIS, *Prouerbia Salomonis, Liber Sapientiae, Ecclesiasticus,* IESAIAS, IEREMIAS, *Lamentationes,* EZECHIEL: nec non *Indulgentiae de Festo Corporis Christi secundum continentiam & effatum Bullarum Papae* VRBANI IV, MARTINI IV & EVGENII IV.

12. Codex chartaceus, continens (1) *sermones* 55 de personis & rebus sacris. (2) *Excerpta de* PETRO CLARAEVALLENSI. (3) *De Visitatione.* (4) *Vtrum dolor* CHRISTI *in passione fuit maximus.* (5) *De Officio* PRAEPOSITI. (6) CLEMENTIS *Papae VI sermo de Anno Iubilaeo.*

13. Codex chartaceus, in quo sunt 1) *B. GREGORII Papae Liber Pastoralis curae.* 2) *ANDREAE HISPANI minoris Poenitentiarii & Vegarensis Episcopi. Lumen Confessorum.* 3) *Magistri AVGVSTINI Neapolitani Expositio super Magnificat.*

14. *AVGVSTINI Neapolitani Commentarius super Mattheum,* e quo specimen p. 260 sqq legere licet.

15. Codex chartaceus, an. 1425 scriptus, habens (1) *CAROLI IV Imperatoris Auream Bullam.* (2) *Tractatum de Actionibus.* (3) *Tractatum circa materiam Arbitrorum.* (4) *Ioh. de MATISKONA de petitorio & possessorio.* (5) *Iohannis CALDRINI, Decretorum Doctoris, Auctoritates & Summas Bibliae, prout in compilationibus Decretorum & Epistolarum Decretalium inducuntur, secundum ordinem Alphabeti regulatas.* (6) *Tractatum de VII Peccatis mortalibus.* (7) *Tractatum de Vsuris.* (8) *SENECAM de quatuor virtutibus cardinalibus cum glossa interlineari.* (9) *Sermonem de Circumcisione Christi & nomine IESV.* (10) *Tr. de armis & insignis portandis.* (11) *BARTHOLOMAEI BRIXII Brocardica Iuris Canonici.* (12) *Casus circa Clementinas.* (13) *BARTOLVM de SAXOFERRATO de Praesumtionibus.* (14) *HALVANI de BONONIA Differentias inter Leges &*

& Canones. (15) *Tr. de Simoniacorum Poenis.* (16) IOH. ANDREAE *de Arbore Consanguinitatis & Affinitatis.* (17) IOH. CALDRINI *de Interdicto Ecclesiastico.* (18) IOH. ANDREAE *super IV Librum Decretalium.*

16. *Magistri* RVPERTI HOLCKOT *Postilla & Expositio super librum Sapientiae.* Haec Spirae an. 1483. fol. & pluribus in locis est euulgata.

17. Codex chartaceus, continens a) *Manipulum Curatorum*, in quo de Septem Romanae Ecclesiae Sacramentis disquiritur. b) IOH. *de* DOBERGOS, *Plebani, Exemplationem Evangeliorum per anni circulum occurrentium.* c) *Librum de Poenitentia.* d) *Sermonem in verba Iohannis: Stabat autem mater Iesu sub cruce.*

18. Codex chartaceus, complectens (*α*) GREGORII MAGNI *XL Lectiones S. Evangelii.* (β) Eiusd. *Homelias super Ezechiel.* (γ) IOH. CHRYSOSTOMI *Homelias XIX.*

19. THOMAE *de* AQVINO *Summa Secunda Secundae.*

20. Codex chartaceus, in quo sunt 1) IACOBI *de* VORAGINE *Sermones de Tempore.* 2) *Explicatio Historiae Passionis Christi.*

21. Codex chartaceus, habens (1) *WILHELMI de HISPANIA Sermones de Sanctis.* (2. 3. 4.) *EVSEBII, AVGVSTINI & CYRILLI Epistolas de S. Hieronymo.* (5) *LVDEWICI, Fratris & Monachi in Tzynna, Auctoritates,* an. 1354 collectas. (6) Anonymi *Speculum Peccatorum.* (7) *ALBINI, Eremitae, Epistolam de charitate, humilitate, obedientia, continentia & silentio.* (8) *CONRADI PRAGENSIS Postillam studentium.* (9) *IACOBI de VORAGINE Librum de Sanctis.*

22. Codex partim membranaceus, partim chartaceus, in quo sunt 1) *Meditationes in Orationem Dominicam.* 2) *Explicatio Hymni: Ave maris stella.* 3) *Nouem Regulae pro Sacerdote.* 4) *Expositio Orationis Dominicae.* 5) *B. GREGORII Homiliae in XL Euangelii Lectiones.* 6) *Tr. de sex bonorum generibus.* 7) *GOTTFRIDI BASEDOUW, Prioris in Arensbuken, ad Ioh. de Rode, Cos. Hamb. Epistola,* quae inserta legitur p. 288 sqq. 8) *Expositio Officii pro mortuis.* 9) *Tr. de Conceptione & Sanctificatione B. Virginis.*

23. *Fr. BARTHOLOMAEI de Sancto Concordio Summa Casuum Conscientiae.*

24. *Liber Breviloqi.* Scriptus est an. 1401, & ad mediae ac infimae Latinitatis Glossa-

ſaria pertinet, quod inde exhibita p. 293 ſqq. ſpecimina demonſtrant.

25. Codex Chartaceus, comprehendens 1) *Compendium Theologicae Veritatis.* 2) *Tr. de Antichriſto.* 3) *IO. CHRYSOSTOMI Sermonem de reparatione lapſi.* 4) Eiusd. *Tr. Neminem poſſe laedi, niſi a ſe ipſo.* 5) *AVGVSTINI Lib. de adorando Deo.* 6) Eiusd. *Tr. de Honeſtate Mulierum.* 7) *Duos Sermones de Lapſu primi Hominis.* 8) *De ſeptem Donis Spiritus Sancti contra ſeptem vitia capitalia*, qui Tractatus diuerſus eſt ab eo, quem *Stephanus de Borbone* de eodem argumento ſcripſit. 9) *Tr. de Homine & Anima deuota.*

26. Codex chartaceus, cuius contenta ſunt (1) *INNOCENTIVS Papa III. ſuper Canonem Miſſae.* (2) Eiusd. *Lib. de Sacramentis Eccleſiae.* (3) *Speculum amatorum mundi.* (4) *NICOLAI de LYRA breues Moralitates in IV Euangelia.* (5) *Explicatio myſtica Cantici.* (6) *Speculum b. BERNARDI Abbatis.*

27. *SENSATVS ſuper Epiſtolas Pauli.* Hanc inſcriptionem inuenit Staphorſtius. Obſeruat vero, quod hic codex Meditationes in Epiſtolas Dominicales comprehendat, de quibus p. 306 iudicat, quod ſint lebhafft / voller Gedancken und Gleichniſſen. Probat ſimul, quod *Senſatus* his non deno-

notet auctorem libri, sed nomen hoc e versione Vulgata Ecclesiast. V sit desumtum. Hactenus primae magnitudinis codices. Qui sequuntur, in forma quarta sunt conscripti.

28. *Missale.* Ex hoc membranaceo codice exhibuit Noster Calendarium Sanctorum, cum Crantzii Missali, Missali Bremensi & Breviario Ecclesiae Hamburgensis collatum p. 310 sqq. hacque occasione e quatuor his Missalibus *Indicem alphabeticum Sanctorum* p. 324 sqq suppeditauit. Inseruit porro *Litaniam Ecclesiae Hamburgensis saec. IX. aut X*, p. 332 sqq, tandemque de *Notis Musicis*, quae sunt in hoc Missali, p. 337 sqq commentatus est.

29. *Psalterium cum Hymnis.*

30. a. *Liber Precum.* Inest huic membranaceo codici etiam *Psalterium Marianum*, ab eo, quod *Bonauentura* conscripsit, diuersum.

30. b. Codex, partim in charta, partim in membrana, in quo sunt 1) *Sermones tres de Maria.* 2) *Sermo de Conceptione b. Virginis.* 3) Päbstlicher Ablaß, quae indulgentiae p. 343 insertae. 4) Nuttigheyt und Bedudinghe der XII ghüldenen Vrigdaghe, quod commentum itidem p. 344 integrum le-

legitur. 5) *Stella Matutinae.* 6) *I. A. Manuductio ad Epistolaris faciliorem dictandi compositionem.* 7) *Epistola* CHRISTO *afficta*, quam legendam dedit Staphorstius p. 345 sq. Inscribitur: CHRISTI, *Filii Dei*, *Epistola de coelo missa*, *pro meliori observatione diei Dominicae & Veneris*, *& de Decimis dandis.* Quemadmodum vero tota haec epistola est crassissimae ignorantiae ac impudentiae documentum, ita, quae Petrus eidem subscripsisse fingitur, eodem loco sunt habenda. Ista haec vero his absoluuntur verbis: *Ego PETRVS*, *Episcopus indignus*, *iuro per Dei maiestatem*, *qui fecit celum & terram*, *mare*, *& omnia*, *quae in eis sunt*, *& per Christum Iesum*, *filium eius*, *& per Spiritum Sanctum*, *& per sanctissimam virginem Mariam*, *& per omnes sanctos Angelos Dei*, *& per omnes sanctos Patriarchas*, *& Prophetas*, *& duodecim Apostolos*, *& omnes sanctos Martyres & confessores virgines*, *& per omnia Sanctorum corpora*, *& per reliquias Sanctorum*, *quod ista epistola non est formata manu hominis neque scripta*, *sed est digitis Dei & Domini nostri Ihesu Christi*, *& est transmissa de septimo celo & de trono Dei in terra*, *qualiter diem sanctum Dominicum & diem Veneris obseruare & custodire debetis.* 8) Ein Gebeth mit zwei tausend Jahren Ablaß. 9) *Remotio* IOHANNIS *Papae XXIII*, *per Synodum Constantiensem.* 10) *Sermo de Visitatione Mariae.*

riae. 11) *Duo Sermones de Passione Dominica.* 12) *Liber, qui dicitur* MANIPVLVS CVRATORVM. 13) *Legenda de S.* KATHERINA. 14) *Dictionarium Theologico-Scholasticum*, saeculo XIV in membrana scriptum, e quo p. 348 sq sistitur titulus: *Filius Hominis*, qui titulus ostendit, quod non omnia, quae habet hoc Dictionarium, sint spernenda. 15) *Commentarius in regulas vitae sub* CATONIS *nomine venientes.* 16) *Fragmentum Vocabularii.* E. c. *Tema*, Vorrede. *Tenor*, de Sin van de Scrift. *Teridrium*, Handdock. *Typice*, beteklik. Plura vid. p. 349 sq. 17) *Glossarium*, in membrana seculo decimo quarto scriptum, quod incipit hoc versu: *Principium, medium, finem regat alma Maria.* Quod saeculo barbaro sit confectum, vel ea, quae inde excerpsit Staphorstius p. 350 sq, euincunt. Vnum alterumve hic quoque legere licebit: *Allegare* i. e. sermonem attentum facere. *Amazon*, i. virgo, & dicitur ab *a*, quod *sine* & *Mason*, mamilla, quasi sine mamilla. *Blandire*, dulciter loqui. *Baptizare*, beare, beatificare. *Cleronymus*, diuinus haeres. 18) *Itinerarium in Terram Sanctam.* Scriptum illud est in membrana, & BROCARDVM, qui saeculo decimo tertio vixisse dicitur, auctorem agnoscit. Ediderunt istud *Reiner. Reineccius*, Magdeb. 1587. 4. *Phil. Bosquierius*, Co-

Colon. 1624. 8; *Henr. Canisius* in Lection. Antiq. T. IV; *Io. Clericus* in Onomastico Vrbium & Locorum Terrae Sanctae, Amstel. 1707. fol. Quomodo autem differant non solum hae editiones, sed ab iis omnibus etiam MStum Petrinum Hamburgense, luculento ostendit exemplo Staphorstius p. 353, qui vt de pluribus, quorum libri in Aede Petrina Hamburgensi reperiuntur manu exarati, ita etiam de auctore huius Itinerarii egregie disseruit.

31. *Fratris* GVIBERTI *Sermones ad quemlibet statum fidelium.* Huius membranacei codicis contenta p. 355 sqq. suppeditantur, &, speciminis loco, *Sermo de Electione Praelatorum* exhibetur. Auctorem iussu Alexandri IV scripsisse, inter alia observatur.

32. Codex membranaceus, in quo sunt (a) *Liber Scintillarum*, qui liber, varias e sacro codice pariter ac Patrum scriptis excerptas sententias sistens, & Colon. 1556. 12. sub titulo DEFENSORIS THEOLOGI *vetustissimi Auctoris* editus, a Nostro e MSto Hamburgensi pleniori suppletur, & ratione capitum accurate cum eodem confertur. Vid. pag. 358 sqq. (b) *Liber compen-*

dio.

diosius & vtilis de diuersis materiis, quarum summa legi potest p. 361 sqq. (e) *Tractatus de Confessione*. Incipit: *Confessio debet esse praeuisa, amara, verecunda, discreta, integra, spontanea, accusatoria, frequens, obediens & subiecta.*

Plura hac vice non addo, sed continuationem potius (dimidia enim fere pars restat) breuis recensionis MSStorum Hamburgensium, a quibus Historia Staphorstiana decus accipit, octauo Bibliothecae huius Volumini reseruo. Ampliorem enim mihi doctissimi viri laudanda valde industria campum aperuit, quam vt in praesenti liceat eundem emetiri. Etsi vero non omnia MSSta Petrina Hamburgensia sint eiusdem momenti, pertexemus tamen, Deo volente, deinceps telam, quam nunc exorsi sumus, idque potissimum in gratiam eorum, qui, extra Hamburgum viuentes, forte non curant historiam huius Vrbis, amant tamen rem literario-ecclesiasticam, quam celeberrimus Staphorstius hoc volumine amplificauit ita, vt omnes ipsius cultores non possint non ei se obstrictos profiteri.

II.

GOTTFRIED LENGNICH, D.

Geschichte der Preußischen Lande/ Königlich-Polnischen Antheils/ die sich seit dem Ableben Königes Stephani, unter der Regierung Sigismundi III, bis ins Jahr 1605 zugetragen. Alles aus geschriebenen Nachrichten abgefast/ und mit gehörigen Urkunden versehen. Danzig / 1726. *Fol. Alph. V. pl. 18.*

Præsens liber Volumen qvartum continet magni operis, cujus auspicium jam anno 1722. factum est. Nam cum clarissimus *Lengnichius* videret, post *Casparum Schützium*, Islebiensem, qvi apud Gedanenses Secretarii munere functus est, neminem ad historiam Prussicam condendam animum appulisse, ipsum etiam Schützium plurima scitu non indigna omisisse: Recessuum & documentorum non verba, sed summam tantum dedisse, nec ea lingva, qva primitus exarata fuere,

relictum suæ industriæ hunc laborem putavit, in qvo huc usqve laudabili industria perrexit. Cum vero inclyta Gedanensium Respublica, Prussiæ ocellus, in omnibus terrarum Prussicarum negotiis magna cum autoritate & prudentia versetur, non potest Cl. Autor subsidiis ad ornandam hanc provinciam necessariis destitui, cum accessum sibi paraverit ad scripta & acta publica. Qvod Schutzianum Chronicon attinet, decem istud absolvitur libris & ad annum usqve 1525 progreditur. Supersunt vero in tabulario Dantiscano libri duo, undecimus & duodecimus, manu diligentissimi viri consignati, quorum prior non nisi historiam continet motuum urbis, qvos Sigismundus Rex A. 1526 adventu suo composuit; posterior vero continet collectionem documentorum vernacula & latina lingva conscriptorum, anni 1527 & seqventium ad annum usque 1534, qvorum exemplaria authentica ex fontibus haurire maluit Noster, qvam ex hoc rivulo. *Continuatio* Schützii *Chytræana* annexa est editioni chronici Schütziani 1599. & tres libros complectitur 25 plagulas continentes, qvi ad annum usqve 1594 progrediuntur. Sed vel exigua libri moles docet, multa deesse, qvæ curiosus harum rerum indaga-

ga-

gator desiderare poterat, qvamvis vix plura ab extero possint exspectari, cui acta publica evolvere non fuit datum. *Hartknochium* vero pariter non sufficere, deinceps docet. *Sicilimenta* vero Consulis *Johannis Ernesti von der Linde* ad *epistolas Zaluskianas* magnopere laudat, doletqve, post obitum viri harum rerum peritissimi, vix eorum continuandorum spem superesse. Cum igitur historia Prussiæ absoluta & integra nondum exstet, condere eam consultissimus Lengnichius non inconsultum duxit, in qva tamen ita versari constitutum secum habuit, ut intra limites Prussiæ sese contineret, qvæ Polonica dicitur, vicinarum vero regionum historiam omitteret, ne, qvod historiographis multis solenne est, in historia hac speciali, aut dimidiæ aut totius Europæ gesta consarcinaret. Laudandæ sunt, qvas sibi leges fixit, & qvæ in Præfatione volumini primo præmissa videri possunt. Subsidia qvoqve genuina abhibuit. Rarissime, nec nisi in iis, qvæ extra Prussiam gesta sunt, autores typis exscripti producuntur. Ex manuscriptis & publica autoritate consignatis documentis omnia conqvisivit. Huc spectant Instructiones Legatorum, qvi comitiis interesse debuerunt: Recessus,

qvos vocant, comitiorum: Literæ amplissimi Gedanensium Senatus ad Reges Poloniæ, Romanorum Imperatorem, aliosqve Principes, ad Poloniæ atque Prussiæ Status, Civitatesqve qvamplures. Consuluit qvoqve literas Deputatorum civitatis & Secretariorum, ab aula Regia aliisqve locis ad Senatum missas: Recessus conventuum Hanseaticorum: Instructiones & commissiones Legatorum: Mandata Regia, Decreta & alia huius generis. His subsidiis munitus aggressus est opus hoc novem voluminibus absolvendum. Promisit igitur volumine I. exhibere historiam Prussiæ regnante Sigismundo Imo; Volumine II gesta regnante Sigismundo Augusto: III. historiam eorum, qvæ ad mortem usqve Stephani contigerunt; IV & V. gesta Sigismundi III; VI. gesta Vladislai; VII Johannis Casimiri; IIX & IX ea, qvæ temporibus Michaelis & Johannis III. contigerunt. Edidit igitur hactenus tria promissi operis volumina, quorum primum anno 1722, alterum a. 1723, tertium a. 1724 prodiit: qvartum qvod, præ manibus habemus, ea complectitur, qvæ post mortem Stephani, habenas Regni moderante Sigismundo III, contigerunt, ad annum usqve 1605.

Pla-

Plano omnia & perſpicuo ſtilo, ceu in voluminibus præcedentibus coeperat, perſeqvitur Cl. Autor in præſenti. Filum hiſtoriæ ut hic pertexamus, prolixum foret. Qvi librum evolvet, videbit, nihil omiſſum eſſe eorum, qvæ Geſta Pruſſiæ concernunt, ſive ad religionem, ſive libertatem, ſive oeconomiam ſpectent. Si qvis in minutiis ſubſiſtere qveratur, perpendat, pro minutiis ſæpe haberi, qvæ ſuo tempore & loco res magni momenti ſunt. Redimeremus ſæpe magno pretio minutas rerum circumſtantias, qvæ injuria temporis periere, qvarumqve ignorantia, litium, contentionumqve ut & laborum multorum cauſa exiſtit. Poſteritas grato ſæpe agnoſcit animo diligentiam in excutiendis minimis, qvam præſens ætas ſuo pretio metiri & æſtimare neſcit. Legi merentur, qvæ ſtatim ſub initium de variis Regni Candidatis narrat. Hos inter, præter Maximilianum Auſtriacum, Rudolffi Imperatoris fratrem, &, qvem ex gente ſua deſiderabant Poloni, Piaſtum, Magnus Dux Muſcovitarum Fedor Iwanowitz, qvem Lithuani qvovis modo cupiebant, fuit. Qvinimo Turcicus Legatus pro Batorenſibus ſtabat. Cum vero deniqve Sigismundus Sveciæ hæres & Reginæ ex ſorore Nepos, in Pontificia religio-

ligione, ad hanc ſpem ſuſtinendam enutritus, ſuffragiis plurimorum, qvibus legati Pruſſiæ accedebant, A. 1587. d. 19 Augusti Rex proclamatus eſſet, multus eſt in iis enarrandis, qvæ ad ſolennia Juramenti a Rege præſtandi, & pro libertate ſua privilegiisqve conſervandis geſta ſunt a Pruſſis. Anno demum ſeqvente die 2 Aprilis Gedanenſes & paulo poſt Thorunienſes & Elbingenſes, poſt confirmatum liberum, ut hactenus receptum fuerat, Evangelicæ Religionis exercitium homagium præſtiterunt, miſſis a Rege Commiſſariis ad civitates majores *Simone Rudnicki*, capituli Gneſnenſis cuſtode, & *Nicolao Nievvieczinski*, Secretario regis. Inprimis attentionem Lectorum merentur, qvæ Boruſſi pro libertate ſua animo intrepido egerunt, & multis documentis, paſſim in hoc opere conſpicuis, palam fecerunt; inſignis pariter pro re monetaria cura, qvæ hæc tempora valde exercuit, ordinationesqve non contemnendæ, qvæ inter documenta videri poſſunt, inprimis N. 21. p. 41.

Sed ad noſtrum inſtitutum inprimis ſpectant, qvæ Religionis emendatæ cauſa, qvam ſuperſtitioſi Poloni, vi, clam, minis & qvocunqve prætextu debilitare labo-

borarunt, gesta sunt. Statim sub initium Regni Sigismundi III inhiabant primario Gedanensium Templo. Nam cum Pacta a Rege solenni juramento confirmanda essent, ad solennia hæc celebranda Episcopus Cujaviensis *Hieron. Rozraczewvski* Marianum templum expetebat, cumque amplissimus urbis Senatus motus inde orituros prætexeret, jura sua prolixe urgebat. Cum deinceps ex suffragio civium Templum juramento præstando concederetur, citra tamen ullam imprimis qvoad religionem mutationem, ipse qvoque Rex scripto manu sua signato testaretur, se non nisi ad hunc actum, citra omnem conseqventiam, aut detrimentum liberi Religionis exercitii Templi usum postulare; Episcopus vero jam dictus unicum altare Romano cultui destinandum ambiret; satius visum fuit Regi, ne qvid inde mali accideret, juramentum in Templo Olivensi præstare. Hæ similesqve machinationes qvotannis repetitæ sunt. vide inprimis A. 1595. p. 197. A. 1597. p. 233. A. 1598. p. 281. Nunqvam vero Pontificiis spes adeo propinqva affulsit, de occupando propediem Templo, qvam A. 1596, cum, instante tum Feria Dominicæ ascensionis, prima Missæ solennia in eodem celebranda Episcopus sibi aliisqve persvaderet, qva tamen spe de-

denuo excidit. De Elbingensibus & qvale in hac urbe purior doctrina discrimen subierit, videatur p.170. 240. 333. De Thoruniensibus, deqve adventu fratrum societatis Jesu, de jactura templi Johannei, de collegio Jesuitico, de tumultu inde orto, de dissidiis perpetuis vid. p. 318. 370. s. De templis Mewensi, Mariæburgensi, Stummensi, Christburgensi Protestantibus ablatis vid. p 248. 283. s. Hac occasione Dantiscani Epistolam justi affectus plenam, ad Romanenses æqve ac in Religione dissidentes ex Protestantibus & Græcis miserunt, qvam Cl. Autor p.284. in vernaculam lingvam translatam exhibet. Has literas, cum ex iisdem Protestantium eo tempore in Polonia & Prussia statum, & argumenta, qvæ pro tuenda sua religione adversus machinationes adversariorum cernere liceat, ex originali protractas & *Num*: X. inter *documenta* exhibitas, seqventi volumini, cum præsens eas non capiat, reservamus. Insecuta hinc est arctior Evangelicorum Græcorumqve conjunctio die mercurii post Effusionis Spiritus Sancti festum A. 1599 initas, ad sustinendum Religionis foedus, Warsoviæ erectum, cui Palatinus Mariæburgensis, *Fabianus von Zehmen*, & duo ex Prussia nobiles, *Simon Ostromiecki & Albertus Dorpovvski*, subscripserunt.

P.

p. 297. Synodi vero Thoruniensis A. 1595 celebratæ & die 21 Augusti coeptæ historia prolixe hic traditur p. 206. s. & scripta publica huc spectantia, qvatenus Prussiam concernunt, inter documenta reperiuntur. Inprimis huc spectat, qvæ *Num.* XXXIII. p. 86-133 legitur prolixior *Consignatio Synodi generalis Thoruniensis coactæ in nomine individuæ Trinitatis anno Domini* M D XCV. XXI. *Augusti a Daniele Micolajevvski, Notario Synodi generalis, descripta* I. *Octob.* 1595. Finem libri faciunt Regiæ nuptiæ cum Constantia Austriaca, præcedentis Reginæ Sorore, celebratæ, postqvam dispensationem a Clemente VIII negatam Paulus V concessisset.

Junxit huic operi notitiam sive dissertationem de variationibus, qvas Religio in Prussia experta est. Suppeditat hic narrationem, tum de conversione Prussorum ad Christianorum sacra, tum de emendatione religionis per Pontificios corruptæ. Sero sapere & gentilismo valedicere didicere Prussi. S. Albrecht nihil præter coronam martyrii seculo X obtinuit. Bruno, sive Bonifacius, qvi unus idemqve fuit, teste *Annalista Saxone* ab *Eccardo in corpore hist. medii ævi* ed[illegible]o & *Chronographo Saxonico* in *Leibnitii ac[illegible] histor.* ex qvo *Hartknochius* duos fecit, [illegible]. octodecim sociis, violen-

tas pariter Prussorum manus A. 1009 expertus est. Ineunte Seculo XIII Christianus, Philippus & alii ex Cistertiensium monachorum ordine paulo meliori successu idem saxum volverunt, testante *Luca David in Chronico Prussiæ* manu scripto, qvod primum nuper in lucem protraxit *D. Volbrecht* Regiomonti. §. 1. f. *Albericus* vero, à *Leibnitio* A. 1698 primum editus, initia hujus conversionis, ab Abbate Godefrido & monacho Philippo susceptæ, ubi Wisilam fluvium paganos dividentem & Christianos transierunt, in annum usqve 1207 protrahit. *chronicon* vero *Montis Sereni* anno 1215 demum salutare hoc opus adscribit. §. 3. Postea cum superstites in Prussia pagani Christianis multa incommoda afferrent, Fratres domus Teutonicæ Hierosolymis stabilitæ, in subsidium vocati sunt, qvi specie promovendæ religionis Prussiam vexarunt & nova incommoda pristinis addiderunt: donec Innocentius IV Pontifex Romanus Poenitentiarium suum Wilhelmum, Episcopum Modenensem, virum ingenio & prudentia valentem, & in ipsa Prussica lingva versatum, in has oras mitteret, qvi terram in qvatuor Episcopatus divisit. §. XI. De his Episcopatibus uberius deinceps differit & §. XIIX ex *Dusburgi Chronico* docet, anno tandem 1283

in-

integram Prussiam, postqvam aliqvoties jugum Teutonici ordinis & Episcoporum excussisset, sacris Christianismi initiatam fuisse. *Ita*, sunt verba l. c. P. III. c. 216, *qvod unus non superesset, qvi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non subjiceret collum suum.* Cum purior doctrina in Germania caput efferret, in Prussiam usqve adeo sese mox extendit, obstante licet Sigismundo I. & Sigismundo Augusto. Cumqve urbes majores ut & minores atqve pagi emendata sacra amplecterentur, & difficile esset progressum Evangelii remorari, privilegium adeo obtinuerunt, non Gedanenses solum primum, sed & deinceps A. 1558. d. 22 Decemb. Elbingenses & Thorunienses, in qvo Rex ipsis concessit *liberam prædicationem & publicationem verbi divini per concionatores eorum, modo sint docti & in Sacris exercitati.* Privilegium ipsum Regium exhibet in notis. His privilegiis, qvæ toties violentis manibus infringere studuerunt Romanenses, qvomodo se tuiti sint Protestantes, & exponit in seqventibus & uberius enarrare in residuis hujus operis voluminibus promittit. Singula hæc probant industriam & integritatem consultissimi Lengnichii, speramusqve non ingratam fore, qvam exspectamus, libri hujus continuationem, & Patriæ & singulis harum rerum studiosis.

III

III.

ALBERTI GEORGII SCHWARTZII, in Academia Gryphica Professoris Honorarii, *HISTORIA FINIUM PRINCIPATUS RUGIÆ, qua facies eorum antiquissima delineatur, & variæ mutationes, amplitudinis vicissitudines, cæteraque memorabilia huc pertinentia ex probæ fidei monumentis, scriptis coævis, diplomatibus, aliisque vetustis chartis, à medio XI. Seculo ad usque tempora hodierna chronologico ordine ob oculos ponuntur, & commentationibus etymologico-critico-historicis illustrantur. Accessit Specimen Diplomatum Rugianorum, majoris operis sub titulo RUGIÆ DIPLOMATICÆ evulgandi nuntium ferens. Una cum indice rerum maxime memorabilium.* Gryphiswaldiæ, 1727. 4to. I. A. 7½ pl.

QVæ multis hactenus in locis velut inculta jacuit *Pomeraniæ* non minus ac *Rugiæ* Historia, nova jam lu-

luce circumfunditur, Viris doctissimis patriæqve amantissimis laudando valde studio in id enitentibus. Neqve enim solum Theologi de nostra qvoqve urbè meritissimi, JOHANNIS BVGENHAGII, *Pomerania* in qvatuor libros divisa, opera celeberr. Dn. D. IAC. HENRICI BALTHASARIS nuper in Academia Gryphica prodiit; sed etiam eruditissimus præsentis Scripti Auctor Historiæ patriæ, memorabilia ejusdem è tenebris eruendo, officium maxime insigne præstitit. Conqveritur autem in præfatione de defectu subsidiorum in hoc laboris genere necessariorum, dum vix triga scriptorum exiguæ molis suppetat, BARTOLDI nempe KRAKEVITZI, magni olim Theologi, cujus vel hodienum virtutes in Abnepote patria veneratur, Oratio *de Insulæ Rugiæ præstantia*, Gryph. 1622. 4to M. GE. CHRISTOPHORI LEMMII, Rugiani, Disputationes duæ *de Rugia Insula* 1678. Witteb. 4to & *Relatio brevis de eadem Insula ejusqve ab insultibus hostium per Campi-Mareschallum* KONIGSMARCKIVM *liberatione*, 1678. idiomate germanico Sundiæ in 4to excusa. Qvæ, etsi non tam Principatum, qvam Insulam Rugiæ respiciant, cum *Chronico Rugiano Manuscr.* M. ERN. HENRICI WACKENRODERI, Præpositi hodie Leutizensis, rerum Patriæ ge-

gestarum amantissimi Viri, omnem Bibliothecam Historicam Rugiæ, Bibliothecam utiqve in nuce, sistant. Nec tamen in arduo hoc opere, præeuntem habens neminem, nisi utroqve pede in enarrationibus suis hic titubantes Chronicographos, animum abjiciendum putavit Noster, sed ex ipsis vetustis chartis, aliisqve antiqvarum rerum fidis interpretibus, Historiæ patriæ, qvantum fieri potuit, consulendum duxit.

Ipsa vero *Commentatio Historico-Geographica de finibus Principatus Rugiæ* tribus ætatibus, quas regentium diversæ familiæ ab invicem distingvunt, absolvitur. *Prima* ætas indigenarum Principum; *Secunda* Pomeraniæ Ducum; *tertia* Sveciæ Regum imperio parentem Rugiam sistit.

Ætatis *primæ* Periodus *prima* ab ineunte regimine CRITONIS, tantum non universæ maritimæ Slaviæ potentissimi Dynastæ, usqve ad mortem JAROMARI I. sive ab anno 1050. usqve ad annum 1212. pertingit; ubi præmissis nonnullis de facie reip. Rugiæ antiqvissimis seculis, & de CRITONIS in locum interfecti GODESCHALCI electione in Principem Obotritorum, nunc Mecklenburgicorum, qvi-

qvinam Reip. Rugianæ sub hoc Critone limites fuerint, dispicitur. Qvod ut rectius intelligatur, Geographicum Systema de situ gentium Slavicarum, in Historicis illorum temporum occurrens, exponitur. Primos nempe ab occidente *Vagrios* & hodiernam Vagriam & insignem Holsatiæ partem ad Travennam usqve habitasse; horum vicinos ab oriente fuisse *Polabos*, terrarumRatzeburgensium incolas, qvos exceperit *Obotritorum* natio, omnem, qvi ad Varnam fere protenditur, terrarum tractum complexa. Deinde secutos esse validissimos *Kizinorum* sive *Chizzinorum* & *Circipanorum* populos, Dominium non modo Rostochiense, qvod ad Reckenitzam & Trebelam fluvios excurrit, sed & omnem cis Penam jacentem Provinciam, quæ hodie POMERANIA SVECICA vulgo vocatur, sibi occupantes. Tum superata Pena *Tollensos*, Tollensæ in Pomerania hodienum notissimi amnis accolas, obviam factos, junctosqve iis versus Euronotum fuisse *Redarios* seu *Rheteros*, a Rethre metropoli ad lacum recentem sita sic dictos, qvorum ad Oderam fines protensi. Deniqve trans Oderam in omni terrarum spatio, qvod ad Polonos usqve pertingit, *Pomeranos* sedem habuisse: & quatuor hisce postremis nationibus Kizinorum, Circi-

pa-

panorum, Tollenſorum & Rheterorum commune nomen *Wilzorum* atqve *Leuticiorum* fuiſſe. His prælibatis dominium oræ maritimæ, qvam Balthicum mare ab Holſatia usqve ad Poloniam ambit, ita diſtingvitur, ut circa ann. 1060. ab occidente GODESCHALCVS, Miſteboi Bilungi trinepos, ardenter Chriſtianus, *Obotritos* rexerit; in adverſa Orientis plaga SVANTIBORVS, familiæ Ducalis Pomeraniæ ſereniſſimus Sator, *Pomeranorum, Rheterorum & Tollenſorum* rempublicam adminiſtraverit; in medio autem conſtitutus CRITO præter *Rugianos Inſulanos*, *Kizinos* etiam atqve *Circipanos*, ſive tractus terrarum *Roſtochienſem*, *Gnoyenſem*, cum ditionibus cis *Reckenitzam* atqve *Trebelam* ad *Penam* diſtentis, imperio ſuo complexus fuerit. Ac ne partitio hæc temeraria cuiqvam videatur, aliqvanto penitius qvoqve evolvitur, variisqve argumentis ſtabilitur. Cum vero Inſula Rugia æqve ac terra, qvæ objacet, continens, incumbentis maris fluctibus ſenſim deteratur, Critonem olim multo majorem hodierna Rugiam poſſediſſe ſtatuitur. De marinis qvoqve limitibus reipublicæ ævo hoc Critonis agitur, & penes eundem maris Balthici tunc temporis præcipuum dominium fuiſſe aſſeritu. Florentiſſimum autem Rugianorum

ſta-

atum mox immutatum esse docetur, dum [H]ENRICVS, Godeschalci interfecti filius, Critone è medio sublato, Rugianos, qui duce RAZEO Lubecam aggressi fuerant, prope illam urbem, veterem nimirum, ad locum Svartow sitam, ingenti clade repressit, variisque bellis invasit, ut non tantum *Obotritorum*, *Polaborum*, *Vagriorum & Nord-Albingiorum* provinciæ, adeoque omnia, qvæ Crito ultra *Varnam* ad *Eidoram* adqvisiverat, amissa, sed & hæreditariæ terræ *Kizinorum* & *Circipanorum* a Varna ad Penæ ostium usqve ereptæ fuerint; qvanqvam Insula ipsa Rugia nunqvam ditioni Hinrici Principis sit adjecta, aut ipsi tributaria facta. Hinc, qvænam post mortem Hinrici rerum facies fuerit, ostenditur, dum Rugiani, arma animumqve recipientes, *Kizinorum & Circipanorum* ditiones ad pristinum dominium redegerint, urbem Lubecam una cum castro iteratis vicibus devastaverint, & omnia, qvæ hæreditatis jure olim ad Principatum Rugiæ spectaverant, præter terras Wolgastanam & Gutzkoviensem, felicissime recuperaverint. Tum in finium Rugianorum statum sub TETZLAVO, Razei Principis majori natu filio atqve successore inqviritur, qvo nimirum imperante vehementius afflictæ sunt vires Rugianorum, á

Pomeranis, Danis atqve Saxonibus per vices concussæ, donec fortissimus JAROMARUS I. frater, reducta *Circipanorum* provincia & Comitatu *Gutzkoviensi*, positisqve *Stralsundiæ* fundamentis, fines reipublicæ suæ restauraret.

Secunda Periodus ætatis primæ ab ineunte regimine WITZLAI I. usqve ad mortem filii & successoris illius JAROMARI II. sive ab ann. 1212. ad ann. 1283. excurrit. Memoratus WITZLAUS I. *Stralsundiam* a Pomeranis eversam ex ruinis suis suscitavit, castrum *Luticiorum* atqve *Demminum* expugnavit, omniaqve consilio & virtute sua firmavit: qvanqvam mox iterum decreverit felix ille finium status, dum BARNIMUS I. & WARTISLAUS III. Pomeraniæ Duces, non modo *Demminum* atqve *Lutitiorum* castrum receperunt, sed Comitatum qvoqve *Guzkoviensem* ad imperium suum reduxerunt, ita ut Cis-marinus Rugiæ principatus, qva vergit ad mare, *Rycco*, qva vero interiorem regionem, *Trebela* claudi denuo cœperit, castraqve *Tribuscam*, *Grimmam*, & *Guttynum* adversus Pomeranos pro munimentis limitaneis habuerit, qvi & ipsi ut Comitatum Gutzkoviensem adversus Rugianorum insultus firmarent, *Gryphisvvaldiam*, novam & ad in-

invidenda incrementa brevi evehendam urbem, condiderunt. Hac qvoqve tempestate Rugiani maris, qvod Principatus sui provincias ambit, imperium tuiti sunt, fretumqve inprimis, qvod insulam a continenti distingvit, una cum minoribus insulis *Dehn-Holm*, *Rimus*, *Vilm*, & *Ruden*, per illud dispersis, sinuqve *Wycensi*, dem Wycker-Bodden, pleno dominio sibi vindicarunt. Imperante JAROMARO II. de finibus Principatus, qva Pomeranorum ille terris committebatur, nulla contentio fuit, ob firmum amicitiæ ac cognationis inter utramqve nationem foedus. Gryphiswaldia ab Abbate Hyldensi, cujus imperium paulatim contemnere cœperat, in potestatem Ducum Pomeraniæ tradita est, nil qvicqvam ea propter moventibus Rugianis. Discrimina autem de confinio ditionis cum Mecklenburgicis orta Jaromarum moverunt, ut *Damgardum* in oppidum erexerit, editaqve turri, qvæ hodienum spectatur, pro more istius seculi, communiverit. Qvibus peractis in Daniam bellum suscepit, tanta felicitate, ut Insulam qvoqve *Bornholmiam* aut omnino, aut ex parte, dominio suo adjiceret. In hanc Periodum incidit devastatio urbis *Stralesundiæ* a Lubecensibus facta, qvam præeunte VAL. EICKSTEDIO in Epitome

Annal. MS. & NICOLAO a KLEMPZEN in Chron. MS. duplicem, alteram ann. 1238. alteram autem ann. 1273. vel 77. contigiſſe, Cl. Auctor ſtatuit (*); ex qva tamen urbs iſta poſtmodum reſuſcitata, variisqve fortunæ caſibus jactata, in patriæ ornamentum ad noſtram ætatem perduravit. Ter-

(*) Diſſentiunt hic monumenta noſtra domeſtica, tum qvoad annorum, tum qvoad invaſionis ipſius numerum. Unius qvippe tantum meminerunt invaſionis, in urbem Straleſundiam ſuſceptæ, eamqve ad Seculum XIII. medium referunt. Liceat hanc in rem adducere verba LECTORIS noſtri FRANCISCANI, ſpectatæ magis præ reliqvis fidei, qvi in *Chron. MS.* membranaceo, autoritate publica conſcripto, ad ann. MCCXLIX. hæc habet: By der Tyd weren af Brande de Stat unde de Borghere van deme Straleſſunde. Dar uoren ſe do hen / unde wunnen af de Stad. Do ſe weder quemen in de Trauene / ſe wurden untfangen mit groter Vroude. Des Orloghes was van der Stat weghene en Houetman / de bedderue vrome Deghen / to Torneye unde to Zoonſte ghar uorweghen / Alexander van Soltwedel / de mit ſiner Manheit uordeneds der Eren Sedel an deme Rade to Lubeke / dar oc do ſin Broder Arnolt inne ſat / aldus ſeten to ſamende twe Brodere / dat van des Rades Anbeghin / bet an deſſe Tyd / nyne ſchude. Eadem ex hoc Chronico repetit M. HERMANNUS KORNERUS in *Chronica novella* membran. MS. qvæ una cum priori in curia noſtra adſervatur, niſi

nisi quod huic expeditioni annum 1253. adsignet. Ita enim ille: Tercio anno Wilhelmi, qvi est" Domini M. CC. LIII. urbis Sundensis cives infesti" esse ceperunt Lubicensibus, secundum Cronicam" eorundem, & prejudiciales in multis. Qvod" valde egre ferentes cives de Lubeke, & eorum" presumpcionem ac protervlam a se removere" satagentes, classem nauticam, viris armatis &" bellicis instrumentis copiose oneratam, eduxerunt, & mare transeuntes, urbem Sundensem" predictam, in Circipanorum terra sitam, obsidione gravi vallaverunt, & tandem eam expugnantes virtute magna ceperunt, spoliaverunt," & gladiis suis innumeros peremerunt. Pociores vero cives & pecuniosos captivantes, secum" Lubeke deduxerunt. In hoc autem bello, &" in pluribus aliis, in qvibus contra Danos, &" alios eorum hostes, dimicantes, victoria potiti" sunt Lubicenses, Capitaneus & Dux exercitus" eorum, fuit strenuus & victoriosus ille Burgimagister eorum Alexander de Soltvvedele, qvi probitate sua & virtute hoc promeruit, ut ipse simul cum fratre suo Arnoldo in Consulatu sederet, qvod nec por antea nec in antea ullis" duobus fratribus concessum est ibidem, nec" juxta statutum prelibatæ urbis in perpetuum concedetur." Qvæ omnia conveniunt cum iis, qvæ ex codice *Korneri* Luneburgensi exhibet JO. GEORGIVS ECCARDVS Tom. II. *Corporis Histor. medii ævi*, p. 897. nisi qvod scribendi ratio ad morem recentiorem accedat, & sub finem præstatutum excusum sit *statum*.

tem filii & successoris WITZLAI IV. & ultimi, sive ab ann. 1283. ad ann. 1325. se extendit. WITZLAO III. regnante castrum & dominium *Lutitiorum* sub potestatem Rugianorum rediit, adeoqve Principatus Cis-marinus, qva Pomeraniam spectat, majori finium suorum ambitu *Penam* iterum amnem contingere cœpit, & ad confinium Mecklenburgicum etiam ultra Trebelam castro firmatus fuit. Filius ejus WITZLAVS IV. superstite adhuc Parente jus hæreditarium in ulteriorem Pomeraniam, cujus ordines Polonorum imperio se subjecerant, vindicare aggressus est, & comparata classe maritimam oram invadens ad Dantiscum usqve omnia superavit, Polonis eadem mox recuperantibus. Sub ejus regimine pristina finium amplitudo mansit, nisi qvod mare terribili aqvarum mole invecta fauces, qvæ hactenus inter *Rugiam* atqve *Ruden* Insulam fuerant, terris vel per integrum milliare submersis, patentissimo hiatu disruperit: in cujus damni reparationem dimidiam partem terræ Gnoyensis, qva Tribusanæ provinciæ vicina est, a Rege Daniæ oppignorationis titulo Princeps adqvisivit, qvi & per Daniam ipsam opimas ditiones possedit. Cum *Sundensibus*, obtentu privilegiorum superbientibus, semel

ite-

iterumqve bellum gessit, successu parum felici, ut civitas, qvam tutandis finibus Rugianorum conditores sacraverant, imminuendis ansam præberet, donec sopitis dissidiis ad pristinum dominum omnia redirent. Deniqve finito, qvod HENRICVS Megapoliæ Dux moverat, bello, eodem limitum, qvo a majoribus acceperat, ambitu Principatum ad annum usqve 1325. tenuit, postqvam iste ab ineunte imperio Critonis, cujus initium ad ann. 1050. refertur, per 275. annos sub octo principibus continua serie steterat.

Succedit Ætas *Secunda*, cujus Periodus I. ab ineunte regimine WARTISLAI IV. Pomeraniæ Ducis, ac WITZLAI IV. in Principatu Rugiano successoris, usqve ad mortem BARNIMI VIII. ultimi, qvi Principatum Rugianum separatim tenuit, Principis, sive ab ann. 1325 usqve ad ann. 1451. Periodus autem II. ab ineunte regimine WARTISLAI IX. usqve ad mortem BOGISLAI XIV. ultimi Pomeranorum Ducis indigenæ, sive ab ann. 1451 usq; ad an. 1637 percurrit. Insignis status Rugiani revolutio sub WARTISLAO IV. Pomeraniæ Duce contigit, dum ille ex pacto successionis cum WITZLAO IV. inito universum Rugiæ Principatum obtinuit. Post

 mor-

mortem vero illius Megapolitani Rugianorum terras bello aggressi sunt; & *Bardum*, *Grimmam*, ac *Lutitiorum* castrum occuparunt, Gryphiswaldensibus interim cum aliis fortiter obsistentibus, principumqve Juniorum & matris securitati hospitio consulentibus. Cumque circa annum 1351 recruduisset bellum, & Megapolitani tres simul exercitus in Pomeranos ducerent: Barnimus, Dux Sedinensis, hostibus partim cæsis, partim captis Hahnium Imperatorem (*) in fugam conjecit, eodemqve armorum impetu *Grimmam* recepit. Deniqve post tricennale bellum pax ann. 1355 ea conditione firmata fuit, ut universus Rugiæ Principatus in potestate Pomeranorum permaneret. Elapso se-

(*) Hahnium graviter saucium & bove vectum in castra Ducis Alberti pervenisse tradunt, quorum tunc de ista pugna colloqvium rythmis seqventibus fuit expressum:

Hertz.	Hane/ Hane/ wol hefft so reten dynen Kam?
Hane.	Here/ dat hefft gedan Hertog Bernam. Idt iß ein klein Mann van Lwe/ Aber ein Held by dem Kyve.
Hertz.	Wor hestu gelaten unse Lüde?
Hane.	Here se sündt in goden Beholde/ De mich dodtschlagen/ de sünt thom Sund oder Grypswolde.

edecim annorum spatio WARTISLAVS
:ruenta pugna prope Damgardum ab Al-
berto Mecklenburgico profligatus fuit;
:ujus rei culpa cum in BVGISLAI VI.
qvi frater erat WARTISLAI VI. ferociam
uvenilem conjiceretur, patrui ejus Bu-
gislaus & Wartislaus uterqve hoc nomine
V. ne ulterius communem cum illis sortem
ubirent, æqvali terrarum divisione ann.
373. caverunt. Tunc BARNIMI IV. filii
ibera optione, præter Ducatum Wolga-
tanum, ipsum Rugiæ Principatum sibi
umsere; novaqve partitione ann. 1376.
acta, ille qvidem Bugislao VI. hic War-
islao obvenit, ut hac ratione Rugia, post-
qvam ab excessu Witzlai IV. communi
um Pomerania imperio paruerat, pecu-
iaris Principatus pristinum habitum in-
lueret. Ac licet postea, qvod nunqvam
ntea factum fuit, in duo separata domi-
nia divideretur, morte tamen Svantibori
V. ann. 1446. hæc disjunctio desiit, par-
emqve ultra-marinam una cum cis-mari-
a BARNIMVS VIII. usqve ad ann. 1451.
vo & ipse vitæ terminum attigit, eodem
erum imperio complexus est. Sub WAR-
TISLAO IX. ejusqve filiis ERICO II. &
WARTISLAO II. Rugia cum Pomeraniæ
Ducatu arcte conjuncta fuit, posteaqve

BOGISLAVS M. Rugiæ non minus ac totius Pomeraniæ ad ann. usqve 1523. Monarcha extitit. BARNIMVM vero IX. inter & PHILIPPVM I. facta divisione, Rugiæ Principatus una cum Pomerania cis-Svinana ultimo huic sorte adjudicatus est, eodemqve in nexu sub filio ac nepote ejus perstitit; donec ad BVGISLAVM XIV. qvi solus ex universa familia Ducali supererat, Pomeraniæ Rugiæqve monarchia devolveretur, qvi etsi copiis Cæsareis in provincias immissis premeretur, Svecorum tamen mox supervenientium armis liberatus fuit.

Ætas deniqve *Tertia* periodum unam, à morte BOGISLAI XIV. ultimi è gente Pomeranica Rugiæ Principis, sive ab ann. 1637. sub gloriosissimo SVEDORVM imperio hodienum labentem, complectitur, ubi qva ratione protectoribus Svedis præmium protectionis ipsa Rugia cesserit, & qvas recentiori memoria belli vices senserit, enarratur.

Hæc de ipso Commentationis textu. Jam si, ad notas, qvæ larga manu ubiqve adsperguntur, accedere vellemus, amplissimus nobis campus pateret. Adeo bo-

bonæ frugis doctrinæqve haud vulgaris plena sunt omnia, qvibus obscuris lucem, dubiis fidem, erroneis emendationem additam esse omnino fatendum est. Antiqvitates sæpius remotissimæ investigantur, historiæ naturalis momenta plurima, violentiam maris in terras Rugianas exercitam concernentia, exponuntur, & observationes inprimis etymologicæ peregregiæ suppeditantur, qvales de vocabulis *Wilzorum* atqve *Leuticiorum*, eorumqve origine Germanica, non Slavica, p. 7. sq. de *Vlmi-Rugis* & *Ethel-Rugis*, p. 18. sq. de Vikingar & Vikingabola / i. e. prædonibus marinis & latebris eorum, ubi & de rarissimo & vetustissimo MSto *Joms-Vikingar-Saga* penes Generosiss. Dn. AUCTOREM des Plans einer Pommerschen Land-Historie, p. 20. de voce Celtica Boddens / qvæ aqvas stagnantes designat, p. 30. de appellatione antiqvissimæ urbis *Wolgast* & castri *Loitz*, p. 47. & 48. de amne *Hylda* vel Ryck / p. 60. sq. de etymo urbis Greiffswald / p. 106. sq. de Insula *Rimis* & *Ruden*, p. 114. & 115. de voce *Vitta*, qvæ tugurium denotat, p. 136. sq. de amne *Cisa*, p. 177. sq. & alibi passim occurrunt. Hæc vero & alia istius generis uberius aliqvando explicata legentur in *Dictionario Etymologico*, evolutionem

no-

nominum antiqvorum tam personis qvam locis in Pomerania propriorum tradente, qvod p. 20. promisit Dn. Auctor, & cujus Specimina nonnulla p. 60. 105. 114. 115. & 177. exhibet.

Subjicitur demum Specimen Diplomatum Rugianorum finium historiam illustrantium, nimirum 1) BARNUTÆ confirmatio bonorum Cœnobio Hyldensi ano. 1221. facta. 2) Transactio inter DOBEZLAVUM de Crizstow & Cœnobium Hyldense de limitibus ann. 1249. 3) BOGISLAI, BARNIMI, & OTTONIS confirmatio privilegiorum, & donatio civitati Demminensi facta ann. 1292. 4) HENRICI Domini de Werle venditio traductus Trebelæ civitati Tribuses ann. 1285. facta. Istiusmodi sane Diplomata cum aliis membranis atqve chartis vetustis pro genuinis merito habentur fontibus, ordinem seriemqve historiæ omnium optime docentibus; qvibus & Doctissimum Dn. Auctorem felicissime usum esse, utraqve limatissimi scripti pagina satis superqve commonstrat.

VI.

VI.

Nova Literaria.

WISMARIAE.

Lycei nostri Rector nuper admodum vocatus est M. IO. FRIDERICVS SCHOMERVS, qui propediem hoc munus auspicabitur. Faxit Numen feliciter!

GRYPHISWALDIAE.

In gratiam historiae studiosorum D. IACOBVS HENRICVS BALTHASAR, Theol. P. P. euulgauit & docta *de Scriptoribus Historiae Pomeran.* Praefatione auxit IOANNIS BVGENHAGII *Pomeraniam, in quatuor libros diuisam, quorum primus agit de Pomeranorum antiquitate: secundus refert Pomeranorum & Rugianorum conuersionem: tertius Principum Pomeraniae gesta, veramque tradit sanguinis propaginem: quartus continet miscellanea,* de quo opere poterit alio forsan tempore ex instituto agi.

Anno superiori 1727 sequentia lucem viderunt specimina Academica:

D. ALB. IOACH. de KRAKEVITZ *Dissertatio Theologica Casualis euoluens Quaestionem: De Hominibus propriis ac militibus fuga sibi consulentibus, in quantum illi ad Sacram Coenam sint admu-*

missibiles? Ob Prediger Leibeigenen und Soldaten/ wann dieselbe verloffen und weichhafft geworden/ das Heil. Abendmahl reichen können? Resp. *Casp. Christ. Bünsovio*, Cartoviens. Pomeran. m. Dec. 4to. pl. 4½.

Breuis Dissertatio Academica de Brutis rationis & cogitationis expertibus. Praes. IEREM. PAPKEN, Mathes. PP. Resp. Auct. *Iust. Christoph. Haussvvolff*, Carolicoron. Suec. m. Dec. 4to. pl. 1½.

Disputatio *de Pretio magnifico nullius pretii Messiae Pastoris boni & Poena pastorum malorum e Zach. XI. 4 sqq.* Praes. NICOL. KÖPPEN, LL. OO. PP. Resp. *Christ. Henr. Grambtzovio*, Clabera-Mecklenb. 4to. pl. 6.

M. BRANDAN. GEBHARDI *Dissertatio Hydrostatico-Aërometrica de Operationibus Fluidorum in alia corpora.* Resp. *Ioach. Iasp. Io. Hempel*, Neo-Bukovio-Megapol. 4to. pl. 3½.

Eiusd. *Theses ex Geometrica scientia conscriptae.* Resp. *Rud. Christoph. Trachtio*, Zarnekov. Pomer. 4to. pl. 2½.

SEDINI.

Anno superiori 1727 prodierunt *Dissertatio Moralis de Modestia Eruditorum*, quam sub praesidio D. MICHAELIS FRIDERICI QVADII, Gymnasii Rectoris & PP. habuit auctor *Io. Frid. Helvvigius*, Sedin. 4to. pl. 5.

D.

D. IO. SAM. HERINGII, Iuris Professoris, *Meditatio Christiana de duobus Imperatoribus Romanis, Augusto & Tiberio, Titulum DOMINI reformidantibus temporibus* Θεανθρώπου *Domini nostri IESV CHRISTI sub forma serui in hoc mundo degentis.* 4to. pl. 2.

Historia & Antiquitates Vrbis quondam in AEgypto celeberrimae נא אמון *siue* המון נא, *id est, THEBARVM siue* ΔΙΟΣΠΟΛΕΩΣ, *ad illustrationem Ierem. XLVI. 25. Ezech. XXX. 15. & Nahum. III. 8. 9. 10*, praeside PETRO ZORNIO, Eloq. & Hist. Prof. examini submiss. a *Frid. Gottl. Georgio*, Pitzerwitzens. Neo-March. 4to. pl. 4½.

Dissertatio Historica de Nummo Consulari aureo Theodosii II & Valentiniani III, in quo Caesar Baronius sacra Sacerdotum Pallia, das Meß-Gewand / *repraesentari credidit*, praes. eod. a *Mart. Sigism. Behlcke*, Arnswaldens. Neo-March. defensa. 4to. pl. 6.

GEDANI.

D. 2 Octobr. an. 1727 nouus Logices, Metaphysices & Philosophiae Moralis Professor, M. MICHAEL CHRISTOPHORVS HANOVIVS, Neo-Sedino-Pomeranus, inauguratus est a Gymnasii Rectore, D. IO. GEORG. ABICHT, qui

qui solenni huic actui praemisit Programma, in quo *de falsis Opinionibus in Deum hominesque iniuriis*, necnon de *Ioanne Dée* atq; *Io. Tolando*, eiusmodi portentorum auctoribus ac defensoribus, disseruit, simulq; *Orationes, de Origine falsarum Opinionum* a se, *de Ortu & Fatis Philosophiae in Prussia* ab Hanovio habitas indicauit. De vita Hanovii in hoc Programmate (pl. 1. fol.) leguntur sequentia: Cum in schola Landsbergensi „ad Wartam sub ducibus *Gensichenio*, *Walthero*, *Polano*, *Boenickio* elementa linguarum, disciplinarum & Theologiae feliciter imbibisset, fama Athenaei nostri „illectus anno 1714 albo ciuium nostrorum „nomen dedit, a quo tempore ex ore „B. D. *Schelguigii*, Theologi de Ecclesia „Christi meritissimi, & Dn. D. *Ioachimi* „*Weickhmanni*, qui, vacante Professoris „Theologi munere, Theticam Theologiam legere coepit, pependit. Porro „Miscellanea Matheseos B. *Patrem*, linguam Graecam & Hebraeam B. *Mich.* „*Stobaeum*; Philosophiam primam & Moralem doctrinam B. *Gottlieb Schelguigium*; „Oratoriam & Poeseos elegantias *Ioan.* „*Sartorium*; fundamenta Iuris Naturae, „Ciuilis, Canonici & Historiarum D. „*Sam. Frid. Willenbergium*; Augustanam „Confessionem & Psalmorum interpreta-

tio-

tionem me docere audiuit, donec anno" 1718 Lipsiam peteret. Ibi ductu Virorum" clarissimorum, B. *Cypriani*, *Boerneri*, *Pfeif-*" *feri* & *Carpzouii* in Theologia & Philologia," B. *Menkenii*, *Mascovii*, *Riuini*, *Weidlingii* in" Iure ciuili, publico & feudali; *Io. Burchard.*" *Menckenii*, *Rabneri* in historia ciuili, *Siberi*" in ecclesiastica, *Menzii* in literaria, *Lehmanni*," *Iaenichii* & *Mülleri* in Philosophia, *Richteri*" in Mathematicis vsus est tanta diligentia," vt anno 1720 Magistri gradum cum laude" sit consecutus. Hoc axiomate ornatus" Praeses Disputationem publicam, *de Du-*" *biis contra Iuris Naturae existentiam & essen-*" *tiam motis*, defendit, & in collegiis priua-" tis Philosophiae principia quibusdam pro-" pinauit. Sequenti anno Dresdae gene-" rosissimi Ioachimi de Bose secundo ge-" niti studiis, eiusque numerosae Biblio-" thecae fuit praefectus. Inde euocatus" Gedanum summe reuerendi Dn. D." Weickhmanni filiis humanitatis studia" tradidit. Hic electus nouus Philosophiae" Professor. &c. Interiectis post inaugura-" tionem paucis diebus Lectionum a se ha-bendarum indicium fecit publico Pro-grammate (pl. 1. fol.), in quo *de Soliditate Philosophica* solidas attulit meditationes.

D. SAM. FRIDER. WILLENBERGIVS edidit *Dissertationem Iuris publ. Prutenici de*

 Vnio-

Vnionis, qua Poloniae iungitur Prussia, indole. Resp. *Arnold. Dilger*, Gedanens. 1727. 4to. pl. 6.

Eod. an. D. IO. ADAM. KVLMVS in lucem emisit *Exercitationem Physicam de Origine Fontium.* Resp. *Dan. Gralath*, Gedan. 4to. pl. 1; nec non *Exerc. Phys. de Metallis.* Resp. *Io. Gottl. Pfennigk*, Schlieb. Sax. 4to. pl. 1.

REGIOMONTI.

Rector Academiae *Programma de ignoto Spiritu Sancto ex Act. XIX. v. 2.* proposuit. 1727. 4to. pl. 1½.

IO. MARTINVS BACKHVSIVS, Philos. Mag. ac S. Ministerii Candidatus, pro receptione in Facultatem Philosophicam *Apologeticum, quo Diogenem Cynicum a crimine & stultitiae & impudentiae expeditum sistit*, defendit. 1727. 4to. pl. 3.

HAFNIAE.

Vitam Illustriss. excellentiss. & generosiss. DN. IO. GEORGII de HOLSTEN, Equitis Ordinis Elephantini & Consiliarii intimi, occasione nuptiarum cum Generosissima CHARLOTTA AMALIA de PLESSEN, Vidua de SCHOLTEN, d. 5 Novemb. 1727 celebratarum, nitido *Carmine Germanico* descripsit FRIDERICVS LVTKENS. fol. pl. 5½. Obiter liceat obseruare, quod hic Lütkenius sit filius

cele-

celeberrimi Theologi, D. FRANC. IVL. LVTKENS, non vero, vti legitur in I. *Fr. Gauben* Vita Lütkenii in Fortgesl. Samml. von Alt und Neu. 1727. 2 Beytr. p. 287, NICOLAVS LVTKENS. Memoratus enim ibi *Nicolaus*, est patria Hamburgensis, & apud Bilwerderenses ab an. 1711 Pastor, qui licet minus recte dicatur filius Francisci Iulii, recte tamen ei adducta ibidem scripta assignantur.

Perelegantes sunt IOANNIS GRAMMII, Graec. Ling. Prof. *Dissertationes de Veteris Testamenti Versionis Graecae in Novo Testamento Allegatione*, quarum quinque, Alph. 1. pl. 1. constantes, ad manus nostras pervenerunt. Prodiere prima 1722: secunda 1724. tertia & quarta 1726: quinta 1727. In prima Dissertatione accurate agit Grammius de iis, qui ante ipsum similem susceperunt laborem, vel suscepisse saltem videntur. Sequuntur deinceps *Classis I*, s. Recensio Dictorum, iisdem verbis, quibus in Vet. Test. Versionis Graecae leguntur expressa, in Nouo Testam. allegatorum. p. 1—67. *Classis II*, de Locis Noui Testamenti, quae ex Veteris Test. Versione Alexandrina depromta esse, non quidem omnium, sed plerarumq; & quidem praecipuarum vocum consensus indicat.

p. 67 sqq. Quae restant, vt celeberrimus Auctor felicissime ad finem perducat, candide optamus!

Dissertationis Iuridicae de Defensione Legitima Partem primam d. 4 Sept. 1727 publico examini submisit CHRSTIANVS ARNOLDVS RASCH, Resp. *Magn. Halling.* 4to. pl. 3.

NORBVRGI.

ERICVS PONTOPPIDANVS, Ecclesiastes Norburgensis, publici fecit iuris Tractatum Germanicum, hac inscriptione: Heller Glaubens-Spiegel / in welchem die Kennzeichen der Kinder GOttes vorgestellet werden / in dreyen Theilen / deren der erstere: Vom eigentlichen Wesen des seelig machenden Glaubens an sich. Der zweite: Von der reflectirenden süssen Krafft oder Empfindung des Glaubens / als einem directen Zeugniß des H. Geistes. Der dritte: Von der Vernunft-mäßigen Prüfung des Glaubens / als einem Zeugniß unsers eigenen Geistes / handelt. Solcher gestalt: daß nicht weniger denen sichern Welt-Kindern die ungegründete Hoffnung der Seeligkeit / als auch vornehmlich denen Schwach-Gläubigen die ungegründete Furcht der Verdamniß möglichst benommen wird. Franckf. u. Leipz. in Verlegung des Autoris. 1727. 8. pl. 21.

KILONII.

Anno ſuperiori 1727 Praeſide D. FRID. GOTTL. STRVVIO *Diſputationem Inauguralem Iuridicam de Appellatione ab Executione rei iudicatae* pro gradu Doctorali d. 2 Aug. habuit *Georg. Frider. Iaſter*, Electoralis Hildeſienſis Dicaſterii Aduocatus. 4to. pl. 7.

Praeſide eodem *Diſſertationem Iuridicam de Donatione Oneroſa* d. 13 Sept. a. e. defendit *Franc. Ludov. Embden*, Allfelda - Hildeſienſ. 4to. pl. 4.

An. eod. menſ. Dec. *Diſputationem Inauguralem Iuridicam de Coniugibus incantatis, eorumque Separatione*, von bezauberten Ehe-Leuten und derſelben Scheidung, ſub praeſidio D. IO. ZACHAR. HARTMANNI publico examini ſubiecit Auctor *Ioan. Helvig Zielinski*, Aduocatus Hamburgenſis. 4to. pl. 4½. In praemiſſo Programmate (pl. 2. 4to.) Praeſes non ſolum ſuam *de Incantationibus & Ligationibus Matrimonii* exponit ſententiam, verum etiam Candidati vitam enarrat.

Sub finem an. 1727 CHRISTIANVS KORTHOLTVS, SEBASTIANI, Viri longe celeberrimi & Academiae Kilonienſis ornamenti, Filius, ac CHRISTIANI, magni Theologi, Nepos, lectu dignam euulgauit Orationem hoc titulo: *Oratio de Sa ris Cimbricis, duobus abhinc ſaeculis, ipſo hoc anno ſeptimo & vigeſimo, inſigniter emen-*

datis, in Academia Cimbrica ipso die XXXI Octobris prae reliquis pio ritu nobis colendo, propalam habita. 4to. pl. 7½.

Primo huius anni 1728 mense lucem aspexit *Memoria Viri Politici aeuo suo maximi, MERCVRINI ARBOREI de GATTINARA, Imp. Gl. CAROLO V a literis & consiliis sanctioribus, in salutari Reformationis opere egregias partes sumentis, ad memoriam Reformationis Holsaticae iam bisecularem instaurandam renouata*, quam Praeside PHILIPP. FRIDERICO HANE, Hist. Eccl. & Prof. P. P. O. d. 31. Ian. defendit *Ioan. Frid. Harpprecht, de Harpprechtstein*, Iur. Stud. 4to. pl. 8. Ex erudito hoc scripto repeto Mercurini Epitaphium, quod p. 49 sq legitur: MERCVRINVS ARBORENSIS DE GATTINARA, POST MVLTOS HONORES, RARISSIMAQVE DIGNITATVM INSIGNIA, QVAE SVMMA VIRTVTVM FIDE APVD OMNES FERE CHRISTIANOS PRINCIPES PROMERVIT, SEDATIS TANDEM SVO CONSILIO TOTIVS CHRISTIANITATIS TVMVLTIBVS, FIRMATO FORTVNATISSIMI CAROLI PER CORONATIONIS TRIVMPHVM CAESAREO SCEPTRO, PLACIDA PACE IN YSPRVCH NATVRAE CONCEDENS, IN PATRIAM CINERES REFERRI IVSSIT, SVORVMQVE PAVCIS

HIS

HIS MONVMENTA LABORVM POSTERIS ADNOTARI. VIXIT ANNOS LXV. ILLVSTRISSIMI DVCIS SABAVDIAE; ANNOS NOVEM CONSILIARIVS; ANNOS TOTIDEM MAGNAE BVRGVNDIAE PRAESIDENS, ANNOS DVODECIM SVPREMVS ET ACCEPTISSIMVS CAESARI CANCELLARIVS. POSTREMO AD CARDINALATVM EVECTVS, GATTINARIAE, VALENTIAE AC SARTINARIAE COMES, MARCHIO ROMAGNIANI, HEROS MONTISFERRATI, AC VTRIVSQVE SICILIAE, V. IVNII DIEM FELIX CLAVSIT EXTREMVM, QVI VIVENS PVBLICIS SEMPER NEGOTIIS OPPRESSVS EXTITIT, MORIENS PVBLICIS ETIAM PEDIBVS CONCVLCARI STATVIT. Inter Documenta primum occupat locum *Responsiua Oratio excellentissimi & magnifici D. MERCVRINI ALBONENS. DE GATTINARIA, Caesareae & Catholicae Maiestatis Supremi Cancellarii, Vtriusque iuris Doctoris, Militis, habita post praesentationem Decreti Electionis parte Principum Electorum Sacri Rom. Imperii, die S. Andreae vltima Nouembris M D XIX. in Molino Regis prope Barcinonem.* Vid. pag. 57 sqq. Quae Oratio (cuius inscriptio ab aliena haud dubie manu profecta) ostendit, Mercurinum a

cultu literarum humaniorum non fuisse remotum.

VTINI.

ADAMO HENRICO LACKMANNO, Rectori, qui *Oratione de Pueris feris, eorumque natura & moribus*, Lubecae in 4to. pl. 2 excusa, publice docendi prouinciam VI Id. Iul. A. 1727 deposuit, successor datus est FRIDER. GVILIELMVS CLEFFELIVS, Tangraemundensis, a quo idem munus d. 8 Ian. h. a. solemni *Oratione de Meritis Ducum Holsatiae in Rem literariam* susceptum.

LVBECAE.

D. GEORG. HENR. GOETZIVS, Superintendens, quinque hoc anno 1728 iam edidit scripta, quae sunt:

Gnade und Ehre / als eine Liebreiche Gabe GOttes / aus Matth. XXV. 21 bey der am 4ten Decemb. A. 1727 angestellten Beerdigung Hn. Henrich Christoph Steinfelds / gewesenen Pastoris in Schluckup / erbaulich angewiesen. 4to. pl. 8.

Observationum Sacrarum Specimen, M. LVDOVICO GERHARDO, *autori Systematis ἀποκαταστάσεως, oppositum, & in Colloquio ordinario, d. 27 Ian. a Io. Andr. Keller, Lubecensi, defensum*. 4to. pl. 3.

Eclo-

Ecloga Theologica de Nomine vnda sacra abluendis imponi solito, vulgo Tauff-Namen / *d. 29 Ian. more consueto propugnata ab Ott. Albert. Blanck, Lubecensi, vocato Pastore Slucopiensi.* 4to. pl. 2½.

Sciagraphia Concionum Catecheticarum, cui titulus: Das Gottfürchtige Bezeügen der Gläubigen / an dem Anania in acht Catechismus-Predigten angewiesen. 8vo. pl. 3½.

Observationes Theologicae in peruulgatum illud: Gerade zu macht gute Renner / *quas in Colloquio ordinario d. 11 Mart. defensitavit Luc. Herm. Bacmeister, Lubecens.* 4to. pl. 2.

L. IO. HENR. a SEELEN, Rector, occasione actus oratorii Gymnastici, d. 12 Febr. h. a. 1728 habiti, publicauit *de MAGDALII IACOBI, Gaudensis, Laboribus Biblicis, corrigendae in primis Versioni Latinae Vulgatae impensis, Commentationem, selectas simul Obseruationes ad varia Sacri Codicis loca complectentem.* 4to. pl. 4.

Idem *Philologema de praecipuis Nominibus Magistratui honoris causa impositis* edidit, eodemque Viro magnifico, illustri & generoso DN. HENRICO a BROEMSEN, Consulares honores, ac Viris nobiliss. prudentiss. ampliss. DN. GOTTHARDO ARNOLDO ISSELHORST, & DN.

NICOLAO CARSTENS Senatoriam dignitatem d. 23 Febr. gratulatus est.

Nuperrime accepimus nouam *Iuris Lubecensis* editionem, hac inscriptione conspicuam; Der Kayserlichen Freyen und des Heiligen Römischen Reichs Stadt Lübeck *Statuta*, Stadt-Recht und Ordnungen, samt der Ehrbahren Hansee-Städte Schiffs-Ordnung und See-Recht, auf E. Hoch-Edl. Hochweis. Raths Verfügung, nebst zwey Registern, aufs neüe gedruckt. 4to. Alph. 2. pl. 16. Egregia haec est editio, quae publica Magnifici Senatus auctoritate curata, & cui Praefatio, Ius nostrum contra eos, qui paulo iniquius de eiusdem rigore iudicarunt, defendens, denuo praemissa. In duas autem partes est diuisa, quarum prior antiquum Ius Lubecense exhibet: posterior, cui sequens praefixus titulus: Eines Hoch-Edl. Hochweis. Rahts der Kayserl. Freyen und des Heil. Röm. Reichs Stadt Lübeck Revidirte Ober-Gerichts-auch Nieder-Gast-See-und Appellation-Gerichts, imgleichen Cantzeley-und andere Ordnungen, auch verschiedene vorhin publicirte Mandata und Verordnungen, welche hiernechst specificiret und auf E. Hochw. Rahts Verfügung, nebst einem besondern Register, aufs neüe ge-

gedruckt worden / continet varia recentiori aetate statuta & ordinata, quorum index subiici meretur:

15. Re-

Videmus inde, quam salutaria complectatur noua haec Pars, ornans laudatam editionem operis rei publicae vtilissimi, cuius facta mentione merito coronamus huius Voluminis finem.



BIBLIOTHECA LVBECENSIS.

Vol. IIX.



LVBECAE

VMTV VIDVAE B. IO. CHRIST. SCHMIDII.

TYPIS KOOPIANIS, A. MDCCXXIX.

Contenta.

I. Επι-

I.

Επινίκιος ὑπὲρ τȣ̃ θανάτȣ τȣ̃ υἱȣ̃ τȣ̃ θεȣ̃

ſ.

verborum: עַלְמוּת לַבֵּן Pſalmo IX inſcriptorum

DE MORTE FILII DEI

expoſitio, ante oculos propoſita à Juſto Friderico Zachariæ, *

Conſpectus.

§. 1. Coecus impetus, quo Chriſtiani interpretes nonnulli Judæorum explicationes ſequuntur, cauſſa eſt ob quam multa vaticinia perverſe explicantur. §. 2. Verba verſionis Chaldaicæ. §. 3. Argumenta, quibus illam ſententiam quidam probare conantur, ex Tarnovio afferuntur & refutantur. §. 4. Rabbi Salomonis Jarchii commentatio in h. l. ejusq; interpretatio. §. 5. Prima, *quam Raſchi affert ſententia circa voces* עַלְמוּת לַבֵּן*.*

* Autor diſſertationem habuit De Samaritanis & templo illorum in monte Garizim. Jenæ 17:3.

de morte Absolonis filii. §. 6. Secunda. de Nabale. §. 7. Tertia, de Amaleck & Esau, §. 8 Quarta, quæ sua ipsius est, §. 9. Quinta, Rabbi Menachem, §. 10. Sexta, Rabbi Donesch; §. 11. Verba Kimchii eorumq; versio. §. 12. Expositio de Ben tanquam nomine prop[illegible] ci. §. 13. Verba Rabbi Salomo b. Melech, eorumq; interpretatio Latina. §. 14. Explicatio R. Aben Esræ cum versione Romana. §. 15. Explanatio ejus refutatur. §. 16. Sententia B. Augusti Pfeifferi. §. 17. De rebus occultis intelligit autor Midrasch Tillin. §. 18. Illorum sententia, qui de occultis filii agere Psalmum contendunt, & quidem de occultis. 1) Filii Davidis Salomonis. 2) Filii perditionis. 3) Filii Dei, §. 19. Nostra sententia proponitur & explicatur. §. 20. Consentientes nobiscum. §. 21. Sententiæ nostræ probatio. §. 22. Conclusio.

§. I.

COecus impetus quo pleriq; Christianorum verbi divini interpretum ad discessiones in Judæorum sententias

tias faciendas feruntur : caussa est, ob quam multæ divinorum oraculorum explicationes à vero sacrarum litterarum fine Christo ad perversas opiniones declinent. Non quidem ex illorum numero sum qui Judæorum commentarios vel plane respuunt, vel fructus ex spinis istis percipiendos haud pares æstimant laboribus adhibendis. His qui Rabbinorum scripta in minimis ponunt annumerari studuit Ribera Jesuita, qui nominis famam calumniis quas satis large in Judæos evomuit, acquirere sibi annixus est. Socius huic adjungendus venit Dominicus Garsias sive Garzia Lingvæ Ebrææ Professor Complutensis. Idem atq; unum sentit Forsterus Præf. in Lexic: *Nihil profuerunt Rabbini*, inquit, *nisi quod velut Bibliothecarii libros tantum sacros (quos Biblia vocamus) ac aliquot Grammaticos nobis Christianis suppeditarunt. At quod ad Sacræ Scr. intelligentiam (ut jam dixi) atq; etiam linguæ Hebrææ cognitionem attinet præstiterunt, quod laudem mereatur, omnino nihil. Durum satis*, adjicit his Forsteri verbis Hottingerus, (1) *contra Judæorum commentaria pronuntiatum.* Attamen quid quærimus è longinquo cōmentariorum Rabbinicorum osores; ad manus esse quam plurimos constat inter omnes. Quamvis autem non

 de-

(1) Thesaur. Philol. L. I. c. 2, p. 246.

desint, qui laborem subterfugientes nec cassa quidem nuce Hebræorum scripta digna æstiment; tamen si ipsos non pigeret pertractare seria præ ludicris, inventuri essent: perbene explicare Rabbinos voces Hebraicas, tam quoad Grammaticam, quam quoad significationem, si quæ de Messia agunt excipias. Grammaticam nobis exponere Judæos, ridebunt multi, experti, plurimos illorum non callere אֶת הַדִּקְדּוּק. Scio quidem plerosq; hodiernos non callere scientiam Grammaticam, & eos, qui didicerunt aut alios etiam docere sustinent, non accurate satis ejus esse peritos. Quos inter si referam Rabbi Bernhardum (qui Christo nomen dedit) lectorem Tubingensem, haud injurius in eum videbor: qui in usum suæ Grammaticæ בִּנְיַן שְׁלֹמֹה vocatæ plurima ex סֻכּוֹת דָּוִד decerpsit, & felix atq; prudens, qui decerpsisset integre, & non ita manca, mutila ac vitiis scatentia. Scio, inquam, plurimos nostri ævi Rabbinos peccare in rem Grammaticam; priscos autem qui hujus vitii accusabit, se non legisse prodet. Oculus ille Rabbinorum Kimchius nonne felicissimus est Grammaticæ Hebraicæ restaurator? annon quidquid hujus scientiæ scimus, haustum prius est ex ejus scriptis.

Sic,

Sic, Virum Summe Rever: B. D. Danzium totam suam Grammaticam ex Kimchio compositam dixisse sæpius, recordor. Ne R. Judæ Chiug Fessani, Eliæ Levitæ, aliorumq; mentionem faciam. Neutiquam vero hærent tantum in nuda expositione verborum Grammaticali, sed multum etiam ad sensum significationemq; conferunt. Hunc quam pulchre quam acute interdum, exceptis de Messia vaticiniis, ostendant, loca infinita testantur. Si igitur tam voces quam sensum Scr. S. enodant, pudeat eos, qui plane rejiciunt Judæorum Commentarios; pudeat eos, qui nimis arduum illum laborem æstimant. Minus accurate perpendunt tales, quid valeant humeri quid ferre recusent. Oracula divina sunt credendi atq; agendi regula, à Summo Deo nobis præscripta, nonne potissimum his intelligendis omnes nostras operas, labores, sudores dedicare tenemur. Quamvis autem Judæi divina scripta nonnunquam apertissime planissimeq; explicent (1), optime tamen dicta vaticinia pessime interpretantur. Et hic cautione opus est, ne virus, quod haud raro in Messiam ejusq;

(1) conf: Cartvvright: Præf: in Genes: Hotting: Thesaur: Phil: Libr. I. c. 2. Sect. VII. p. 245 sqq. Leusden: Philol: Hebr. mixt: Dissert: XVI & XVII p. 110 sq. Theodor: Hackspan: de usu libror: Rabbin:

asseclas evomuerunt, se menti nostræ & ex ea profectis explicationibus sensim insinuet. Non quidem insimulabo Judæos quod textum S. corruperint, ut ne quidem à divino verbo sacrilegas abstinuerint manus, quippe quod nec voluisse nec potuisse eos haud ignoro. (1) Quod enim nunquam depravare voluerint sacrum librum, testimonio est quantus! quantus! illorum labor, Masoræ adhibitus. Hæc enim סְיָג לַתּוֹרָה sive sepes legis eo fine adornata est, ut quemadmodum sepes hortum munit, ne invasionibus ferarum furumq; pateat, ita S. Scr. sepe hac circumdata esset velut hortus conclusus, tutusq; ab irruptionibus manibusq; quorumcunq; falsariorum; neq; vel minima in sacrosanctis Dei eloquiis tentaretur aut perversio aut mutatio. Accedit tritum illorum proverbium, quanti æstiment autoritatem verbi divini, clarè ante oculos nobis proponens: אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלויין בה *Non in lege vel vna litera est à qua non montes magni dependeant* (2). Finge autem, quod iis non defuerit voluntas, defuerunt tamen vires. Nunquam enim effici

(1) Conferantur quæ doctissime hac de re disserit Hotting: l. c. p. 191.
(2) vid. Buxt. Tiber. Præfat. p. 1. 2.

effici potuit, vt ſinguli Scr. S. codices vndequaque conquiſiti vna depravarentur. Quamquam autem nulla hujus criminis infamia in Judæis inſit, alia tamen ſunt, quæ nos in eos ſuſpicaces eſſe monent, verſuta & fallax nimirum horum Meſſiam renuendi ratio. Deus immortalis! qui me horror perfudit malitioſam illorum nequitiam contemplantem. Occurritur forſitan mihi: quamvis ipſi vafre & malitoſè agant, nullius tamen Chriſtiani tam proterva atq; pervicax erit dementia, quæ eum in Judæorum errores induci patiatur. Minus autem ἀδύνατον eſſe, quod Christianus interpres, Judæorum illecebris aſtutiisq; captus, Meſſiæ honorem, vaticiniis adauctum, imminuere auſus fuerit, triſtia, proh dolor! exempla loquuntur. Instar omnium eſſe poteſt Hugo Grotius, qui Judæorum verſutiæ ſuoq; ingenio indulgens, illotis quaſi manibus ad explicandam Scr. S. ſe accinxit. Quam triſtes autem exitus explicatio ejus habuerit, quæ damna ſanctae Chriſti cuncioni attulerit, in aprico eſt. Nullus igitur amplius dubito, quin Chriſtianorum pruritus, quo ad inſaniam concupiſcunt Judæorum explanationes, maximum veritati inveſtigandæ impedimentum ſit, isq; maximopere Chriſto in multis adhuc verbi divini

vaticiniis inveſtigando obſtare atq; offi- cere videatur.

§. 2.

Eadem etiam eſt ratio explicationum Judaicarum his Davidis verbis עַל־מוּת לַבֵּן Pſalmo IX inſcriptis additarum, quâ & pleroſq; interpretes noſtros ad ſuam ſententiam perduxerunt. Eundem enim quem alias ſemper & hic ſervantes morem Judæi, gentis ſuæ, quæ maximæ eſſe ſolent, opinionibus imbuti, de ſenſu horum verborum veritatis ſpeciem præ ſe ferente admodum ſoliciti ſunt. Liceat igitur has quas moliuntur nugas ridiculasq; Scr. explicationes quorundam, qui facile principem inter illos locum obtinent, his litteris mandare, vt oraculorum divinorum veneranda veritas appareat, quam aſſerit Paulus: (1) *excoecatas eſſe Judaeorum mentes & Κάλυμμα ſuper cor illorum eſſe poſitum, nec ante iri ſublatum, quam fuerint converſi ad Dominum.* Chaldaicæ autem interpretationis autor Raf Joſe ſic iſta Ebraica verba in Chaldaicum idioma vertit: לְשַׁבָּחָא עַל מִיתוּתָא דְגַבְרָא דִי נְפַק מִבֵּינֵי מַשְׁרְיָתָא *Ad laudandum ſupra mortem viri, qui egreſſus eſt ex intermedia ſtatione caſtrorum.* Quibus verbis exponente Vatablo & adſerente

(1) 2 Cor. III, 14. 15. 16.

rente Musculo (1) innuit Goliathum illum monomachum, qui quotidie medius inter duo castra Israëlitarum & Philistæorum stabat, ideoq; vocabatur (2) אִישׁ הַבֵּנַיִם *vir medietatum* i. e. duello monomachia transacturus pugnam.

§. 3.

Hanc Paraphrastis sententiam variis corroborare argumentis adnititur Venerabilis Tarnovius (3) omniaq;, quæ illam oppugnare videntur dubia evellere conatur. Argumenta quæ adduci possunt, quo minus ea verba ita explicare liceat, ipse ante oculos nobis proponit varia vel ex Grammatica vel Chronologia petita. Primo quidem, quod occurratur sibi, conqueritur: *Scheva esse sub* ל vocis עַל quod aliàs tamen sub vltima vocis litera subintelligatur. Quod quidem prout & secundum oppositum argumentum: *quod duæ debeant esse dictiones*, nec illum virum nec me pungit. Ambo enim ab iis, qui עַלְמוּת vnam vocem æstimant, in medium prolata sunt; in nullo quippe Codice mihi duas voces distinctas invenire contigit. Nec tertiam, quam sibi obstare dicit,

(1) Comment: in h. l. p. 76.
(2) 1 Sam. 17, 4.
(3) in Comment: in aliquot Psalmos Davidi p. 115.

dicit, rationem: *non holem sed ſchureck eſſe*, alicujus momenti eſſe fateor. Quis enim, quod Infinitivi nominum vicem interdum ſuſtineant, ignorat? Majoris autem ponderis eſſe mihi videtur, ſi opponatur ei: quod explicatio ejus triplicem involvat Ellypſin. *Prima* eſt vocis איש· quæ quidem in aliis rarioribus tamen Scr. dictis invenitur, vtrum autem & his Davidis verbis addenda ſit nulla quidem vrgente neccesſitate, anceps dubito. *Altera* eſt, quod nota dualitatis quæ duo caſtra deſignet, plane deſit. Longe alia igitur conditio eſt verborum איש הַבֵּנַיִם· quæ tantæ difficultates, tam multa ſubintelligere cogentes, minus circumſtant, vt *tertiam* Ellypſin, videlicet vocis caſtra, ſicco pede tranſeam; quæ quidem לְ איש הַבֵּינַיִם etiam non adſcribitur, cum tamen admittere eam ſvadeant duo priora ibi extantia momenta. Hic autem cum nihil ſit, quod tantum ſibi ſumere adducat, ſatis obſcura & ſatis difficilis talis Ellypſis eſt. Quantum enim diſtet בֵּן, & quidem absq; י ſcriptum, à viro qui inter duo caſtra ſe ſiſtit, ita perſpicuum eſt, vt oculis judicare posſimus. Ex hiſtoria, quod ſuam impugnare ſententiam dicit Doct: Tarnovius, petitum argumen-

tum,

tum, grave atq; exquisitum æstimo; quod scilicet in Psalmo (1) promittat David: *se Deo gratias acturum in portis filiæ Sion, vbi ipse Deus singulari præsentiæ modo habitet*, quæ tamen tunc temporis cum Deus Goliathum interficeret nondum Israëlitarum fuerit, sed adhuc à Jebusæis teneretur. Injectum quidem hunc sibi scrupulum vir Clariss. haud ægrè removeri posse, facilemq; dubii hujus solutionem esse censet, cum morem scripturæ esse, multa per πρόληψιν dicere, contendat. Davidem enim hac insigni victoria sua, à Goliatho reportata, bene sperasse futurum, vt reliqui etiam hostes populi Judaici deleantur, & inter eos Jebusæi, qui tum temporis tenebant arcem Sionis & vrbem Hierosolymorum, in qua cultus Dei institueretur, Tarnovius putat. Sic. R. Hanina etiam cum mentio fit Sionis, *de futuro id intelligendum esse*, dicit. Verum adhuc in ambiguis est, vtrum David eo tempore admodum juvenis Psalmos divino spiritu instinctus cecinerit, nec ne; ne dicam: Davidem tunc futurorum prudentem Hierosolymorum expugnationem tanquam procul eventuram vidisse, rem esse, quæ cujusque animum in hac caussa dubium facere possit. Quem affert locum

(1) vers. 12 & 14.

locum Tarnovius ex I. Sam. XVII, 54. *& detulit David gladium Goliathi Hierosolymam*, ex eo minus recte, quod πρόληψις sit convincitur. Nihil enim est, quod priorem Samuelis librum ante capta Hierosolyma conscriptum esse, planum faciat; si autem jam expugnatis Hierosolymis compositus sit iste liber, quid mirum, sanctum ejus autorem, quisquis sit, mentionem facere vrbis Hierosolymarum. Opinionis hujus Tarnovii ac Raf Jose adstipulator est cum *Schindlero* (1) B. *Christophorus Sontagius* (2). Sed affert quidem nonnulla ad illustrandas voces אִישׁ הַבֵּינַיִם e. g. quod Manlius Torquatus in Livio aliiq; pugnaturi, *inter acies* stetisse dicantur, & quædam in lingva Græca monomachorum cognomina huc spectantia inveniantur, nec non ita describatur Hector apud Homerum (3)

καὶ ῥ' ἐς μέσον ἰὼν, Τρώων ἀνέεργε φάλαγγας,

Et in medium procedens Trojanorum cohibebat phalangas;

nihil autem ad probandum, quod hic vox הַבֵּן idem, quod אִישׁ הַבֵּינַיִם significet.

Pergit

(1) in Lex: Pentagl: col. 174.
(2) in libro ראשי תלין s. tituli Psalmorum vocato.
(3) Iliad: δ. vers. 55.

Pergit idem: *neq; vero rarum aut insolens lingvæ sanctæ, præpositiones & adverbia per antimeriam nominascere*, idq; *Græcis certé familiarissimum esse* dicit; quod quidem minime pugno, vtrum autem ex hac vocula הַבֵּן absq; י prius præpositio: *inter* & ex præpositione nomen: *medium* facere liceat; an quoq; tali particulæ nominascenti alia particula ה nempe articuli præponi analogia lingvæ sanctæ requirat, ambigo. Hæc itaq; Davidicæ inscriptionis explicatio quam scrupuloso difficiliq; in loco versetur, caute prævidit Wolfgangus Musculus Dusanus: (1) *Etenim de Goliatho intelligere has voces nequeo propter vers.* 11 *&* 14. *in quibus Sionis fit mentio, cujus inhabitator dicitur Deus & in cujus portis Propheta omnem Dei laudem decantare proponit: cum eo tempore quo Goliath per Davidem est cæsus, Sion adhuc fuerit in manibus gentium, non Israëlitarum.*

§. 4.

Rabbinorum autem antesignanus R. Salomon Jarchi in enodandis his sancti vatis verbis Masoræ sententiam secutus est. על מות לבן · יש פותרין על מות לבן על מות בנו אבשלום ולא יתכן פתרונו מפני אומרו לבן ולא אמר הבן ואין לו במזמור עדו וזכרון לאמן זה הפתרון · ויש פותרין

(1) in Comment: in h. l. p. 76.

פותרין על מות לבן נבל ואף זה לא יתכן להפוך את השם ואין במזמור זכרונו · וראיתי במסורת הגדולה שהיא תיבה אחת שחרי חיבר לה והוא יכהגנו עלמות · פתרו מנחם ודונש מה שפתרו ואינו נראה בעיני וראיתי בפסיקתא שהענין מדבר בעמלק ועשו גערת גוים שמם מחית ואומר אני למנצח על מות שיר זה לעתיד לבא כשיתלבן ילדותן ושחרותן של ישראל ותגלה כצדקתו ותקרב ישועת ושימחה עשו וזרעו · עלמו ילדו לבן כמו ללבן · ומנחם פתר עלמו לבן נגינו ללמד וכה פתרונו למנצח עלמות לבן למשורר נגינות ללמד ויהי לבן כמו להבין ולולבונן עלמות על שם כלי ששמו עלמות כמו שאמור בספר זה על עלמות שיר · ודונש פתר לבן שם אדם שהיה שמו לבן שהיה נלחם בדוד בימים ההם ומה שהוא אומר גערת גוים אבדת רשע הרשע הזה הוא לבן ההורג עם נקיים ואף על פי שאין אתה רואה במקום אחר אדם שהיה שמו לבן רק במקום הזה כן אתה מוצא במלכים אחרים שאינן נכתבים במקרא רק פעם אחת:

Adverba עלמות לבן : *sunt qui interpretantur* (voces) עלמו לבן *de morte filii sui Absolonis; sed non quadrat hæc explicatio, quia consignat eam* (vocem autor Psalmorum) *& non dicit* הבן *neq;* (extat) *in Psalmo* רבו

hoc

hoc testimonium aut mentio (ejus facta) *ad corroborandam hanc interpretationem. Sunt etiam interpretantes* עלמות לבן *de Nabal. Verum hoc etiam non licet, vt transponam vocem neq; tale quid quod hujus expositionis nos commonefaciat, extat in Psalmo.* Et *ego in Masora magna vidi, quod sit vox vna. Nam ecce associat ei:* והוא ינהגנו עלמות (Ps. 48,16.). *Exposuerunt R. Menachem & R. Donesch variis modis, sed mihi non videntur rem acu tetigisse. Deprehendi quoq; in Psikta quod sensus agat de Amaleck & Esau* (quando dicitur vers. 6 hujus Psalmi) *increpasti gentes, nomen illorum delevisti. Sed ego dico Psalmum hunc:* למנצח עלמות לבן *canticum esse de tempore futuro, quo dealbabitur juventus & nigredo Israelis & revelabitur justitia eorum, & appropinquabit salus illorum, vt deleatur Esau & semen eius.* עלמות *igitur idem est quod* ילדות, לבן *idem quod* ללבן. *Rabbi Menachem exposuit* עלמות לבן *per* נגינות ללמד *instrumentum musicum, & ita est explicatio ejus, quod* למנצח עלמות לבן *idem* sit ac præcentori ad discendum instrumentum pulsatile & לבן vti להבין & לבונן *ad intelligendum; atq; sic* עלמות *nomen, quo vocetur instrumentum, prouti dicitur in libro hoc* (Psalm. 46.) *super Alamoth carmen. Et R. Donesch interpretatus est vocem* לבן *pro nomine proprio, quo vocatus fuerit quidam*

Labben,

Labben, qui pugnaverit cum Davide in diebus istis: & quod dicat: (David. verſ. 6. hujus Pſalmi) *increpaſti gentes, aboleviſti improbum; improbus hic esſet Labben interficiens populum inſontem. Et quamvis non deprehendas in loco alio virum cui nomen fuerit Labben, & tantummodo hoc in loco; ſic tamen invenies alios etiam reges, quorum nomina tantum ſcripta extant vna vice in ſacra Scriptura.*

§. 5.

Prima igitur aliorum, quam R. Salomo ante oculos nobis proponit, ſententia eſt, quæ reſpicit ad mortem filii Davidis Abſalonis. Ex Judæis quidem neminem invenire licuit, qui hanc à Raſchio in medium prolatam ſententiam approbaret, niſi Symachum Judæum vocares, quem Epiphanius Aurelii Veri temporibus vixisſe teſtatur, & Samaritanum fuisſe Theodoretus autor eſt: qui, cum apud ſuos principatum, quem ambiebat, obtinere non posſet, ſe Judæis adjunxit, & ſecunda vice circumciſus eſt, ſcripturasq; ad confutandos Samaritas ex Hebræo in Græcum idioma tranſtulit. Vertit autem Symachus Davidis verba hunc in modum: *ἐπινίκιος περὶ θανάτου τοῦ υἱοῦ ᾆσμα τοῦ δαυίδ; carmen triumphale de morte filii*

Non

Non autem est ὑπὲρ θανάτου prout verba ejus affert Tarnovius, cujus ex commentario sapit Sontagius (1), Sententiæ huic favet etiam B. Hieronymus (2). Verum nostrum Psalmum non ad privatum quendam hostem Davidis spectare infra §. 17. monebimus. Recte igitur Tarnovius: l.c. *Si historiam interitus illius miserabilis cum argumento hujus Psalmi conferamus ex* 2 *Sam.* XVIII, 4. 15. 16. XIX, 1. sq. *minus conveniens hæc videtur sententia, quia* 1. *super morte Absolonis David quam maxime dolet: super ejus, de quo hic agit Psalmus, interitu lætatur ex toto corde & vere;* 2. *Exercitum Absolonis non vocaret gentes, quippe qui ex Judæis tantum constabat.*

§. 6.

Addit Jarchi: *sunt etiam interpretantes* עלמות לבן *de Nabale: super morte insipientis. Intelligens opinor de Nabale:* dicit Musculus. Grotius certe apud Polum huic sententiæ patrocinatur, in eamq; tuenda anxius desudat Arias Montanus: (3) Labben scilicet esse mutationem nominis Nabal κατ᾽ ἔλεγξιν factam, idq; more Satyricorum, ejus, qui repræsenderetur, nomen significantium magisquam scribentium: cujusmodi apud Poë-

(1) l. c. p. 269.
(2) vid. Drusius Lib. V. c. 7. p. 107.
(3) Præfat. Bibl. Ebr.

tas, Horatium, Juvenalem &c. quam multa carmina occurrant, Exemplum ſibi inveniſſe putat Arias Montanus in titulo Pſalm. VII על כוש בן־ימיני vbi Saul filius Kis parum immutato nomine filius Kuſch dicatur. Verum ne dicam multa, quæ huic allato exemplo contrarientur, circumſtare. Quamvis enim Vatablus, Tarnovius, Clarius, Glasſius (1) hanc ſententiam approbent, certe eam eſſe omnium Ebræorum, excepto ſolo Aben Eſra, audacter contendat R. Sal. b. Melech; attamen haud immerito (2) Aben Eſra objecit: ſic Davidem haud maledicturum Sauli vtpote vncto Domini fuisſe. Præterea id nomen eſſe cujusdam hominis Davidi inimici ſtatuunt R. Obadias Gaon, Druſius (3) &c. Hæc igitur Pſalm. VII. inſcriptio, de cujus ſenſu nondum ſatis conſtat, ad probandum, לבן ἀναγραμματικῶς pro Nabal ſcriptum eſſe, minus ſufficit. Itaq; alienam hanc eſſe ſententiam dicit Koppenus (4). Equidem licet Scripturam Sacram, interdum ex juſta indignatione erga peccatorum foeditatem nominum quandam ὑπαίνιξιν adhibere conſtet

(1) Philol. Sacr. p. 1420.
(2) ad Pſalmum VII.
(3) vid. Pfeiff. Dub. vex. p. 562.
(4) Comment. in h. l. p. 134.

conſtet ex Glasſii Philologia Sacra (1); talem tamen carminum Satyricorum livorem tribuere viro Θεοπνεύςω, ne impium dicam, abſurdum eſſe reor. Quibus enim vinculis obſtrictus ſanctus vates nomen illud ſordido viro dignum tacuisſet. Fabuloſam igitur hanc verborum Davidicorum detorſionem repudiamus conſentientes cum Tarnovio: *ſed præterquam quod careat exemplo idoneo hæc tranſpoſitio, non ſatis illa hiſtoria Nabalis, quæ* 1. *Sam.* 25. *deſcripta, cum argumento Pſalmi congruit, in quo non de interitu vnius hominis perditi, ſed de integris gentibus deletis agit propheta.* (2) Ita etiam Geierus Theologus ſummus & felicisſimus ſcripturarum interpres, qualem eum nuncupat Pfeifferus, (3) ſentit Comment: in h. l: *vel de morte Nabal (anagram.) qui tamen hoſtis privatus nemini periculoſus.* Quid eſt præterea? nihil ſane in toto Pſalmo, quod ad Nabalem vel talis Satyræ requiſita detorqueas. Totus quippe eſt εὐχαριςικὸς καὶ ἐπαγγελικὸς celebrans Dei beneficia, integræ genti humanæ præſtita. Hæc intuens Raſchi perpulchre explicationi huic adſcripſit: *hoc etiam non licet vt tranſponam vocem, neq; tale quid quod ejus*

(1) p. 512.
(2) l. c. p. 211.
(3) in Præfat. ad Libr. de method. Ebr. p. 7.

ejus expositionis nos commonefaciat in Psalmo extat. Verba B. Doct. Pfeifferi l. c. sunt: *Ille certe anagrammatismus in expositione Scr. S. haud reperit locum* (1). Miror autem tales metatheseos amatores, qui sibi sed non aliis in sacra scriptura transpositiones invenisse persvaserunt, non potius ex voce לבן rimatos esse τὸ נבל *nablium*. Ita Friedlibius: (2) *&, si ita liceat voces transponere, cur non potius legendum Nebel ait Menochius, quod erat musicum instrumentum.*

§. 7.

Tertia à Rabbi Salomone consignata sententia est: *Deprehendi quoq; in Psikta, quod sensus agat de Amaleck & Esau* (cum dicitur vers. 6 hujus Psalmi) *increpasti gentes, nomen illorum delevisti.* Ad tempora sc. Messiæ refertur hic Psalmus, quem extirpaturum esse regnum Esavitarum atq; Amalekitarum Judæi arbitrantur. In nullo quidem commentario Judæo aut Christiano hanc à Raschio in Psickta inventam explicationem reperire mihi contigit, excepto illo mystico Midrasch Tillin nominato. Scriptum ibi legis ad hujus Psalmi vers. 6 vocem גוים

Amaleck

(1) Conf. Nierenberg. de Origin: S. S. Lib. V. c. 15. p. 137.
(2) Theol: Exeget: p. 528.

Amaleck principium gentium & ad שמם מחית delevisti memoriam earum : *vt non relinquatur arbor Amaleci ne dicas hæc erat arbor Amalec.* Quæ autem nonnullis Judæorum interpretibus tale quid circa hunc Psalmum sentiendi ratio fuerit , fateor me ignorare , nisi quod suspicatus fuerim , vocem Labben quasi Laban , qui avus fuit Esaui , materiam nugandi eis suppeditasse. Præterea ex vocibus דרש דמים vers. 13. *quærens sangvines* occasionem nactos esse nugatores illos intelligendi hunc Psalmum de Amalec autumo. Amalec enim non solum nomen proprium viri Gen. 36, 12. sed etiam gentis Israëlitis infestissimæ sic dictae, quasi עם לק vel עם ירק populus lambens sanguinem Israëlitarum; (1) quod odium contra Israelitas produnt bella (2). Quid autem sibi velint Judæi hac explicatione de Amalec & Esau , haud ægre apparet. Esavi enim cognomen etiam est Edom ei inditum , tum , quod cum nasceretur rufus in lucem prodiret, tum quod cum edulio rufo à fratre Jacobo oblato jus primogenituræ permutaret , Gen. 25, 25. inde metonymicè sumitur pro

 Esavi

(1) vid. Buxt : Lex. Chald. Talm. p. 1625.
(2) Exod. XVII, 16. Num. XXIV, 20. Deut. XXV, 7. Jud. III, 13. VI, 3. 33. VII, 12. 1. Sam. XXVII, 8. XXX, 1. 1. Chron. XIIX, 12.

Esavi posteris (1). Eo vero regno Edom Ebræi regnum Christianorum & imperium Romanum innuunt: apparet hoc ex infinitis testimoniis, inquit Buxtorfius, (2) idq; probatum vide innumeris ferè, quæ lingvæ Ebrææ & omnium Judaicorum institutorum peritissimus (3) Buxtorfius cumulavit, exemplis. Hæc quidem Rabbinorum explanatio de Amaleck & Esau haud reiicienda esset penitus, nisi feroces Judæi virus suum in Christianos evomuerint, prout Kimchi in Obadiam disertè scribit: מה שאמרו הנביאים בחרבן אדום באחרית הימים על רומי אמרו *quidquid prophetæ dixerunt de vastatione Edom in ultimis diebus, id de Roma intellexerunt*; & tritum illorum proverbium testatur: עם חרבן ארום תהיה תשועת ישראל *cum vastatione Edom, erit salus Israelis.* Haud improbanda esset, inquam, penitus hæc explicatio, ni venenata hæc tela in Christi asseclas jaculati essent, & voces Esau atq; Amaleck de communibus ecclesiæ hostibus (4) intellexissent. Quantæ autem autori-

(1) vid. Clar. Stockii clav. Lingv. S. p. 16.
(2) Lex. Talm: p. 29.
(3) Talis audit Causabono Exerc. N. T. contra Baron. p. 465.
(4) quos quidem denotat Jes. 34, 5. 6. Jer. 49, 16. 19. Obad. 1, 3.

autoritatis hæc Judæorum ſomnia ſint, conſtat inter omnes Chriſtianæ veritati addictos. Protuliſſe igitur in medium inſulſas illas ineptias, nobis erit refutasſe.

§. 8.

Ipſe autem R. Salomon Jarchi exponit per *adoleſcentiam dealbandam*, & refert ad עולם הבא *ſeculum futurum*, *quo Iſraëlitæ nova quaſi pueritia renovabuntur*, *&* *à ſua nigredine dealbabuntur.* Quæ quidem horum verborum explanatio & B. noſtro Luthero arriſiſſe videtur. Sic quoq; Aquila: *τῷ νικοποιῷ νεανιότητος τοῦ υἱοῦ μελῴδημα τοῦ δαυίδ.* Theodor: & V. editio *τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ ἀκμῆς*, VI. editio *εἰς τὸ τέλος νεανιότης* (1.). Chriſtiani autem, qui hunc verborum ſenſum amplectuntur, interpretes per Juventutem pulchram intelligunt ſanctum Dei coetum S. eccleſiam: Aſſenſione quadam approbat eam ſententiam, quamvis quod vocem לבן attinet diſſentiat, Salomon Geſnerus in academia Wittebergenſi olim Theologiæ Doctor & Profeſſor publicus. (2) Verba ejus hæc ſunt: *Nos ſequemur D. Lutheri interpretationem*, *&* *Almuth nobis erit vnum vocabulum*

(1) vid. LXX Interpr. edit. Francofurt: anno 1597. in not. p. 478.

(2) in Commentationibus in Pſalm. David. p. 110.

lum, quod descendit ab עלם *occultavit, abscondit, vnde Alma virgo abscondita, intacta, quæ intra gynecæum educata domi delituit, quo nomine mater Domini vocatur* Es. 7, *Hinc adeo est Almuth, quod similiter virginitatem & adolescentiam integram & sartam tectam denotat, quo sensu etiam infra* Psalm. 48. vers. *vlt. vsurpatur, ipse deducet nos vt juventutem. Intelligitur autem hoc nomine ecclesia, quæ, cum sit sponsa Christi virgo & Alma propter imputatam sponsi justitiam & innocentiam, nominatur 2. Cor. 11, 2. Cant. 1, 4. 5. 8. Apoc. 12, Psalm. 44, 11. Ezech. 16, 9. Eph. 5, 26.* Quamquam autem multa in oraculis divinis inveniantur dicta, quibus ecclesiæ decor & venustas, tanquam virginis pulchræ & sponsæ Christi celebratur, hanc allegoriam tamen, alibi quamvis verissimam certissimamq; , & in hoc Psalmi titulo invenire locum, minus apparet. Varia enim sunt, quæ contrariantur, quo minus Raschii asserto subscribere possim. Frustranea quidem sunt argumenta, quibuscum Tarnovius, (1) Sontagius (2) Fidus illius sectator Raschii opinionem convellere sustinuit. Opponit Rabbino: *voces in* ת *servile desinentes, & ita* עלמות *etiam foeminini generis, eamq; ob causam* עלמות

(1) l. c. p. 209
(2) l. c. p. 207.

עלמות לבנו (pro לַבֵּנָה ; qualis vox in ulla terrarum lingva datur, forsitan legendum לְבֵּנָה) *scribi conveniens esse.* Verum, non in Judæum, tantum Virum, tanquam talem, qui genera nominum ignoret, animadvertendum esse, censeo. Haud enim satis Rabbini verba animo suo Sontagius mandavit. Raschio quippe vox לב minime nomen adjectivum aut concretum est, (quod quidem nomini foeminino junctum omnino foeminino genere efferendum esse, nec talem latet, qui lingvæ sanctæ scientia tiro est,) sed potius Infinitivus Piel, qui nullam generis differentiam agnoscit. Quamvis autem iniquus Raschii sententiam Sontagius culpet, minime tamen ei adstipulandum est. Evertere eam mihi videtur: (α) quod in omnibus verbi divini libris qui ad manus sunt, non vna sed duæ separatæ voces inveniantur. (β) Vt infinitivus Gerundia Latinorum exprimat necessario particula ל vel ב, quæ tamen voci לבן mente Raschii deest, præponenda est. (1) (γ) Verborum constructio requirit, vt infinitivus subjecto præponatur, aut ipsi Infinitivo suffixum apponatur. (δ) Nullibi in codice sacro conjugatio Piel à radice

(1) D. Danzii interpr. §. 126. p. 129. edit. maj.

lum, quod descendit ab עלם *occultavit, abscondit, vnde Alma virgo abscondita, intacta, quæ intra gynecæum educata domi delituit, quo nomine mater Domini vocatur* Es. 7, *Hinc adeo est Almuth, quod similiter virginitatem & adolescentiam integram & sartam tectam denotat, quo sensu etiam infra* Psalm. 48. vers. *vlt. vsurpatur, ipse deducet nos vt juventutem. Intelligitur autem hoc nomine ecclesia, quæ, cum sit sponsa Christi virgo & Alma propter imputatam sponsi justitiam & innocentiam, nominatur* 2. *Cor.* 11, 1. *Cant.* 1, 4. 5. 8. *Apoc.* 12, *Psalm.* 44, 11. *Ezech.* 16, 9. *Eph.* 5, 26. Quamquam autem multa in oraculis divinis inveniantur dicta, quibus ecclesiæ decor & venustas, tanquam virginis pulchræ & sponsæ Christi celebratur, hanc allegoriam tamen, alibi quamvis verissimam certissimamq; & in hoc Psalmi titulo invenire locum, minus apparet. Varia enim sunt, quæ contrariantur, quo minus Raschii asserto subscribere possim. Frustranea quidem sunt argumenta, quibuscum Tarnovius, (1) Sontagius (2) Fidus illius sectator Raschii opinionem convellere sustinuit. Opponit Rabbino: *voces in* ת *servile desinentes, & ita* עלמות *etiam foeminini generis, eamq; ob caussam* עלמות

(1) l. c. p. 209
(2) l. c. p. 207.

עלמות לבנו (pro לְבֵּנָה : qualis vox in nulla terrarum lingva datur, forſitan legendum לִבְּנָה) *ſcribi conveniens eſſe.* Verum, non in Judæum, tantum Virum, tanquam talem, qui genera nominum ignoret, animadvertendum eſſe, cenſeo. Haud enim ſatis Rabbini verba animo ſuo Sontagius mandavit. Raſchio quippe vox לבן minime nomen adjectivum aut concretum eſt, (quod quidem nomini foeminino junctum omnino foeminino genere efferendum eſſe, nec talem latet, qui lingvæ ſanctæ ſcientia tiro eſt,) ſed potius Infinitivus Piel, qui nullam generis differentiam agnoſcit. Quamvis autem iniquus Raſchii ſententiam Sontagius culpet, minime tamen ei adſtipulandum eſt. Evertere eam mihi videtur: (α) quod in omnibus verbi divini libris qui ad manus ſunt, non vna ſed duæ ſeparatæ voces inveniantur. (β) Vt infinitivus Gerundia Latinorum exprimat neceſſario particula ל vel ב, quæ tamen voci לבן mente Raſchii deeſt, præponenda eſt. (1) (γ) Verborum conſtructio requirit, vt infinitivus ſubjecto præponatur, aut ipſi Infinitivo ſuffixum apponatur. (δ) Nullibi in codice ſacro conjugatio Piel à radice

(1) D. Danzii interpr. §. 126. p. 129 edit. maj.

לבן formata reperitur. (s) Accedit, quod hic inſcriptionis noſtræ ſenſus non ſatis argumento Pſalmi conveniat, in quo non de eccleſiæ pulchritudine, ſed de Dei paterna in eam cura, agitur.

§. 9.

Suam ipſius Raſchii ſententiam excipit, quæ eſt Rabbi Menachem, qui עלמות vnam eſſe vocem, quæ reſpondeat titulo Pſalmi 46, 1. (עלמות שיר) arbitratus eſt. Erroneam hanc ſententiam Aben Eſra pronuntiat. Nec immerito. Non enim habetur in noſtro Pſalmo עלמות quod quidem inſtrumentum muſicum pulſatile denotat, ſed עלמות. Nulla autem vrgente neceſſitate, punctorum, ſi θεοπνευςία in dubium vocetur, venerabilem antiquitatem nihil ducens, nimis temerarius mihi videtur. Duriuſcula præterea foret Ellypſis particulæ על. dicendum quippe eſſet על עלמות *in inſtrumento* illo Muſico.

§. 10.

Sententiam Rabbi Doneſch cum in eadem ſtet etiam Aben Eſra, vide infra §. 15.

§. 11.

Rabbi Davidis Kimchii expoſitio hæc eſt. (t)

אמרו

(t) in Comment. in Pſalm. Fol. 10. b. edit. Francofurt. anno 1712.

אמרו רוב המפרשים כי דוד על אחד מאויביו שמת וגם לחץ את ישראל ושמו לבן ובמותו אמר דוד זה המזמור · ויש אומרים כי לבן כמו בין ות והוא גלית שנקרא איש הבינים כאשר הרגו דוד אמר זה המזמור · או על גלית נאמר זה המזמור אבל פירוש לבן למשורר ששמו בן כמו שכתוב בדברי הימים ועמהם אחיהם המשנים בן מעזיאל ושמו בניות : ופרש על מות שהוא שתי מלות כמו מלה אחת מן על עלמות שיר : ואעפ״י שנפתחה למ״ד לבן · ואם כן בא בשם העצם ה״א הידיעה אעפ״י כן בא הידיעה להורות כי על בן המשנה אמר : כי אם היה אומר בשו״א לא היה נכר כי על המשורר אמר ששמו בן.

Dicunt plurimi interpretes, quod composuerit hoc David super vnum ex hostibus suis, qui mortuus erat atq; oppresserat Israelem, nomenq; ejus Labben; quo mortuo exaraverit hunc Psalmum David. Sunt etiam qui dicunt לבן *idem esse quod* (לבין) *cum jod, & intelligi Goliathum qui* (1. Sam. XVII, 4.) איש הבינים *duellator vocatur, & cum illum interfecisset David, hunc cecinisse Psalmum. Aut* (exponunt alii quidem quod) *de Goliatho hic Psalmus agat, veruntamen explicatio* דלבן *fit de Praecentore cui nomen* בן, *vti scribitur in libro*

Chroni-

Chronicorum (Lib. 1, c. 15, 18.) ועמהם אחיהם המשנים בן ויעזיאל, *cognomenq; ejus* (ordinarium) *sit* בניות; *Et explicat quidam* ל״ס על מות; *quod duabus vocibus constat, instar vocis vnius*, *ex* (verbis Psalm. 46, 1.) עלמות שיר; *& quamvis Lamed in voce* לבן *habeat Patach atq; ita in nomine proprio He articuli occurrat*, *articulus* tamen hic vsurpatur ad docendum, quod de Ben cantore loquatur; quod si enim puncto Scheva vsus esset, cognosci non potuisset, sermonem esse, de Cantore cui nomen erat Ben.

§. 12.

Mox allatis sententiis aliam superaddit Kimchius illorum, qui בן præcentoris cujusdam nomen esse existimant. Quam ipsam sententiam Marianæ tribuit Polus. (1) Etsi vero 1. Chron. 15, 18. mentio fiat alicujus præcentoris Ben cognominati, recte tamen monet Aben Esra non esse morem lingvæ dicere לַמְנַצֵּחַ, cum (ָ) sub ל, sequente Dagesch forti, indicium sit extrusi ה articuli. Cujus regulæ veritatem demonstrat ipsa rei evidentia atq; lingvarum analogia. *Pronomen* enim vox est, quæ *pro nomine* seu loco nominis adhibetur, cum autem nomen ipsum

(1) Critic. Anglic., Vol. 2, p. 544.

ipſum proprium adeſt, nulla extat cauſſa, quæ pronomen requirat.

§. 13.

Sed neq; R. Salomo ben Melech Feſſanus prætermittendus eſt. (1)

מות · מקור : לבן · שם אחד מאויבי דוד ובמותו עשה זה המזמור ויש אומרים כי לבן הוא כמו ביו״ד והוא גלית שנקרא איש הבינם וכאשר הרגו דוד אמר זה המזמור · ונכון הוא לדרש זה המזמור על גלית ופירוש אחד להרי״קם בשורש לבן:

מות est infinitivus. לבן est cognomen vnius ex inimicis Davidis, quo mortuo compoſuit hunc Pſalmum. Et dicunt quidam לֹ׳ לבן convenire cum לבין cum jod, eoq; indigitari Goliathum, qui vocatur איש הבינים, quem cum trucidasſet David, dixisſe hunc Pſalmum. Idq; rectum eſt, exponere hunc Pſalmum de Goliatho. Explicatio autem alia invenitur in R. Joſeph Kimchio in radice לבן.

Hanc autem R. Joſephi Kimchii expoſitionem affert Abendana in לקט שכחה ad R. Sal. ben Melech מכלל יופי:

ובשרש לבן : ויש מפרשים לבן כי הוא הפוך מן נבל · והרי״קם כתב כי הלמ״ד לשמוש והוא שם משורר אחד ששמו בן

והוא

(1) in Libr. Michlal Jophi fol. 165, a, col. 2. edit: Amſterd. 1684.

והוא מפורש בדברי הימים כמו שכתוב
ועמהם אחיהם המשנים בן ויעזיאל
ושמרמות וזה המזמור אמרו דוד על מות
גלית ונצוח פלשתי ונגן אותו בן המשורר
ואם תאמר היהלו לומר לבן הלמ״ד בשו״א
כמו לאסף כי לא תבוא ידיעה על שם
אדם ועל שם עיר התשובה אף על פי
שאין מנהג הלשון כן ובא פעמים כן לרוב
הידיע כמו שבא בשם עיר שאמר אשר
בשכו׳ בסכות · בקרקר · וכן אמר לבן
בידיעה כדי שלא יסתפקו בו בלשון בן
מן הבנים לפיכך אמר לבן המשורר הידוע
בשמו לבני עמו:

Sunt qui interpretantur לבן *per* Nabal *quod sit inversio litterarum. Et R. Joseph Kimchi scripsit quod Lamed sit servile, idq; nomen præcentoris cujusdam, qui vocatus sit Ben, cujus mentio fit in libro Chronicorum* : (L. I. C. 15, 18.) ועמהם אחיהם המשנים בן ויעזיאל ושמירמות. *Hunc igitur Psalmum composuit David supra mortem Goliath & victoriam de Philistæis; & pulsatili instrumento modulatus est eum præcentor Ben. Si autem dicas: scribendum ei fuisset* לבן cum schevate sub Lamed *quemadmodum alias est* לאסף: *quia non occurrat* ה *articuli in nomine viri aut nomine civitatis proprio. Quamvis autem non*

sit

sit mos lingvæ ordinarius; occurrit tamen aliquoties ה *articuli, quomodo apponitur nomini civitatis, quando dicitur* משכו בספות *ita dicit etiam,* (autor Psalmorum) בקרקר לבן *cum He articuli, ne forte dubitent de eo propter Ben* (tanquam nomen proprium) & בן de quo בנים (*filii* formatur). *Idcirco dicit* לבן *Ben illi præcentori satis noto, quoad nomen suum, filius populi sui.*

§. 14.

Dignæ pariter notatu sunt breves Aben Esræ observationes:

על מות שתים מלות הם על כן טעה האומר כי הוא כמו על עלמות שיר ועוד למה היה סמוך אחריו למ״ר גם האומר כי לבן היה שם משורר כמו בן ויעזיאל איננו נכון כי אין משפט הלשון לאמור ליצחק ליעקוב בפתחות והלמ״ד כשם אדם כי השם נודע כאשר פירשתי בספר השם . ויש אומרים בין לב הוא נבל הפוך ועל מות איש הבינים ומות בנו והנכון דברי רבי דונש הלוי שהיה שם אחר נסיבי הגוים שלחץ את ישראל כאשר יפרש במזמור.

i. e. עלמות *Duæ sunt voces, ideo errat qui dicit, quod conveniat cum istis verbis* עלמות משר (Ps. 46, 1.) & *amplius quare apponit* (voci, i. e. עלמות sequenti) *Lamed. Etiam* (*errat*) *qui dicit Labben esse nomem præcen-*

præcentoris quasi Ben , (vocati) Ben & Asie (extat 1. Chron. 15. 18.) *id quod minus recte. Nam non est mos linguæ dicere* ליצחק & ליעקב *vt punctaretur Lamed cum Patach in nomine proprio. Nomen enim ipsum jam per se cognitum est (neq; indiget pronomine quod alias* nominis vicem tantum supplet) *quemadmodum declaravi in libro de nomine. Sunt etiam qui dicunt , quod* לבן *innuat Nabalem per transpositionem litterarum; nec non, quod* עלמות *sit duellator , ejusq; filius Muth. Recta autem sunt verba Rabbi Donesch Levitæ : esse nomen principis cujusdam gentium , qui oppresserit Israëlem , sicut etiam demonstratur in Psalmo.*

§. 15.

Ipse igitur Aben Esra , nomen esse proprium hosti Israelitis olim atq; Davidi infensissimo, adserit. Enodavit hæc Aben Esræ verba Drusius : (1) *Donesch Labrati filius nominatus Jario , & Rabbi Adonim Hallevi existimant Labben Satrapam fuisse ejus nominis , qui variis cladibus affecerit Israelitas: vnde occasio Davidi hoc carmen in ejus obitu componendi.* Quapropter in integro Psalmo explicando huic expositioni indulsit. Sic quinto versui : כי עשית משפטי ודיני *qui integrum restituisti jus meum & judicium meum ,* addit : *Ergo hic Labben fecisset iniquum,*

(1) Observ: Sacr. Lib. V. c. VIII.

quum, forsan fregisset foedus; ad 2dum versum: קומה יהוה אל־יעוז ישפטו גוים על־פניך *surge Domine ne invalescat miser homo, judicentur gentes coram facie tua*, ita disserit: *voce* אנוש *intendit regem & subjectos indicat per* גוים. Cum Aben Esra conspirat quoq; R. Obadias in Psalm. 9: *Labben Rex unus nationum terræ Deos colentium.* Ad illum verborum Davidis sensum spectant, quæ consignavit Friedlibius (1) *Psalmus Davidis traditus præcentori decantandus supra mortem candidi, hoc est, exponente Osiandro, mortem clari alicujus viri, quales David multos habuit hostes præsertim ex Philistinis.* Hanc inscriptionis nostræ enodationem minus recte, Tarnovius aliàs lingvæ S. callentissimus vir, animo ac mente concepit. *Quidam volunt, inquit, de morte cujusdam ducis hostium Davidis, quod ut in genere dictum accipimus, ita si ipsi vocabulum Ben nomen esse volunt proprium, rejicimus ob rationem superius ad primam sententiam prioris classis indicatam.* In priori autem classe damnat, qui nomini proprio tribuunt He articuli. Aben Esra autem minime æstimat nomen proprium esse Ben cum ל præfixo, notato cum Patach, propter ה articuli extrusum, cujus vitii Aben Esram insimulat Tarnovius, sed formam potius

(1) Theol: Exeget: p. 517.

nominis illius Labben constituit. Verum enim vero Aben Esræ explicatio minime quadrat; quia neq; nomen illud Labben tanquam Duci hostium proprium legitur in sacris litteris, neq; rei ipsius, vexationis videlicet, qua illum Ducem Labben affecisse Israelitas Aben Esra suspicatur, mentio fit. Cum, quæ digna esset æstimata sancto carmine Davidis, digna etiam fuisset, cujus fata in sacro codice enumerentur.

§. 16.

Peculiarem horum verborum Davidis עלמות לבן enodationem affert Magnus ille Augustus Pfeifferus (1) cujus, variis sententiis prolatis, sic dicta decisio hæc est: עלמות לבן *videtur omnino esse initium cantilenæ tum temporis notæ, ad cujus melodiam Psalmus nonus decantandus erat.* Huic decisioni quam adjecit decisio Venerabilis Tarnovius, brevis quidem, sed satis acuta mihi videtur: *Alii interpretantur de initio Cantici ad cujus melodiam debuerit hic Psalmus decantari, id quod erat probandum.* Probare quidem conatur Pfeifferus ita disserens: *dantur aliæ hujusmodi inscriptiones: sic e. g. Psalmus 57 inscribitur* אל תשחת, *quo ille innuitur, decantandus ad modos melodiæ tritæ, cujus*

(1) Dub. Vexat. Loc. LIII. p. 565.

cujus initium אל תשחת *ne perdas. Ita commode h. l.* על מות לבן *vertas: Psalmus decantandus ad modos cantilenæ, quæ dicitur* vel incipit מות לבן q. d. Germanice im Thon &c. (1) Verum probat hic Doctissimus vir dubium quid per æque dubium. Quod enim Psalmum LVII. attinet, adhuc sub judice lis est, vtrum אל תשחת initium carminis alias noti sit, nec ne. Dicendum enim fuisset Davidi: על אל תשחת *Ad modum illius carminis Al Thaschchet.* Quæ intuens Chaldæus Paraphrastes verba Psalmi LVII, למנצח אל־תשחת לדוד מכתם בברחו מפני שאול במערה vertit: לשבחא על עקתא בזמן די אמר דוד לא תחבל אתאמר על יד דדוד מכיך ושלים במערקיה מן קדם שאול באספליתא: *Ad laudandum pro molestia, tempore quo dixit David: ne destruas, dictum est per manum Davidis modesti & integri cum fugeret ab aspectu Saulis in speluncam.* (2) LXX. interpretes verba אל־תשחת non alterius cantici initium sed hujus inscriptionem æstimarunt: Εις τὸ τέλος, μὴ διαφθείρῃς, τῷ Δαυὶδ εἰς στηλογραφίαν, *in finem; ne disperdas, Davidi sit tituli inscriptio.* Cum igitur hæc expli-

(1) Conf. Alstedius Triumph. Bibl. p. 151. Kircherus Musurg. T. I. L. 2. c. 5. p. 50.
(2) Bibl. Buxtorf. T. II.

explicatio Psalmi LVII. dubia controversaq; sit, minime ea Doct. Pfeifferi sententiam circa Psalmum IX probare valebit. Accedit, si Almuth Labben initium alicujus cantilenæ esse putes illam aut fuisse divinæ originis aut non! si illud! non periisset; si hoc! minus probabile est, Davidem Psalmum suum divinum ad regulas & melodiam illius profani accommodasse.

§. 17.

In Midrasch Tillin reperiuntur, quæ exponendum esse svadent hunc titulum Psalmi: *De die mortis & judicii, vel de mercede futura, quam oculus non vidit Es. 64 & Ps. 31. quam multa est bonitas tua; vel de tempore redemptionis incerto, de quo Dan. 12, 10. verba sunt signata & abscondita vsq; ad finem temporum.* Sic igitur perspicua veritatis evidentia in tantis inscientiæ errorisq; tenebris clarissimum lumen prætulit vel nonnullorum Judæorum menti, vt hoc Davidis vaticinium tempore Messiæ implendum æstimare fuerint coacti; quamvis Caiphæ vestigia persequentes quid dicant, ipsi ignorent.

§. 18.

Restant adhuc, qui interpretantur: *De occultis filii*; derivantes nimirum על

עלמות

עלמית pluralem à ſing. numero עלמה. cujus radix eſt עלם *abſcondidit*: in diverſas autem ſententias abeunt. Arbitrantur nonnulli Tarnovio teſtante, eſſe hunc Pſalmum orationem Davidis, quam pater Deo effuderit, pro occultis filii ſui Salomonis peccatis, ne Deus ea ipſi imputaret; ſed felicem in futura regni adminiſtratione ſucceſſum clementer largiri vellet, quemadmodum Hiob pro occultis filiorum ſuorum peccatis ſacrificia obtuliſſe legitur Job. 1, 5. Adverſatur autem huic explicationi ellipſis præpoſitionis עַל nunquam niſi vrgente neceſſitate admittenda. Præterea in integro Pſalmo neγρὺ quidem eſt, quod hunc de ſacrificiis eſſe dictum confirmet. Quod maximum! totius Pſalmi argumentum eſt debellandi hoſtes. Salomo autem pacificus ille rex verè de ſe prædicabat 1. Reg. v, 18. ועתה הניח יהוה אלהי לי מסביב אין שטן ואין פגע רע: *& nunc mihi quietem dedit Dominus Deus meus vndequaq;, non eſt adverſarius mihi, neq; obſtaculum malum.* Alii, quibus annumerandus eſt Chryſoſtomus, de *Secretis filii* exponentes, intelligunt filium mortis & perditionis. *Nam myſterium eſt iniquitatis myſterium Anomi* 2. Theſſ. 2. Ideo ad verba v. 5. ישבת לכסא שפט צדק *con-*

 ſediſti

sedisti in throno rectum judicans, dicit Chrysosthomus: *destruens eum & post eum regnans*, *velut in Apoc.* 20, 8. 9. 10. ad vs. 7. האויב תמו חרבות *o inimice consummatæ sunt vastitates*, inquit ecclesiam non devastabis amplius; ad vers. 13. דרש דמים *quærens sangvines*: *martyrum Jesu*. Vtrum autem בן in litteris sacris filium illum denotet, & sibi sumere liceat, integram vocem *perditionis* supponere, totumq; sensum huic voculæ בּ: affingere, vt credam nunquam adducor. Tandem etiam quidam, voces על מות לבן latine reddentes: *de absconditis filii*, filio Dei vnigenito eas tribuunt, & existimant, voce filii indicari κατ' ἐξωχὴν illum filium Dei & hominis, de quo Ps. 8, 5. illum filium Davidis promissum toti mundo, cujus sponsa est ecclesia electorum in terris occulta, invisibilis & abscondita, vt Bellarminus explicat: quia tractatur in hoc Psalmo de vnico illo Dei filio, qui in carne humana delitescens vicit Diabolum & exercitum ejus; & Apostolus vocat mysterium absconditum à seculis Col. 1, 26. Rom. 16, 23. Eph. 3, 9. Inter hos primum sibi locum vendicat μετάφρασις LXX. interpret: ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ

pro

pro occultis filii. Sontagius (1) affert scholia Græca anonymi: ὑπὲρ τῶν ἀκαταλήπτων μυστηρίων τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ λέγει καὶ τὰ κρυφίως πεπραγμένα τῷ Σωτῆρι δηλοῖ. Πολλὰ δὲ ἦν αὐτοῦ τὰ κρυφίως πραττόμενα. ἥτε ἐκ παρθένου διὰ πνεύματος ἁγίου κατὰ σάρκα γέννησις, αἵτε παράδοξοι καὶ θαυματουργοὶ δυνάμεις, ὅτε θάνατος αὐτοῖς καὶ ἡ εἰς ᾅδου κάθοδος, καὶ ἡ ἐκ νεκρῶν ἀναβίωσις. Ταῦτα γὰρ πάντα κρυφίως αὐτῷ πέπρακται. Ἀπέκρυψε γὰρ αὐτὰ καὶ τοῖς ἄρχουσι τοῦ κόσμου τούτου. *De incomprehensibilibus mysteriis filii Dei loquitur & manifestat ea quæ occulte Salvator egerat. Multa vero ipsius erant in occulto acta v. g. nativitas ipsius ex Maria virgine per Spiritum S. tum incredibiles & miraculosæ virtutes, tum ipsa mors & descensus ad infernum, tum ipsa à mortuis reviviscentis resuscitatio. Hæc enim omnia in occulto ab ipso facta. Occultavit enim ea principibus hujus mundi.* Pergit Sontagius: *his consinia docet Theodoretus comm. h. l.* Κρύφιον δὲ τοῦτο τὸ μυστήριον οἱ Ἑβδομήκοντα προσηγόρευσαν, ἐπειδή τε τοὺς ἄλλους ἅπαντας, καὶ μὲν τοι καὶ αὐτοὺς τοὺς Ἀποστόλους πρὸ τοῦ τέλους ἐλάνθανε. Καὶ μάρτυς ὁ εὐαγγε-

(1) De Tit. Psalm. p. 105.

εὐαγγελιστής. Τοῦ γὰρ κυρίου πολλάκις αὐτοῖς εἰρηκότος. Ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται κτλ, ἦν τοῦτο κεκρυμμένον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Διὸ καὶ μακάριος παῦλος βοᾷ. Σοφίαν λαλοῦμεν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν. Εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν. Καὶ πάλιν, τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, *absconditum vero hoc mysterium LXX. pronuntiarunt, siquidem & omnes alios, & maxime Apostolos ante consummationem latuit. Et testis est Evangelista. Domino enim sæpe ipsis dicente: ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur &c. erat hoc absconditum ab oculis eorum.* Idcirco & *S. Paulus clamat: Loquimur sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam nemo principum hujus mundi cognovit. Si enim cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Et rursum: mysterium a seculis & à generationibus absconditum.* Hanc patrum explicationem sic adamavit Isaacus Vossius (1) vt solam hanc versionem sinceram esse, & ἀναμάρτητον, exclamaverit. Versio Arabica idem continet

(1) De Translatione LXX Interpr. p. 98.

tinet argumentum: *De mysteriis filii quoad gloriam Christi ejusq; resurrectionem ac regnum atq; interitum omnium inobedientium* (1). Omnibus autem his *de occultis filii* explicationibus refragatur: א) Quod in cunctis Scr. S., quæ ad manus sunt, editionibus non vna vox: עלמות sed duæ distinctæ: על־מות inveniantur. ב) Finge vnam, quod Masora vult, vocem esse, non tamen à singulari עלמה pluralis esset עלמות sed עלמות. Nunquam enim formam pluralis ות legisse mihi contigit. ג) Duriuscula particulæ על Ellypsis eam sententiam impugnat.

§. 19.

Ne autem Musculum habeamus nobis documento, qui allatis nonnullorum circa has voces sententiis addit: *sed in tanta varietate non modo nostrorum sed & Ebræorum, eligat sibi quisq; quam sequatur sententiam*; nostram על־מות רבן l. א. enodationem simplicem sine pigmentis & fuco, pietati & veritati divinæ magis, quam scientiarum, quæ nullæ sunt, & ingenii ostentationi inservientem, in medium proferre sustinemus. Cum autem me inter tantos viros quasi judicem interponere

Pp 5 ausus

(1) vid. Bibl. Polyglott. Angl. Tom. III. p. 97. lin. 54. 55.

a usus sim, solicitus vereor, ne talis audacia modestiæ victrix criminosa esse possit. Regula Talmudistarum me quidem non latet, quæ legitur Tr. Pirke Abhoth (1)

הילל אומר אל תפרוש מן הצבור ואל תאמן בעצמך עד יום מותך ואל תדין את חברך ועד שתגיע למקומו׃

Hillel dixit: ne segreges te ab ecclesia, neq; credas tibi ipsi vsq; ad diem mortis tuæ, neq; judices proximum tuum donec accesseris ad locum ejus. Verum quamvis, *μηδέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσσῃς quod minime simplices homines dijudicare deceat,*] probe edoctus sim, majoris tamen duxi Servatoris mei gloriam, veritatis demonstratione adaugendam, quam criminationem Judaizantium Christianorum hac explicatione fortè mihi contractam. Verba igitur

למנצח על־מות לבן מזמור לדוד׃

latine reddimus:

Præcentori: De morte Filii illius canticum Davidis.

Explicatio למנצח non est hujus loci. Si autem quis, an vox על Latinorum præpositionem: *de*, denotet, dubitet, sciat ille: particulam על quasi Proteum esse

(1) Cap. 2. sect. 4.

esse plurimarum præpositionum; præterea etiam idem est quod Latinorum *de*: Gen. 18, 19. למען הביא יהוה על אברהם את אשר דבר עליו *ideo induxit Deus super Abrahamum omne quod locutus erat de eo.* Alteram vocem מות *morte* non quidem nomen, cujus forma absoluta מָוֶת constructa מות est, esse putamus, sed Infinitivum conjugationis Kal. Quod Infinitivus autem nominis vicem interdum sustineat, testatur Summe Rev. Danzii regula: Infinitivus sæpe non sola constructione sed & significatione in nomen degenerat (1). Voculam מות excipit vox לבן quæ crux criticorum, vt Pfeifferi locutione (2) vtar, & quasi pomum Eridos interpretum est. Hebræis בן absq; י scriptum semper *filium* nunquam autem *inter* significat. Alia enim diversarum Illarum vocum radix est, alia igitur & significatio. τὸ בין nomen constructum est absoluti בַּיִן quod *medium*, denotat, *intervallum*, distinctionem perinde vt Arabum בינון *buinon*, quod modo nominis significationem habet jam indicatam, modo particulæ *inter*. Radix itaq; τῶ בין Arabica est,

(1) Interpr. §. 129. p. 133 edit. maj. confer. Buxtorf. Thes. Gram. p. 501 edit. Vtæ.
(2) in dissert. de voce כאבי adhibita.

est, cujus expositio: *distingvi*; τὸ בן autem absq; י scriptum, agnoscit radicem Hebræam בנה *ædificavit, extruxit.* Sic nobis stat, in hac Psalmi inscriptione בן non idem esse quod בין, nec præpositionis *inter* sed *filii* sensum inferre. Qualis autem filius intelligitur? Declarat illud ה emphaticum, ille sc. filius suis jam satis cognitus, unigenitus Dei filius, quo nomine toties in Scr. S. vocatur. Nec impedit quo minus ita explicari liceat, litera ל, quam plerumq; Dativi notam esse fateor quidem; sed eandem & Genitivum designare apparet ex Jon. 4, 5. וישב מקדם לעיר *& consedit versus orientem urbis illius*, ita Psalm. 116, 15. יקר בעיני יהוה המותה לחסידיו *pretiosa est in oculis Domini mors piorum suorum* & Num. I, 50. 53. סביב למשכן *circuitu tabernaculi.*

§. 20.

Tam paucos autem ex tanta interpretum cohorte huic sententiæ suam explicationem adscripsisse, quis abunde mirari potest. Neminem enim offendere mihi contigit excepto solo Johanne Coccejo S. Theologiæ in Academia Lugdunensi quondam Professore, qui (1) sequentem in modum disserit: *David igitur*

(1) in Comment. in Psalm. p. 451. b.

vt propheta in spiritu sancto verbis ecclesiæ celebrat victoriam Dei de hostibus ejus. Paulo post: *nihil est vicinius argumento Psalmi VIII, ravi, in quo cum actum sit de regno Christi in tota terra, & quidem ita, vt omnia supponantur pedibus ipsius; hic nihil aliud erat expectandum quam vt ageretur de hostibus regis Christi & illorum debellatione.* Coccejo nemo adjungendus venit, nisi apponere velis autorem versionis Syriaca, qui Psalmi titulum ita interpretatus est: לדויד · מוטבא דמשיחא ונסיבוטו דמלכותא וגו̈ *Davidis: Sedes Messiæ & susceptio regni, oppressio hostis (Domini infamiæ).* Quanti autem æstimandum sit versionis Syriacæ testimonium, videre est in Hottingeri Thesauro Philologico (1). Orientalis enim ille litteraturæ coryphæus prolato Gabrielis Sionitæ (2) asserto: *quod David seu Psalmi Davidici* בזבנה דשלמון בפיסא דחירם רחמה מלכא דצור *translati fuerint tempore Salomonis exorante Hiram Rege Tyri ejus amico,* hæc consignavit: *Quamquam vero non ignorem quorundam Syrorum sententiam, existimantium, V. ac N. T. versionem Syriacam factam esse tempore S. Thaddæi & regis Abgari: prior tamen opinio inde probabilior*

(1) Lib. I. C. III. Sect. VII. p. 266.
(2) Ex Præfat. in Psalt. Syr.

babilior videtur, quod D. Paulus ad Eph. 4, vsus est versione Syriaca. Vbi docere volens, vnicuiq; nostrum datam esse gratiam secundum mensuram donationis Christi ex authoritate Davidis Ps. 68. ait: ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quumq; Psalterium Hebræum, Græcum ac Latinum vtantur verbo accipiendi; accepisti dona in hominibus, solum Syriacum D. Pauli verbis & consilio respondeat, cujus verba sunt: סלקת למרומא ושבית שביתא : מהבת מוהבתא . לבנינשא : *ascendisti in altum & captivam duxisti captivitatem, & dedisti dona hominibus; fateri procul dubio debemus, D. Paulum Syriaca versione vsum, sicq; eam Apostolis antiquiorem esse.* Superest adhuc sententia Euthymii, quem nobiscum conspirare, & de morte Christi, qui devicerit Satanam & omnes hostes, intelligere testatur Friedlibius l. c.

§. 21.

Si autem quis à nobis sententiæ nostræ, cum suæ forsitan non reddere possit, rationem reposcat, quinq; momenta, quæ eam svadeant, esse sciat. Integer Psalmus non ad tempora Davidis sed Messiæ spectat, quod vel inviti confessi sunt Raschi, autor Medrasch Tillin; idem senserunt autores versionum Arabicæ & Syriacæ, Lutherus, Gesnerus & alii. Historia

ſtoria etiam vetuſti temporis & rerum Davidicarum, cui Pſalmus integrè accommodari poſſet, non extat. Quæ ſi extaret, nihilominus diſplicere non poſſet, quod Auguſtinus dicit ad Pſ. VII: *Quoniam non ipſa hiſtoria conſideranda eſt de qua Propheta in myſteriorum velamen aſſumſit, ſi tranſitum ad Chriſtum facimus auferatur velamen.* Jure merito. *Si enim aliquid in Davide & aliis ſanctis eſt typicum & præumbrans aliquid majus, & hoc Sp. S. per Pſalmos hos docere voluit:* verba ſunt Cocceji l. c. Itaq; omnis, qui gloriam Dei omnium actionum noſtrarum finem agnoſcit, rectam explicationem pronuntiabit, & omnis, qui Chriſtum omnis Prophetiæ ſcopum eſſe non ignorat, in noſtram ibit ſententiam. Quæ enim ſtupiditas eſt, cum Judæis velle hærere in vmbra, imo ne illam quidem vmbram & ſolam ſpeciem æſtimare: quum in ipſo corpore fulgidisſimos intueri radios valeamus. Luſtranti amplius cunctas alias allatas explicationes haud ægre apparet, eas inexplicabili nodo involutas varia, quæ contrarientur, circumſtare. Quid igitur vetat, quo minus cortice omisſo nucleum ſectemur & à tenebris ad ſolem ſuſpiciamus. Noſtra enim enodatio ſimplicisſima eſt, quæ nihil habet, quod ego quidem contra putem. Tarnovius

quidem

quidem nævos quosdam objectare annititur, quorum pleriq; ad eos pertinent, qui על מות לבן de absconditis filii exponunt. Sola quarta ratio, vt contrarietur nostræ sententiæ ab eo allata, pungere nos videtur: *Non agi in hoc Psalmo de victoria illa, quam Christus à Diabolo reportavit, in analysi paulo post declarabitur in sententiæ veræ confirmatione. Interim hujus opinionis falsitas vel inde satis patet, tum quod diabolus non sit* אנוש *vers.* 20. 21. *tum quod nec ejus exercitus gentes, a quibus ait Psalmus hic deportatam esse victoriam, easq; penitus deletas vers.* 4. 7. 16. *eo quod effudissent sanctorum hominum sangvinem* (1). Verum salvatorem nostrum adorandum non de spiritualibus tantum, sed & terrenis suis hostibus victoriam reportasse, non ambigitur. Porro diabolum non esse אנוש & me quidem non fugit; attamen impios homines Diaboli instrumenta, & speciem ejus præ se ferentes, personamq; illius quasi repræsentantes esse nullus dubito. Restat adhuc quoddam quod hujus expositionis nos commonefaciat, ה videlicet demonstrativum vocis לבן, quæ dicitur pro להבן. Hic patefactus est indiciis & confessionibus suis Tarnovius: *punctum extrusi* ה *emphatici innuere videri illum filium Dei & Davidis*, fassus. §. 22.

(1) p. 209.

§. 22.

Nostra tandem allata Davidici tituli expositione, cum ad exitum pervenit oratio, liceat nobis adjicere Gnomen quandam Cocceji in præf. Comment: in Psalmos adhibitam: *Cum de sensu Scripturæ dissideamus, & vterq; vtatur iis modis & viis quibus judicat se ad verum sensum pervenire posse, nec tamen post adhibitam diligentiam in eundem conveniant, quæritur, vtriusvam judicio standum? respondeo: non potest nisi vera via interpretationis probari: quæ est* κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως προφητεύειν, πνευματικὰ πνευματικῶς συγκρίνειν, *qui secundum eam viam procedit recte judicat.* Nec mihi quidquam deliberatius fuit, quam Christianam veritatem ante oculos proponere. Ex quo pauculo nostro labore, Benevole Lector, si fidei incrementum capias, eoq; allectus majori cum voluptate sancta Davidis Cantica legas, aut incitatus meditando magis ad intelligentiam provehi studeas, erit de quo gaudeamus, Deoq; jucundissimas gratias agamus.

תו״ש לבע

II.

Pausanias, Graecus scriptor, interpres Sacri * Codicis, ex curis

Joannis Christophori Harenbergi

sacris

Pars Prima.

---

§. I. Enarratur concise vita & scriptorum ratio Pausaniae, innexo brevi iudicio de stilo, rebus & fide eius. §. II. Adseritur, non omnia scripta ante exsilium Babylonicum vel poëtice vel hieroglyphice seu mythice fuisse adornata. §. III. ιδιωτης τω λογω *2. Cor. XI. 6. non est* rudis dicendi, *sed ille, qui publicas oratorum rhetorumque consuetudines vitat. §. IV.* De bysso *ad Lev. XVI. 4. agitur varia. §. V. Vnde* Phoenice *nomen tulerit, &* ארץ ארום *disquiritur. §. VI.* שעירים רוקדים *Es. XIII. 21. XXXIV. 14. sunt miserrimi mor-*

---

* Ita M. *Petrus Adolphus* Boysen 1718. Progr. dedit de Herodoto Scripturae interprete, ubi maius volumen promisit.

mortalium, pellibus ferinis prae inopia vestiti, cursitantes ad paullulum cibi adquirendum.

§. I.

P*Ausanias*, Caesariensis, Sophista fuit inclytus, celebratissimus nomine eruditi operis, quod της ελλαδος περιηγησεις inscripsit librisque decem complexus est. Situm vrbium ac locorum, immo Graeciae memoratu dignas antiquitates, praecipue statuas & inscriptiones Deis heroibusque positas in eis, insigni cum studiosorum philologiae & historiae antiquae commodo, delineauit. Exstat in eos latina *Romuli Amasaei* interpretatio, plerumque laxior, & aliquando sensum interpunctionibus & proprietati vocum inligandum minus fideliter reddens. Merita *Guilielmi Xylandri* & *Friderici Sylburgii*, tandemque *Joachimi Kühnii*, Argentoratensis, in Pausaniam sunt satis magna, quippe qui textum emendarunt, varias lectiones diligenter conlegerunt & auctorem suum pristino nitori maxima cum solertia restituere conati sunt. Vsus sum editione 1696. fol. satis nitida & accurata, ex qua locos deinceps proferre animus est. Aetas scriptoris nostri incidit in fasces

Marci Antonini Imperatoris, adeoque in ſaeculum a nato Chriſto ſecundum. Quare is ſtilo & origini foederis noui conſcripti fuit propinquus. Cappadocum more, quippe ipſe Cappadox, conripiendas ſyllabas producit, producendas conripit, rebusque ipſis intentus genere ſcripturae, floribus & copia deſtituto, delectatur. Multae in eo ſunt fabulae, partim quia Deorum adparatum & plurima ex aeuo mythico contexuit, quod facere ei erat necesſum, partim quod in extraneis debita notitia carebat. Ita Indiam orientalem Aethiopiae Africanae contiguam cum aliis ſtatuit, ratus Euphratem paludi immerſum diuque latentem ſupra Aethiopas Nilum gignere, in *Corinthiacis* ſeu L. II. c. 5. p. 122. Seras, populos extremi Orientis, Aethiopibus Afris (1) reddit conterminos, in *Eliacis poſt.* ſeu L. VI. c. 26. p. 520. De fontibus Nili error manifeſtus occurrit L. I. c. 33. p. 82. quem cum permultis ſuae aetatis ſcriptoribus habet communem. Omitto alia. Inde tamen nondum ſequitur, *Graeculorum omnium mendaciſſimum*

(1) Similiter ſtatuit *Huetius* in *Demonſtr. Euang.* Prop. 4. c. 3. §. 2. p. 97. & *Chriſtianus Schottgenius* Disſ. II. de *Inſcriptionibus Hebraeorum* §. 17. p. 9.

cissimum fuisse Pausaniam, vti *Josepho Scaligero* Comment. in L. I. de plantis p. 89. ed. Crisp. videtur. Ipse enim noster L. I. c. 3. p. 9. reprehendit nonnullos priscarum rerum ignaros, qui omnia pro veris habeant, quae a pueris ex choris & tragoediis acceperint. *Lexicon* Pausaniae, *Photio* laudatum *Bibl. Cod.* 153. superesse, putat *Morhofius Polyhist. Litter.* L. IV. c. 7. n. 8. quod mihi exquirere nondum licuit. Scripsit ad haec quoque *Asiatica*, saepius laudata a *Stephano Byzantino* in *Ethnicis*, quae vtinam restarent, siquidem Phoenicica, Syriaca, & antiquitates ac Geographiam Palaestinae veterem haud dubie inde inlustrare possemus. Auctor enim, Syriam, Phoenicen & Palaestinam a sese perlustratas esse, aperte fatetur. Conf. L. III. c. 21. p. 264. L. V. c. 5. p. 385. L. IV. c. 35. p. 370. & rel. De Pausania conferantur *Philostratus* de *Vitis Sophistarum* L. II. *Gerardus Joannis Vossius* de *Histor. Graecis* L. II. c. 14. p. 227. 590 *Joannes Albertus Fabricius*, Polyhistor nostrae aetatis summus, *Biblioth. Graec.* L. IV. c. 15. p. 630. *Daniel Morhofius Polyhist. Litter.* L. IV. c. c. 7. n. 8. & testimonia editioni nostrae praefixa.

§. II.

Sunt nonnulli in ea ſententia, genus ſcripturae mythicum ac hieroglyphicum viguiſſe ante Judaeorum deportationem in exſilium Babylonicum. Quaeſtionem ipſam in membra complura diribere liceat, vt diſtinctius inde profluat iudicium. Quaeri poteſt (1): An omnia olim de quacunque materie ſint ſcripta per ſymbolorum mythorumque inuolucra intra & extra Graeciam ante exſilium Babylonicum. Quaeri poteſt (2): An ſtilus poëticus in Graecia fuerit prior, pedeſtris poſterior, non duntaxat ratione comoediae, ſed cuiuscunque materiae. Quaeri poteſt (3): An poëtarum ſtilus omnis ante excidium Babylonicum fuerit hieroglyphicus. Ad ſingulas quaeſtiones non ſecus ac negatione interpoſita reſpondere licet. Primam quaeſtionem inluſtraturus illud praecipue memoratu dignum videtur, quod nonniſi *ſignis fixis* vti potuerint mortales primi in ſermonibus inuicem caedendis. Prolatio vocalis ac articulata ſignorum illorum fixorum ac conſtantium conſtituit colloquium. Hac ratione largior facile, ſermonem mortalibus primis haud ſecus ac nobis fuiſſe ſymbolicum, ſiquidem voces & termini ſunt ſymbola & ſigna rerum. Verum de hiſce ſymbolis quaeſtio non fuit

xcitata. Res redit ad symbola vocum
omposita, quae nonnisi interuentu sim-
licioris ideae tertiae vocisque propriae
ntelligi potest. Ita Aegyptii per anima-
a, cornua & alia hieroglyphica denota-
ant reges regumque maiestatem. At nisi
ntelligas similitudinem inter cornu & po-
entiam humanam pro symbolo fixo per
onsuetudinem vel ex pacto positam, sen-
um natiuum & naturalem inde haurire
on licebit. Quapropter hieroglyphica
la & allegoriae schematum nec poni nec
xponi possunt, nisi voces terminiq; iam
nt noti, vnde ortus prodit & in quos
er explicationem rursus resoluitur. Quis
gitur dubitat, signa natiua & simplicia
ocum propriarum & articulatarum esse
riora hieroglyphicis? Idem ostendo ex
lio fonte. Omnes hieroglyphici partes ex-
ra texturam sunt voces propriae & nati-
ae. Exempli loco sit Europa boue vecta
x Phoenice in Cretam. Quis *boue* audito
on intelligit animal quadrupes? Quis re-
ionibus illis auditis non incidit in noti-
nes Geographicas natiuas? Et quia signo
imilitudo esse decet cum signato, ergo
nythus, similitudini insistens, non est
oce explicabilis (1) nisi ex signis natiuis
Qq 4 &

1) Exemplum rei adlatae fictum occurrit en Voyages du Capitaine Lemuel Gulliuer T. II. p. I. c. 5. p. 49. sq. Hagae Com. 1727. 8.

& propriis & naturaliter differentibus. Ponitur igitur in omni mytho & allegoria fundamentum ſignorum ſeu terminorum propriorum, adeoque id, quod ſupponendum eſt ſtruendis mythis, prius & facilius eſt, quam hieroglyphicum, aenigma, mythus, allegoria. Aegyptiis ea de cauſſa erat duplex ſcriptura, altera aenigmatica pro rebus ſacris, altera pro commercio politico, epiſtolico, communi. Illam ἱερατικὴν, ἱερογλυφικὴν, ἱερὰν vocabant; hanc ἐπιςολογραφικὴν, κοινοτέραν. *Pauſanias* prodeat tandem in medium. Heic memoriae prodit L. I. c. 36. p. 196. genera morborum ab Aeſculapio aegris prodita in Epidauriorum pilis inciſa fuiſſe. Licet enim inſcriptio fuerit recentior, materies tamen fuit antiquisſima, verbis propriis haud explicabilis, niſi ſigna natiua & articulata, ſeu litterae, morborum genera cuſtodiisſent. Idem inſcriptiones adducit, quae antiquitatis praeſtantia vltra excidium Babylonicum adſurgunt, nec tamen mythice ſunt conceptae. Quis credit, Heſiodi *Opera & Dies* mythorum inſtar eſſe? Solue menſuram poëticam, ſtilumque habebis planisſimum, mythis carentem. Nec Heroës Homeri per mythos conloquuntur, ſed plerumque per verba

verba maxime propria & propoſitiones natiuas. Leges ſane Cecropis, Theſei, Lycurgi, Amphiarai, Trophonii, Orphei, Muſaei, Zamolxis, Chaldaeorum, Magorum & Gymnoſophiſtarum fine ſuo fuisſent deſtitutae, ſi aenigmatice fuisſent conſcriptae. Vndenam norant Athenienſes, Θησεα ειναι τον καταϛησαντα Αθηναιοις εξ ισȣ πολιτευεσθαι, *Theſeum aequabilem reipublicae adminiſtrationem Athenienſibus conſtituiſſe*, auctore Pauſania L. I. c. 3. p. 8. niſi per vocabula propria ex Theſei aeuo factum poſteritati fuisſet proditum. Nam primo adparebat ζευς ελευθεριος, *Jupiter liberator*, poſt XII. Dei, επι δε τῳ τοιχῳ τῳ περαν Θησευς γεγραμμενος και δημοκρατια τε και δημος, *in oppoſito autem pariete Theſeus inſculptus & populare imperium & populus.* Ignorasſent Athenae, Theſei nomen heic esſe addendum, niſi nomen proprium propria & articulata voce ad ipſos peruenisſet. Inſcriptiones in Iſidem & Oſiridem vetuſtisſimae per litteras voceſq; proprias erant adornatae, auctore *Diodoro* L. I. c. 27. Eodem modo Osmanduae inſcriptio fuit facta c. 47. Quid de Seſoſtri vel Seſooſi dicam? Hic terminis expeditionis in Thracia conſtitutis, cippos vbique terrarum bello adquiſitarum

erexit, ſacris Aegyptiorum litteris, hoc verborum indicio inſcriptos: *Hanc prouinciam armis ſuis deuicit rex regum & dominus dominorum Seſooſis.* c. 55. Obiter animadverti poteſt, latere in hac expeditione fabulam de bello gruum, quorum in Thracia ad Strimona erat vis mira, & pygmaeorum, quales Aethiopes & Aegyptii videbantur robuſtis proceriſque Thracibus. „Habebant adhaec ſacerdotes Aegyptiorum antiquisſimi conſulta quaedam & facta clarisſimorum virorum, quae interpretum ſacrorum ſummus regi ex ritu vetuſtisſimo praelegebat, vt princeps reipublicae, honeſtisſimorum conſiliorum rationes animo conſideratas, ad praeſcriptam ſingulorum adminiſtrationem ſimili modo accommodaret c. 70. Fuerunt igitur hiſtoriae Aegyptiis antiquisſimae & verae & nude deſcriptae. Nec tamen imus infitias, ſeu dubitamus, quin plurimae inſcriptiones per ſymbola, non litterarum, ſed rerum fuerint confectae, quarum ſaepius interpretatio per iniuriam temporum fuit deperdita. Theogoniae continebant hiſtoriam heroum, dederuntque occaſionem poëtis, vt ad earum normam poëmata effingerent. Verum licentia & additamenta poëtarum, vetuſtisſimae hiſtoriae iactura vel ſcriptionis

omisſio,

omisſio, & alia momenta ſpem fere intercipiunt, quo minus mythos antiquos penetrare & euoluere liceat. Eſt igitur ſatis certum, non omnem ſcriptionem ſeu intra ſeu extra Graeciam ante exſilium Babylonicum fuiſſe mythicam. Grammatiſtice interim Graeca ab ea, qua iam vtimur, olim mirum in modum diſcrepabat. Scribebant enim Graeci antiquisſimo aeuo βυςροφηδὸν, i. e. lineas ſcripturae dextrorſum ſiniſtrorſumque per vices effigiabant, teſte Pauſania L. V. c. 14. p. 411. Origo eius coepti ad Ebraeos & Phoenices eſt referenda, qui ſemper a dextra verſus ſiniſtram duxerunt ſcriprurae ſeries, vti haud incommode ex inſcriptione Delphica apud Plutarchum nonnulli planum faciunt. Videatur D. *Bernardus de Montfaucon in Palaeographia Graeca* L. I. ſqq. Pergendum nunc eſt ad quaeſtionem alteram, an poëtica ſcriptio apud Ebraeos & Phoenices fuerit antiquior pedeſtri. Adfirmat hoc ipſum Strabo L. I. f. 18. & ex eo *Hermannus von der Hardt* in *quaeſtione recentisſima de Pherecyde & Herodoto, Diodoro Siculo & Apollodoro, eorumque ſymbolico ſcribendi charactere* p. 7. (1) Strabo ſic habet: *Vt dicam, quod res eſt, pedeſtris*

(1) Helmſtadi 1719. 4.

pedestris oratio, quae quidem sit arte parata, poeseos est imitatio. Primo enim omnium poeticus adparatus in medium prodiit, & adprobationem meruit. Postea imitantes illum, mensura dissoluta, reliquis poeticis conseruatis, sua conscripserunt Cadmus, Pherecydes atque Hecataeus. Planum sane est, Straboni de oratione pedestri vulgari, artis experte & adprobationis publicae exsorte sermonem non esse, ideoq; Strabonis verba, siquidem restricte sunt prolata, restricte etiam capienda esse. Liquet eius rei veritas ex *Pausaniae* L. II. c. 37. p. 199. vbi, quaedam & versu & prosa Dorice scripta esse ante Herculis liberorum in Peloponnesum reditionem, perhibet. Haec euenerunt igitur multo ante Cadmum, Pherecyden & Hecataeum. De Cadmo *Plinius* H. N. L. V. c. 29. (1) *Miletus Ioniae caput — nec fraudanda ciue Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit.* Aetas eius in Cyri monarchae initia incidit. Nam idem L. VII. c. 56. *Prosam orationem condere Pherecydes Syrius instituit, Cyri regis aetate: historiam Cadmus Milesius.* Lege *historicam*, & subaudi *orationem* ex praecedentibus. Jam enim

(1) *Solinus* c. 53. *Miletos Ioniae caput, Cadmi olim domus, sed eius, qui primus inuenit prosae orationis disciplinam.*

enim historiam scripserunt alii ante Cadmum. Ita Pherecydes, quia erat philosophus, primus orationem prosam philosophicam adhibuit; Cadmus autem, historicus quippe, prosam historicam. Crisin hanc omittit, rem ipsam adprobat fautor amicissimus *Christophorus Augustus Heumannus* in *Via ad historiam litterariam* c. 3. §. 18. p. 33. sq. ed. 1726. 8. Ita contradictioni adparenti, quae male habebat *Salmasium* in *Exercc. Plin.* p. 840. sq. *Pintianum* ad Plin. L. V. c. 29. p. 294. T. I. ac *Ptolemaeum Flauium* c. vlt. *Centuriae criticae* in *Gruteri Thesauro critico* T. I. p. 994. sq. remedium est adlatum. In codice sacro foederis antiqui prosa versus praecedit. Ita indubie inter gentes quoque vicinas factum est. Vetustissimae enim inscriptiones in litteras redactae & expressae poëtico amictu carent; Hieroglyphicae vero versus ne patientes quidem sunt. Mosaica altaris inscriptio Ex. XVII. 5. 16. nihil poëtici adparatus praefert. Decalogus ebraicus poeseos non omnino est particeps. Quare inscriptio in Ebal instituta eiusdem fuit sortis. Deut. XXVII. 4. 8. Ex more oraculis eorumque interpretibus consueto poëticum orationis genus inualuisse posthaec, credo. Primi enim,

enim, qui oracula Delphis reddebant, erant homines inconditi poëseosque ignari. Alebatur mox Pythia (1) singularis, quae vel carmine vel *soluta oratione* sortes pronuntiaret. Testes laudo *Diodorum* L. XVI. c. 26. & *Strabonem* L. IX. p. 419. Quum oraculo maiores adfluerent opes & splendor indies effloresceret, Pythiae adiungebantur administri, qui ea, quae ipsa effutierat, in versus numerosque distenderent. Vide *Euripidem* in *Ione* vers. 94. sqq. & *Strabonem* l. c. (2) Ex eo sanctitatis colore sermo poëticus ad imitationem magis magisque patentem emanauit. Eadem ratione vsus linguae latinae in sacra penes Pontificios inuectus est. Quem enim fugit, quid sanctitatis larua & purpurissum valeat? Siquis forte existimet, prosam plane non fuisse adhibitam ante Pherecydis aetatem, eum ad epistolas Solonis ad Pisistratum, ad Croesum, Pittaci ad Croesum, Periandri ad Sapientes, aliasq; reiicimus. Ex quo autem primus ille & inconditus scribendi mos in poëticum

(1) Tum tripodes lignei adhuc Apollini Delphico dicati, *Pausan.* L. IV. c. 12. p. 310. sequebatur mox aes, argentum, aurum.

(2) Conf. *Explication nouvelle de l' Apotheose d' Homere* par Mr. *Schott* p. 110. sq. Amsterd. 1714. 4.

cum & cultiorem transiit, vetustique aeui monumenta vel interciderant vel continuis bellis magnam partem erant impedita, nouus cum Cadmo orationis Phoenix terris datus esse videbatur. Dauidis ac Salomonis aetate adparatus ille poëticus vigebat. Sub Saulo tripodes & engastrimythi, ac pronuntiata versu comprehensa in Palestina inualescebant. Jambis tum oracula plerumque efferebantur, more ita recepto. Successit deinceps genus epicum, quod ab Homero, Hesiodoque maiori redditum gloriae. Hinc facies poëseos ebraicae & aetas libri *Jobi* haud difficulter intelligitur. Homeri aetate Delphicum templum erat longe famosissimum ac diuitiis oneratum, vti *Strabo* l. c. p. 420. ex eodem comprobat. *Pausanias* idem tradit L. X. p. 812. c. 6. & 813. vbi Homeri catalogum Phocensium laudat, eiusque aeuo Delphos esse *Pythona* adhuc vocatam addit. Conf. *Christophorus Cellarius Geogr. Ant.* L. II. c. 13. p. 125. sq. *Jacobi Friderici Reimmanni Ilias post Homerum* Sect. IV. c. 9. p. 329. liber in Geographia antiqua praestantissimus, licet aduersariorum inuidia obtrectetur per modum Jesuitismi, opera innocentium exerciti. Cur responsa versu fuerint pronuntiata, solide exponit caussam

ſam Vir ſummus *Joannes Franciscus Buddeus* in Hiſt. Eccl. V. T. Per. II. ſect. 3. §. 35. p. 788. *Reſponſa*, inquiens, *vt plurimum metrica*, HINC ET AMBIGVA, *atque obſcura, adeoque fallere apta.* Tanto magis *Deo vero* indignum erat, reſponſa & conſulta ſua mythis griphisque inuoluere. At finge, ſtilum omnem intra ac extra Graeciam fuisſe ante exſilium Babylonicum ad poëticas leges adligatum, nondum inde tamen, vt quaeſtioni tertiae fiat ſatis, ſequitur, ſtilum poëticum esſe vbique eumdem ac mythicum ac hieroglyphicum. *Heſiodi Opera ac Dies* ſunt poëma epicum quidem, at oeconomicum & morale, mytho & duplici ſcena carens. Elegiae, quae Soloni tribuuntur, mythis carent. Tyrtaei aliorumque, quos *Stobaeus* conlegit, carmina ſimplicitate ſua ſunt commendabilia & a mythorum inuolucris abhorrent.

§. III.

Paullus ſeſe vocat ἰδιώτην τῷ λόγῳ 2. Cor. XI. 6. per modum conceſſionis humillimae, ſecundum quam ſibi ἀφροσύνην verſ. 1. & δολον c. XII. 16. tribuit. Inconuenienter inde eruitur argumentum, quo ſtilus Paullinus naeuorum poſtuletur.

Quis

Quis enim non videt, Paullum loqui per accommodationem concessionis, quae largitur aequo liberalius, vt eo fortius persuadeat & reuincat. Esto tamen, verba ipsa citra eiusmodi concessionem esse intelligenda, tum *ἰδιώτης τῷ λόγῳ* erit, qui non publice in certamen oratorum descendere cupit, gloriolam oratoriam fini suo minus respondere, ducens. Ita *ἀθληταὶ* opponuntur *ἰδιώταις* apud Pausaniam L. VI. c. 1. p. 452. *Idiotae* ibi sunt ei, qui in Olympicum Stadium non descenderunt. Addatur *Kühnius* in *annotationibus.* Quis ignorat, Thrasybulum fuisse manu promptum viribusque corporis exercitatissimum? Is tamen c. 2. idiotis adiungitur, quia publicus non fuerat athleta. Catulus Pompeium M. quippe tunc priuatum vocat ex stilo *Dionis* L. XXXVI. p. 16. *ἰδιώτην* (1) Nouimus sane, Pom-

(1) Eadem significatio est penes *Libanium* in Epistolar. adhuc non editar. Centur. Epist. 38. p. 92. ed. Wolfi, Lipf. 1711. *Isocratem* Or. *ad Nicoclem* p. 42. ed. Basil. 1613 8. *Aelianum Var. Hist.* L. III. c. 5. p. 315. ed. Perizon. Lugd. Bat. 1701. 8. Plura loca dant *Joannes Doughtaeus Anal. Sacror.* P. II. Excurs. 37. p. 70. ed. Amstel. 1694 & M. *Laurentius Müllerus* in Diss. de *Stilo Idiotico scriptoribus noui foederis ac praecipue Paulo a Criticis adficto* c. 2. §. 6. Schleusingae 1718. 4.

peio nec ſplendorem nec litteras nec au-ctoritatem, nec eloquentiam militarem defuisſe. Accipe verba: πῶς δ' οὐχὶ καὶ τούτοις καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι, τοῖς τὶ πράττειν τῶν πολιτικῶν προαιρουμένοις ἀπεχθήσεσθε, ἂν τὰς μὲν πατρίους ἀρχὰς καταλύητε καὶ τοῖς ἐκ τῶν νόμων χειροτονουμένοις μηδὲν ἐπιτρέπητε, ξένην δὲ τινὰ καὶ μήπω ποτὲ γεγενημένην ἡγεμονίαν ἸΔΙΩΤΗ προστάξητε; *Iure profecto & horum & aliorum, quicunque rem aliquam publicam ſibi capesſendam propoſuerunt, in odium incurretis, ſi, patriis magiſtratibus abrogatis, nulla re gerenda eis, qui legitime magiſtratum obtinuerunt, mandata, priuato homini imperium, quale nullum vnquam fuit, dederitis.* Hinc ἰδιωτεύειν eſt *vitam ſequi priuatam* L. LV. p. 558. Liuia olim ſalubriter ſic adloquebatur Auguſtum L. LV. p. 561. Δεῖ σε, ὦ Αὔγουστε, μὴ μόνον μηδὲν ἀδικεῖν, ἀλλὰ μηδὲ δοκεῖν. ἰδιώτῃ μὲν γὰρ ἀρκεῖ μηδὲν πλημμελεῖν, ἄρχοντι δὲ δὴ προσήκει μηδὲ δόκησιν τινὰ αὐτοῦ λαμβάνειν. *Tuum eſt autem, o Auguſte, non modo ab iniuſtitia, ſed ab opinione quoque eius abesſe: quorum alterum in priuato, alterum in principe requiritur.* Conf. L. LXI. p. 692. L. LXVII. p. 760. Hisce praemis-

ſis,

ſis, Paulli verba curatius penſitare libet. Ipſe hunc in modum: Ει δε και ιδιωτης τω λογω, αλλ' ȣ τη γνωσει αλλ' εν παντι φανερωθεντες εν πασιν εις ὑμας. Copioſius haec ita reddo. *Quamuis autem publicum oratorem non ago, nec in modum oratorum, qui publice retulerunt facundiae gloriam praemiumue, exiſtimationem inanem conligere laboro, & hac de cauſſa, fini longe meliori intentus, ſimplicem ac natiuam praefero orationem, diuina maieſtate & veritate intrinſecus efficaci dignam, lenociniis contra & fuco vacuam; inde tamen minime ſequitur, me, ratione cognitionis ac diſciplinae ſaluberrimae, a perſonae publicae muneribus abesſe: quin potius in omni loco erga ſingulos inter vos publicum obtutum & certamen ſubiuimus.* Senſum igitur hunc Paullo fuisſe exiſtimo, vt munus ſuum publicum eiusque dignitatem debite adſtruere laborauerit ratione diſciplinae coeleſtis mortalium animo inſtillandae, ita tamen, vt elocutionem non publici oratoris; ſed magiſtri, ſtilum planum, priuato conuenientem, ſimplicem, & meteoris vacuum ſibi tribueret. Ad hanc ſententiam ſequentibus inducor argumentis. Primo ſignificatum vocis ιδιωτȣ comprobauimus. Quantum igitur publicum inter & priuatum hominem intereſt, tantum

tum intereſt inter exercitatum reipublicae oratorem & *ἰδιώτην τῷ λόγῳ*. Recitatores ethnici ſtilum ſumma arte exercebant aetate Neronis, immo iam Auguſti aeuo. Auctor de *cauſſis conruptae eloquentiae* c. 13. *Teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit vniuerſus*. Paulli aetate Graeci ac Latini controuerſiis fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus lingvam modo & vocem exercebant, teſte eodem c. 31. teſte Seneca patre & filio, teſte Plinio in Epiſtolis. Conf. *Joannes Schefferus* de *Stilo eiusque exercitiis ad conſuetudinem veterum* c. 9. §. 7. ſqq. p. 105. ſqq (1). Vanitas illa Paullum ſane dedecebat, ne adſentationibus & elegantia animos flexisſe videretur, quod impoſturae, quam diuinae veritatis patefactioni, magis congruisſet. Ex Ariſtide nouimus, quanta philoſophorum ac oratorum copia tum Corinthus *laborauerit*. Laborasſe Corinthum illa fece, dico, eo quod oratores & rhetores tum erant vitioſisſimi, rabulae rerumq; ſolidarum parum periti, fideique paene decoctae, quia *materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibebatur*, vti habet fuſiusque perſequitur *Auctor de cauſſis conruptae eloquentiae* c. 35.

(1) Jenae 1690. 8.

… 35. Hinc patet, quinam fuerint illi
…ειθοι ανθρωπινης σοφιας λογοι, *suasoriae*
…*rationes humanae sapientiae* I. Cor. II. 4.
…quae paullo post σοφια ανθρωπων vs. 4. &
…σοφια τȣ αιωνος τȣτȣ vers. 6. adpellatur.
…Paullo fuissent *suasoriae* adhibendae, qua-
…es Seneca pater dedit, auctor modo lau-
…atus perstringit, & Plinius false excipit.
…Haec singula si Fanatici perpenderent,
…loquentiam non omnem, sed fucatam,
…aullo fastidium creasse iudicarent, alias-
…ue Paullo fuisse rationes, ac nobis, eui-
…ındae dicendi facundiae. Oratorum fi-
…es tunc erat tanta, vt vix credibile vi-
…eretur, quod oratoria veste erat instru-
…tum. Praeterea Paullo praeceptum non
…rat, venari verborum aucupiis animos.
…ial. I. 10. vel recitatorem seu oratorem
…*ublicum* agere. Hactenus Paullo praestare
…idebatur ιδιωτην τω λογῳ esse, ne cre-
…ibilitati veritatis diuinae derogaret vim
… pondus. At ratione officii sui theolo-
…ici erat minister & magister *publicus*, co-
…nitione valens, omniumque officii par-
…um peritissimus. Publici huius officii
…os quos docuerat, admonet 2. Cor. V. 11.
…θρωπȣς πειθομεν, Θεῳ δε πεφανερωμεθα.
…λπιζω δε και ἐν ταις συνειδησεσιν ὑμων
…φανερωσθαι. Ita Paullus sese, quatenus,

 publicus

publicus, φανερος, erat doctor, sibi ipse opponit, quatenus erat remotus a publica oratorum consuetudine & norma, adeoque hoc quidem nomine instar priuati. Nam γνωσιν *notitiam* suam *de rebus diuinis* publice prae se ferebat, publice docebat & suo exemplo exprimebat; suasoria oratorum pigmenta haud item. Infitiatur nemo temere imperitum artis oratoriae vocari ἰδιώτην τȣ̃ λόγȣ, τὸν λόγον; at eumdem dici ἰδιώτην τῷ λόγῳ, quo tandem exemplo comprobabitur? *Lucianus* Timoclem vocat ἰδιώτην τὴν φωνὴν, *imperitum linguae*, in *Ioue Tragoedo* p. 143. (1) *Strabo* eadem ratione dicit L. II. Patroclum ἰδιώτην τῶν γεωγραφικῶν, *Geographiae imperitum*. Ruit igitur *Joannis Clerici*, viri ceteroquin doctissimi, sententia de oratione Pauli idiotica, per quam plebeium & elumbe dicendi genus auctor intelligit. Vir enim ille *Artis Crit.* P. II. sect. 1. c. 11. §. 10. p. 260. 261. nimis incaute: *Qui studiose noui testamenti libros legerunt, & praesertim Pauli scripta, facile animaduerterunt, ea scatere ακυρολογιαις, si unquam hac de re serio cogitarunt. Eusebium* deinceps producit *Hist. Eccl.* L. III. c. 24. vbi

(1) Tom. II. Opp. Graeu. Amstel. 1687.

bi ita de Apostolis : *Τον βιον ακρως εκαθαρμενοι, και αρετη παση τας ψυχας κεκοσμημενοι, την δε γλωτλαν ΙΔΙΩΤΕΥΟΝΤΕΣ, τηγε μην προς τε σωτηρος αυτοις δεδωρημενη θεια και παραδοξοποιω δυναμει θαρσεντες, το μεν εν περινοια και τεχνη λογων τα τε Διδασκαλε μαθηματα πρεσβευειν ετε ηδεσαν, ετε ενεχειρεν.* Hinc recitat *Henrici Valesii* interpretationem latinam, qui *illud την γλωτλαν ιδιωτευοντες* reddit *sermone ipso rudes atque inculti.* Verum enim vero interpretationis a mens est, quam amplectitur *Clericus*, nequaquam Eusebii. Vbi prius docuero, quid sit *ιδιωτευειν*, mentem Eusebii ipsam ostendere animus est. *Dio Dassius* L. XXXV. p. 6. *Tum vero turbae inter eos* (Lucullum & Claudium adfinem) *exsistebant, tum aliis de caussis, tum quod auditum, Acilium consulem, qui ob eas, quas memoraui, caussas Lucullo successor missus erat, adpropinquare. Εν γαρ ολιγωρια αυτον, ως και ιδιωτευοντα, ηδη εποιεντο. Nam contemtui ipsum quasi PRIVATVM iam habebant.* Nouimus sane omnes, ex litterarum monumentis, Lucullum minime sermonis latini Graecique fuisse rudem. Hisce in-

terpositis sensum Eusebio reddemus suum eumque planum: *Quum essent ratione vitae exacte exquisitissime purgati omnibusq; virtutibus in animis ornati; sermonis genere priuatam vitam sectabantur, freti diuina & mirifica virtute, ipsis a seruatore concessa, artificioso dicendi studio praecepta magistri exponere neque consultum duxerunt, neque conabantur.* ειδειν saepius est practice nosse, probare, adprobare, consensione sua roborare, agnoscere. Tria sunt discrimine debito obseruanda. Aliud est, artibus & fictionibus rhetorum sublimibus inanibusque vti: Aliud est, plane simpliciterque ac natiue mentem exponere, quo more priuati solent vti: Aliud est, rudem esse plane enuntiandi sensum. Primum & tertium in Apostolos haud quadrat; secundum vero eis omnino tribuendum est. Vtinam hanc differentiam adtendisset *Clericus* in Notis ad Henr. Hammondum 2. Cor. XI. p. 233. ed. Francof. 1714. fol. & Gal. II. 6. p. 250. vbi loco secundi tertium elegit. Ita, euitata charybdi, facile est, in Scyllam incidere.

§. IV.

Nunc perlustraturi sumus quatuor vestes byssinas, quas summus Judaeorum Pontifex die expiationum magno induebat. Dicun-

Dicuntur illae Lev. XVI. 4. כתנת בד *tunica byssina*, מכנסי בד *femoralia byssina*, אבנט בד *balteus byssinus*, & מצנפת בד *cidaris byssina*. *Maimonides* eas vocat in הלכות כלי המקדש c. VIII. בגדי לבן *vestimenta alba*. *Hadrianus Relandus Ant. vet. Ebr.* P. II. c. 1. §. 9. בד *linum* transfert, & distinguit a שש *aurearum vestium*, quod ipsum exponitur ab eo per *linum*. בד vocatur בוץ in *Joma* c. VII. §. 1. 3. *Braunius* L. II. de *Vestitu sacerdotum Hebraeorum* c. 4. 5. 6. 7. *linum stricte dictum*, a gossipio & lana diuersum, exponit, inpugnans *Sheringhamium*, qui ad locos ex libro Mischnico Joma adlatos *xylinum* seu *gossipium* maluerat. Nobis Sheringhamii sententiam amplecti decorum putatur. Quid enim conuenientius, quam בד, בוץ, βυσσος, byssus? Vox est peregrina, indubie Aegyptiaca, siquidem Ebraei byssum vocabant פשתי העץ *linum arboreum* Jos. II. 6. Adnotare iuuat, byssum aliam esse satiuam, aliam in arboribus crescere solitam. Seuerunt eam Eliaci in Peloponneso; ex arboribus conlegerunt Aegyptii, Indi, Palaestini. De satiua *Pausanias* L. VI. c. 26. p. 519. Ἡ δε Ηλεια χωρα τα τε αλλα εςιν ες καρ-

πυς και την βυσσον ουχ ἡκιςα εκτρεφειν ἀγαθη. Την μεν δη καναβιδα και λινον και την βυσσον σπειρουσιν, ὁσοις ἡ γη τρεφειν εςιν επιτηδειος. *Terra vero Eliaca non solum aliis, in fructus progerminantibus, sed bysso quoque alendae maxime* (1) *est commoda. Siquidem cannabim, linum & byssum serunt, quantum terra alere valet.* Idem L. V. c. 5. p. 385. Ἡ δε βυσσος ἡ εν τη Ελει, λεπτοτητος μεν είνεκα ουκ αποδει της εβραιων. Εςι δε ουχ ὁμοιως ξανθη. *Byssus, quae in Elide prouenit, exilitate non cedit illi, quam fert Ebraeorum terra. Non est tamen aeque flaua.* Et paullo ante p. 384. Θαυμασαι δ' αν τις εν τη γη Ελεια την]ε βυσσον, ότι ενταυθα μονον, έτερωθι δε ουδαμου της ἑλλαδος φυεται. *Admirari sane aliquis audeat byssum in Elide; quod ibi duntaxat, alibi vero in Graecia nusquam prouenit. Joannes Bodaeus a Stapel in annotationibus ad Theophrasti Hist. plantarum ad* L. IV. c. 9. haud obscure, indicat, byssum Eliacam satiui generis & herbacei esse, Ita enim scribit: *Contra*

(1) Concinit *Plinius* H. N. L. XIX c. 1. qui de lino asbestino agens subiicit: *Proximus* principatus *byssino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaia genito: quaternis denariis scrupula eius permutata quondam, vt auri, reperio*

Contra in Syria & Creta herbacea est planta & annua, vti Honorius Bellus ep. quarta. Lanigerae Theophrasti nihil aliud sunt quam gossypium, quod in Arabia & Aegypto arborescit, & multos annos durat, sed in Creta hieme perit. Herbaceum gossypium ad cubiti altitudinem attollitur. Fructum ita describit: *Mollissima ac candidissima lanugo ex ipsis biantibus fructuum rimis* non *raro dependens, quae ad vestes ex ea conficiendas netur.* Eiusdem latitudinis ac Creta & Syria, est Elis, Peloponnesi pars corum ventum prospiciens. Ergo byssum ei herbaceam annuamque tribuo. Pausanias id ipsum indicat, siquidem non arborum numero, sed lino cannabique, byssum Eliacam iungit. Ex flaua hac Palaestinae, & Elidis bysso factum erat aulaeum vnum, quod tabernaculi adytum interius olim velabat: Ex eadem materie talares sacerdotum Judaicorum stolae erant confectae. In sacro codice dicitur שֵׁשׁ Lutherus aliique continuo sericum ob oculos sibi heic posuerunt. Dandum hoc est tempori aeuoque illi. Sericum Alexandri demum M. aetate, commerciis Indicis inchoatis, in notitiam Judaeorum peruenire potuit. Antea enim solis Seribus, ad orientem penitus submotis, notum erat, quibuscum aetate Mosis nec Aegyptus nec Judaea

daea vllum habuit commercium. Si vixero per Dei gratiam, colores ſacros ex profeſſo deſcribam. Inpraeſens impedimenta aduerſariorum nonnulla modulos recte digerendos demorantur. Byſſus arborea Paleſtinae eſt tribuenda ob denominationem פשתי עץ *linum arboreum* a Rahab exploratoribus Judaicis iniectum Joſ. II. 6. פשה eſt *baſt*, voce antiquiſſima &, vti videtur, Aegyptiaca. Linum enim, nendo aptum, eſt *vitile*, *vimen*, (*der baſt* Germanis) fruticis ſeu herbae, quam linum dicimus. An *Bubaſtis* ex articulo *pu* & *paſt*, פיבסת Ezechieli, coaluerit, disquirant (1) alii. Pauſaniae ἡ ἑβραιων βυσσος, *Ebraeorum byſſus*, haud erat incognita, quippe flaua. Addemus nonnulla de byſſo Arabum, Aegyptiorum & Indorum Orientalium. De Arabica ordiemur. *Theophraſtus* L. IV. *Hiſt. Plant.* c. x. interprete Theodoro Gaza de *Tylo*, Arabici ſinus inſula: *Lanigeras quoque arbores multas eamdem inſulam ferre, proditum eſt: Has folia vitigena gerere, verum minora, fructum nullum. Id, in quo lana continetur,* mali

(1) Adridet coniecturae *Gratius* in *Cynegetico*, ex emendatione Salmaſiana ita canens:

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
Velatur ſonipes feſtiui turba Canopi

mali amplitudine cerni, verum, quum nascitur, compressum, cum tempestiuae maturitatis sit, aperiri & lanam excipi, qua telas texunt, alias viles, alias pretiosas. Hoc idem & in India, sicut dictum est, & in Arabia, fieri, adseuerant. Quis non videt, gossipium seu xylinum describi, quod scriptores modo ad lanam, modo ad linum tanquam speciem, similitudine quadam moti, referunt, licet species sit diuersissima. Pergimus ad byssum Aegyptiacam. *Julius Pollux* L. VII. c. 17. p. 343. (1) Ἡ Βυσσος, λινȣ τι ειδος παρ Ινδοις. Ηδη δε και παρ Αιγυπτιοις απο ξυλȣ τι εριον γιγνεται, εξ ȣ την εσθηλα λινȣ αν τις μαλλον φαιη προσεοικεναι, πλην τȣ παχȣς. Ετι γαρ παχυτερος τω δενδρω καρπος επιφυεται, καρυω μαλιστα προσεοικως, τριπλω την διαφυσιν. Ης διαστησας, επειδαν ευανθη το ὡσπερ καρυον, ενδοθεν εξαιρειται, το ὡσπερ εριον, αφ ȣ κροκη γιγνεται. Τον δε στημονα, ὑφιστασιν αυτω λινȣν. *Byssus, lini species quaedam apud Indos. Nunc vero apud Aegyptios ex arbore lana quaedam fit, ex qua vestem confectam, lino maxime similem esse, quispiam dixerit, sola densitate, densior enim est.*

(1) Francof. 1608. 4.

est. Arbori fructus innascitur, nuci similis, triplici munitus cortice; qua dirempta, postquam instar nucis floruerit, interius hoc, quod lanam refert, eximitur, vnde subtegmen conficitur: stamen autem illi subtendunt lineam. Consentit prorsus *Phauorinus* in *voce* Βυσσος. *Plinius* L. XIX. c. I. *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Paruus est, simil̃emque barbatae nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec vlla sunt eis candore mollitiaue praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae.* Has ipsas vestes *Silius Italicus* de sacerdotibus Jouis Ammonis in Aegypto L. III. p. 21. sqq.

Tum queis fas, & honos adyti penetralia nosse
Femineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues, nec discolor vlli
Ante aras cultus, velantur corpora lino,
Et Pelusiaco praefulget stamine vertex.

Juuat, similitudinem rituum Aegyptii Ammonis & Hebraeorum notasse. Caussam conuenientiae indagare, non vacat. Stamen, auctore *Polluce*, erat lineum; at subtegmen (der Einschlag) byssinum. Discrepantia igitur fuisse videtur sacerdotem inter Aegyptium & Judaicum summum

mum. Hic enim in miniſterio ſacro numini operatus aurea veſte erat indutus, excepto expiationum die, quo veſtimenta quatuor ſacra, Lev. XVI. 4. enumerata, adhibebat alba, filo ſextuplo contorta & ſola byſſo conſtantia כפול ששה ומן הפשתן דברוהם vti habet *Maimonides* loco ſupra laudato. Vnde liquet fere, byſſum meram veſtimentis illis fuiſſe adhibitam. Interim *Apuleius* lineum amictum Aegyptiis tribuit ſacerdotibus, nulla byſſi iniecta mentione, quamuis & Pollux & Silius doceant, ſubtegmen fuiſſe byſſinum, ſtamen vero lineum. Accipe locum ipſum ex *Apologia* p. 504. (1) *Sed enim mundiſſima lini ſeges, inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui & amictui ſanctiſſimis Aegyptiorum ſacerdotibus, ſed opertui quoque in rebus ſacris vſurpatur.* (2) Veſtitus ille lineus erat ſacerdotibus gregariis Ebraeorum communis Ex. XXVIII. 40. 42. Veſtes aureae octo ſummo Pontifici propriae. Quum tamen בד & בוץ ſint ſynonyma, & שש ad idem genus pertineat, per בד meram byſſum, per שש byſſum ſtaminis linei intelligo, quae colore

(1) ed. Wovver. Baſil. 1606. 12.

(2) Conſ. *Joannes Marshamus* in *Canone Chron.* Saec. IX. p. 218. ſq.

colore tincta dicitur מְשָׁזָר quasi *Sarana* (1) a Sara, Sara, seu Tyro. Tantum igitur intererat inter sacerdotum gregarium vestes & quatuor illas summi Pontificis byssinas, vt illae, praeter femoralia byssina מכנסי בד Ex. XXVIII. 42. fuerint ex שש subtegmine byssino, stamine lineo; hae vero ex בד bysso ad vnum omnes. Linum illud vtrumque, haud excluso stricte sic dicto lino, vocatur מקוה *linum*, *textum*, ex קו *linum*, vnde sunt קוואיך *textores*, פוין *fila* (2). Judaei praecipue Pelusium & Indiam indicant, originem byssi, quae vestibus byssinis summi Pontificis ad hibebatur, indicaturi. Mischnici in codice *Joma* c. III. §. 7. בשחר היה לובש פלוסין של שנים עשר מנה ובין הערביים הנדוין על שמונה מאות זוז דברי רבי מאיר: *Mane induebatur Pelusiacis vestibus, quae minas XII. & vesperi Indicis, quae octingentas drachmas valebant, verba* R. *Meir.* Additur illico, ex sententia sapientium pretium priorum

(1) *Silius Italicus* L. III. v. 256. *Tyriam vulgus, Sarranaque Leptis.*

(2) Vid. Celeb. *Theodorus Hasaeus de gente Kav. Kav.* in *Bibl. Brem.* Cl. VII. fasc. 3. Art. 4. §. 17. sqq. p. 504. sqq.

rum octodecim minas & posteriorum
uodecim minas aequasse. Judaei Geo-
raphiae antiquae plerumque imperitissi-
ni heic haesitant. Verum Plinii ac Silii
iudes de lino xylinoq; Pelusiaco paullo
nte audiuimus. *Philostratus* L. II. c. 20.
e *vita Apollonii Thyanensis*, byssum ex ar-
ore conlectam seu telam xylinam ab Ae-
yptiis ad multos sacros vsus adhibitam
uisse, tradit. Restat byssus Indica. In-
ia olim erat duplex: altera ad orientem
n Asia; altera supra Aegyptum in Africa.
ta Aethiopes eadem ratione *Herodotus*
n *Polyhymn.* f. 258. (1) bipertitur, docens,
uod των μεν δη ὑπερ Αἰγυπ]ȣ Αιθιοπων
αι Αραβιων ηρχε Αρσαμης. *Aethiopibus su-
ra Aegyptum & Arabibus praefuerit Arsames*;
δε απ' ἡλίȣ ανατολεων Αιθιοπες προσε-
εταχατο τοισι Ινδοισι. *Aethiopes vero*,
ddit, *ad ortum solis remoti Indis adiunge-
antur.* De bysso Indiae orientalis *Arria-
us* in *libro Indicarum* p. m. 362. *Linteis
estibus vtuntur Indi, quemadmodum ipse Ne-
rchus ait, linumq;, ex quo texuntur, in
rboribus nasci.* Εσθητι δε Ινδοι λινεη
ρωνται, καθαπερ λεγει Νεαρχος, λινȣ
ȣ απο των δενδρεων. *quemadmodum priori-
bus*

1) ed. Henr. Steph.

bus libris diximus. *Et hoc quidem linum aut reuera omni lino candidius est, aut corporum nigredo illud aliquanto candidius efficit.* *Curtius* haec nimis concise delineat L. VIII. c. 9. §. 15. *Terra*, inquiens, *lini ferax; inde plerusque sunt vestes.* Auguror, ibi nonnulla excidisse. Hisce enim verbis nil singulare profert, nec, vti solet, distincte satis ad auctores vetustiores, vnde sua hausit, respexit. *Mela* L. III. c. 7. *Lanas syluae ferunt — Lino alii vestiuntur aut lanis, quas diximus.* Facile patet exinde, auctores hosce confusam notionem de bysso cum altero communicare voluisse, siquidem similitudinem cum re notiori, lino & lana, inuoluunt. Verum haec ad notionem distinctam haud sufficiunt. (1) *Theophrastus* de *Hist. Plant.* L. IV. c. 5. id ipsum exemplo suo indicat. Εξ ὧν δε τα ἱματια ποιȣσι, το μεν φυλλον ὁμοιον εχει τῃ συκαμινῳ, το δε ὁλον φυτον τοις κυνοροδοις ὁμοιον. Φυτευȣσι δε᾽εν τοις πεδιοις αυτο κατ᾽ ορχȣς. Διο και πορρωθεν αφορωσιν αμπελοι φαινονται. Arbores, *ex quibus* (Indi) *vestes conficiunt, folium moro simile habent, corpore autem toto rosis caninis proximae*

(1) Vid. *Christiani VVolfii Logica latina* P. II. sect. 3. c. 2. §. 768. p. 549.

*ae cernuntur : seruntur ordinatim , qua-
opter e longinquae adspicienti vites adparent.*
labes heic rationem , quare Talmudici
yssum vocent צמר גפן *lanam vitis.* Ob
uin enim , mollitiem & similitudinem
ocatur lana , & arbores ipsae byssi ge-
trices *lanigerae*: Arbores ipsae ex adspe-
us similitudine *vites* vocantur. *Plinius*
. N. L. XII. c. 6. Theophrastum pro
ore sequitur, & de Indica bysso scribit:
*d unde vestes lineas faciunt , foliis moro si-
lis , calyce pomi cynorrhodo. Serunt eam in
mpis , nec est gratior villarum prospectus.*
num Indicum , lana arborum Indica
: byssus , xylinum , gossipium , *Baum-
olle.* Ad extremum aliquot loca de bysso
diae Africanae in medium sunt adferenda.
rgilius celebrat (1) — *nemora Aethi-
um molli canentia lana.* *Plinius* H. N.
XIX. c. 1. *Aethiopes Indique* faciunt lina
*malis , Arabes cucurbitis , in arboribus , vi
cimus , genitis.* Byssi deinde Fabricam
odit Plinius , sua aetate , Romae alibi-
e institutam , pro inlustratione *byssi* ,
odens *linum asbestinum* ,quod incredibile
sset visum , nisi mature succurrisset
idericus Ernestus Brückmannus , Medi-
nae Doctor, Fautor noster celeberrimus

(1) *Georg.* II. Psalm. 120.

in *Historia naturali lapidis* τȣ ἀσβεςȣ conf. *Acta Erud. lat.* 1727. p. 407. ſq. Viri huius fauori debeo & notitiam lapidis & lapidem ipſum ex Hungaria adlatum, quo me donare dignatus eſt. Ceterum in enarratione byſſi multum debeo diligentiae mei quondam praeceptoris fideliſſimi *Joannis Oldermanni* in Diſſ. de *Veſtibus byſſinis Pontificis Max. in Expiationis Feſto* Helmſtadi 1717. 4. Docuit me quoque magnus ille orientalium rerum ſcrutator *Theodorus Dasſovius* ex *Toſephoth ad Gemaram de tabernaculo* f. 52. 2. Leuitis miniſtrantibus fuiſſe veſtes albas ex byſſo Aegyptiaca candida & pretioſa. Teneo huius viri quatuor Collegia fideliter deſcripta de rebus, antiquitates, typos & Emphaſes ſacri codicis enodantibus, quae, ſi vixero, edenda olim curabo.

§. V.

Quaeſitum eſt diu, vnde *Phoenices* fuerint dicti *rubri* eorumque terra *Φοινίκη*, *rubra*, ארץ ארום. *Joannes Oldermannus* in Diſſ. II. de *Ophir & Tarteſſo* §. 17. p. 37. nomen ebraicum ארום ei regioni vindicat. *Salmaſius* in *Exerc. Plin.* p. 935. 936. a colore tincturae in Phoenice repertae ipſos incolas *Φοίνικας* a Graecis adpella-

tos esse tradit, vt Λιβυας & Μαυρȣς a colore vultus, quod nigri essent. *Phavorinus* aut a Phoenice viro aut a coccineo colore nomen deducendum esse tradit. Secundum Hesychium vero Φοινικȣν est αἱματωδες. Succurrit mihi ratio Physica a colore littoris contiguique maris, quod, rubrum sanguineumq; adparere, docebo. *Pausanias* L. IV. c. 35. p. 370. Ξανθον δε ὑδωρ, ȣδεν τι αποδεον την χροαν αἱματος, ἑβραιων ἡ γη παρεχεται προς Ιοππη πολει. Θαλασσης μεν εγγυτατω το ὑδωρ εςι, λογον δε ες την πηγην λεγȣσιν οἱ ταυτη, περσεα ανελοντα το κητος, ᾧ την παιδα προκεισθαι τȣ Κηφεως, ενταυθα το αἱμα απονιψασθαι. *Rubram autem aquam, nihil differentem a colore sanguinis, Ebraeorum terra ostendit iuxta oppidum Joppen. Aqua illa est proxima mari. Rationem vero de fonte hanc adferunt incolae, Persea cetum interemisse cui filius Cephei erat obnoxius, ibique sanguinem abluisse.* Nescio historiam, quae fabulae inest, vetustam sane & memorabilem. Incertus auctor de *Syria Dea* p. 4. ed. Helmstad. 1725. 8. Ενι δε και αλλο θωυμα εν τῃ χωρῃ τῃ Βυβλιῃ. Ποταμος εκ τȣ Λιβανȣ τȣ ȣρεος ες την ἁλα εκδιδοι,

ουνομα τω ποταμω Αδωνις επικεεται. Ὁ δε ποταμος ἑκαςου ετεος αἱμασσεται, και την χροιην ολεσας εσπιπτει ες την θαλασσαν, και φοινισσει το πολλον του πελαγεος — Εμοι τις ανηρ Βυβλιος, αληθεα δοκεων λεγειν, ἑτερην απηγεετο του παθεος αιτιην. Ελεγε δε ὡδε. Ὁ Αδωνις ὁ ποταμος, ω ξεινε, δια του Λιβανου ερχεται, ὁ δε Λιβανος καρτα ξανθογεως εςι. Ανεμοι ουν τρηχεες, εκεινησι της ἡμερησι ἱςαμενοι, την γην τω ποταμω επιφερουσι, εουσαν ες τα μαλιςα μιλτωδεα· ἡ δε γη μιν αἱμωδεα τιθησι· και τουδε του παθεος ου το αἱμα, το λεγουσι, αλλ' ἡ χωρη αιτιη. *Est autem & aliud mirabile in terra Byblia. Amnis ex monte Libano sese in mare exonerat, cui nomen inditum Adonis. Fluuius ille quotannis sanguinis colorem induit prioremque mutat, deinceps committitur mari & magnam illius pelagi partem efficit rubram. — Mihi quidam vir Byblius, vera visus dicere, aliam enarrauit euentus illius caussam, hunc in modum loquens: Fluuius Adonis, o hospes, per Libanum progreditur, Libanus vero valde rubram tenet terram. Vbi igitur venti vehementiores illis diebus montem perflant, humum illam in amnem conuertunt, quae maxime est miniata. Haec*

humus

humus illum reddit sanguineum atque huius facti non sanguis, quod vulgo perhibent, sed terra est caussa. Proprie igitur haec terra rubra fuit אדמה dicta & inde formatus homo אדם. si verum est, quod incolae tradunt, Adamum heic in lucem fuisse per formationem diuinam editum. Lucis vero nihil illa vox spargit, vti olim cuidam erat visum, etiam B. H. *Gebbardus* (1) aliique monuerunt.

§. VI.

Scire aueo, quid sint שעירים in locis Es. XIII. 21. XXXIV. 14. Delineatur ibi ruina Babylonis tandemque subsequens desolatio & solitudo. Cyrus vrbem cepit, Euphratem diuidendo & extra muros in fossas profundissimas deriuando. *Xenophon Cyropaed.* L. VII. p. 150. sq. Ier. L. 38. sqq. conf. summe reuerendus *Georgius Raphelius* in *Annot. philol. in N. T. ex Xenophonte* p. 371. sqq. Cyrus exteriora moenia dirui iussit, si fidem habemus *Beroso* apud *Josephum contra Apionem.* Darius Hystaspides id fecit, si *Herodoto* L. III. c. vlt. credimus. Δαρειος δε επειτο εκρατησε των Βαβυλωνιων, τουτο μεν σφεων

το

(1) In Diss. de *Maxilla Simsonaea & corpore Adami lucido* Gryphisvvald. 1719. 4.

το τειχος περιειλε, και τας πυλας πασας απεσπασε. *Darius, Babylone capta, eius muros vndequaque diruit & omnes portas amolitus est.* Cyrus videtur coepisse, Darius autem opus omne absoluisse. Successit tandem plenior, teste *Pausania* L. I. c. 16. p. 39. ruina & desolatio. Nam Seleucus in vicinia ad Tigrim Seleuciam condidit & inquilinos Babylonis eo abduxit, ὑπελειπετο μεν το τειχος βαβυλωνος, ὑπελειπετο δε τȣ Βηλ το ἱερον, και περι αυτο τȣς χαλδαιȣς οικειν. *Relinquebatur murus Babylonis, relinquebatur templum Beli, permissumque Chaldaeis, vt circa illud habitarent.* Idem in *Arcad.* c. 33. Βαβυλωνος ȣδεν ετι ην ει μη τειχος, *Babylonis nihil adhuc supererat, praeter murum. Strabo* L. XVI. memorat, Beli sepulcrum a Xerxe fuisse euersum. Cui euersioni *Aelianus* in *Varia Hist.* L. XIII. c. 3. memorabile fatum adiungit. *Diodori* aetate βραχυ τι μερος *exigua pars* incolebatur. L. II. c. 9. Straboni dicitur ερημος ἡ πολλη *plurimam partem deserta.* Potuit tamen ex Βαβυλωνος Petrus dare epistolam, nam Βαβυλων *regionem Babylonicam* quoque notat, *Athen. Dipnosoph.* L. V. p. 211. Vaticiniis igitur

gitur propheticis euentum respondisse, atis superque constat. Nunc quaeritur, quid per signa illa euersionis, per שעירים qui sint ibi saltaturi ירקדו, intelligendum sit. H. J. F. T. in *Bibl. Brem.* Class. VIII. fasc. II. Diss. 5. p. 307. sqq. sacrificulos Sabaeos intelligit. Chaldaei habitarunt circa templum Beli. At hi hirsutis tunicis non erant induti. *Diogenes Laërtius* in *in Prooemio* p. m. 5. ipsis εσθητα λευκην, *vestem Albam* tribuit. Sacrificium eorum describit *Herodotus*. Nil heic ad Sabaeos trahi potest. Existimo igitur, per שעירים intelligendos esse plebeios inconditosque homines, pellibus ferarum ex penuria pro vestimentis vsos. Nam שעיר *hirsutum* notat, vnde Esauo ob hirtum corpus id cognominis datum. Mortalium primi ac inopes pellibus ferarum erant induti, atque in aeui testimonium comites Sileni ac Bacchi eo habitu ostendebantur saltantes. *Pausanias* L. IV. c. 11. p. 306. describit exercitum Aristodemi. *Θωρακα γαρ η ασπιδα ειχεν ἑκαςος. Ὁσοι δε ηπορκν τουτων, περιεβληντο αιγων νακος και προβατων οἱ δε και θηριων δερματα, και μαλιςα ὁι ορεινοι των Αρκαδων, λυκων τε και αρκτων. Thoracem enim aut scutum quin-*

que habebat. Quicunque vero his carebant, amicti erant caprarum aut ouium pellibus, alii etiam ferarum coriis, & praecipue montani Arcades luporum & vrsorum pellibus. Hi erant viliores, pauperiores & duriores. Hinc inluſtrantur illa Paullina Ebr. XI. 37. vbi pii, paupertate adflicti vocantur περιερχομενοι εν μηλωταις, εν αιγειοις δερμασιν, ὑστερουμενοι, θλιβομενοι, κακουχουμενοι. Ita Afer Virgilio deſcribitur

Horridus in iaculis & pelle Libyſtidis vrſae.

Ammonis cornua arietina eamdem originem oſtentant. Vide *Pauſan.* L. VII. c. 32. p. 666. vbi de ſimulacro Ammonis tradit, quod fuerit κερατα επι της κεφαλης εχον κριου. *Mela* de Indis L. III. c. 7. *Lino alii veſtiuntur aut lanis, alii ferarum auiumque pellibus, pars nudi agunt, pars tantum obſcoena velati* —. Ex hoc antiquo ritu Satyri, quippe Bacchi comites, adſciti ſunt in chorum, ipſi *agreſtes & caprarii multi, ſaltatores homines*, vti dicuntur a *Luciano* T. II. p. 710. Quales *Pauſanias* eos quoque perhibet L. I. c. 23. p. 54. 55. Exempla plura occurrunt in *Athenaeo* L. V. p. 196. 197. 199. 200. L. XIV. p. 630. Sabaei erant Arabes. At propheta diſtincte : לא יהל שם ערבי.

non

non eiulabit ibi Arabs. Pauperrimi tantum miſerrimique mortales, quibus victus adeo non ſuppetebat, vt cogerentur pellibus pro veſtimento vti priſtinumque orbis rudisſimi habitum reſumere, ibi habitaturi erant, huc illuc curſitantes & ſalientes ad paullulum cibi adquirendum, ibi remanſerunt. Loco cantus dulcisſimi carminumque patriorum, quae *Babylonii* (1) Alexandro adhuc intranti occinebant, vlulatus ferarum & bubonum erat audiendus. Locum cantus & ſaltationis ac ebrietatis occupatura erat inopia, curſitatio ad famem paullisper depellendam, penuria & ſumma omnium rerum egeſtas. Alexandrinos haud equidem moror, niſi textum ſeruarint, haud immemor, Clarisſimum *Dauidem Millium* nuper 1725 in praefatione ad nouam LXX editionem naeuos illorum & copioſos & magnos ingenue denuo expoſuisſe.

III.

(1) Curtius L. V. c. 1. §. 22. *Magi deinde ſuo more patrium carmen canentes. Poſt hos Chaldaei, Babyloniorumq; non Vates modo, ſed artifices cum fidibus ſui generis ibant. Laudes hi regum canere ſoliti.*

III.

GVSTAVI CHRISTOPHORI HOSMANNI DISSERTATIO EXEGETICA DE RESVRRECTIONE MORTVORVM A CHRISTO DEMONSTRATA. LVC. XX. 37. 38.

Lucae XX. 37. 38. Ὅτι δὲ ἐγάιρονται οἱ νεκροὶ καὶ Μωσῆς ἐμήνυσεν ἐπὶ τῆς βάτου, ὡς λέγει κύριον τὸν Θεὸν Ἀβραὰμ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰσαὰκ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰακώβ. Θεὸς δὲ ὐκ ἔςι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι.

§. I.

Luculentisſimam & inexpugnabilem reſurrectionis patriarcharum demonſtrationem Seruatoris hiſce verbis ineſſe, longe certisſimum eſt, & ab omni dubio remotum. Neruum ſaltem probationis ſe latere plerique fatentur interpretes; & quamuis ſint, qui perſpexiſſe ſibi videantur, tantum tamen abeſt, vt acu rem tetigisſe cenſendi ſint, vt nul-

lo

o potius negotio ostendi possit, expli-
ationibus quas dederunt eas obstare
lifficultates, vt locum tueri prorsus re-
ueant.

§. II.

Etenim, vt argumentorum, quae
Christus & Apostoli adhibuerunt, vim
c robur exponamus, ad illud imprimis
ttendendum est: ne pro fundamento
osuisse videantur, quae aeque obscura,
k vlteriori confirmanda fuissent proba-
ione. Quamuis enim fieri possit, vt ve-
itas probandae positionis inde emergat;
egari tamen nequit, eam demonstrandi
ationem esse quodammodo precariam,
antorum vero virorum prudentia minime
lignam. Illud autem, praeterquam quod
ullo modo concedendum sit, factum et-
am fuisse heic negatur, vbi simul adseri-
ur: in eam angustiam redactos esse ad-
versarios, vt omnem respondendi ansam
praeceptam sibi esse senserint; quippe
quod clarissimo est indicio, argumentum
heic prolatum in euidentissimis numeran-
lum esse: obscuris enim, vel denuo pro-
bandis illico manus dare non amant dis-
putatores eruditi simul & peruicaces, qui-
bus Sadducaeos cumprimis accensendos es-
e constat. Ad quod heic accedit: po-
pulum quoque, non Sadducaeorum silen-
tium,

tium, ſed ipſam potius docendi vim cum ſtupore fuiſſe admiratum; demonſtrationis ergo euidentia illorum etiam perſtrinxit oculos, qui ſubtilibus & longe petitis ratiocinationibus non fuerunt adſueti.

§. III.

Quae proinde ad argumenti huius illuſtrationem diſſeruit B. GOTTFRIDVS OLEARIVS in Obſeruationibus ad Matthaeum p. 606 ſeqq. quamuis egregia ſint, & ad reſurrectionis neceſſitatem demonſtrandam omnino comparata; ad huius tamen loci perſpicuitatem nihil conferunt. Quae ne gratis dixiſſe videar, ſummam explicationis, quam illi, vel JOANNI potius GERHARDO, immortalis memoriae Theologo, debemus, ipſum nempe argumentum quo vſus heic fuerit Seruator B. OLEARII verbis adſcribam: „Quicunque ſunt in *foedere* Dei illi *morti* „corporali ſuccumbere non poſſunt. Cu„ius propoſitionis ratio ex eo redditur, „quoniam illud *foedus mortis corporalis abo*„*litionem* continet. Jam vero Abrahamus „Jſaacus & Jacobus ſunt in *foedere* Dei, „quippe quorum ſe *Deum Deus eſſe fatetur*, „quod eſt agnoſcere *foedus*. Ergo Abra„hamus Jſaacus & Jacobus *morti* ſuccum„bere non poſſunt *temporali*. *Mortui* vero „qui

ui sunt, certe succumberent *morti*, nisi"
estituenda essent per resurrectionem"
nimis corpora ipsorum. Ergo omnino"
la corporum eorum restitutio est exspe-"
canda. p. 616 seq."

§. IV.

Non equidem negauerim egregiam
anc esse spei, qua patres eam in rem
auisi sunt, demonstrationem. Omni
umque dubio caret, verba ista diuina
foederalibus esse habenda, naturalis
item mortis destructionem cum promis-
onibus foederalibus esse coniunctissimam,
que adeo inde emergere: Mortuos in
tam esse reuocandos. Sed vtrum ad
aesentem haec disputationem applicari
ossint, & non tantum SIGNIFICATI-
NEM, sed SENSVM etiam verborum
hristi exhibeant? id vero maiorem &
npliorem exposcit indaginem. Ante
nim quam illud affirmari possit dispicien-
um: an vtrumque quem heic deprehen-
mus effectum producere haec potuerit
gumentatio; Sadducaeis nimirum o-
nem excipiendi materiam praeripere,
populo simul admirationem cum stu-
ore coniunctam iniicere, illud sane veri
ihi videtur dissimile.

§. V.

Etenim, aut nihil intelligo, aut
pro

pro fundamento heic foret ponendum : *primo*, non ignorasse Sadducaeos futuram generis humani redemtionem ; *secundo*, eam his verbis : *Ego sum Deus tuus* , promissam esse ; *tertio* , credidisse Sadducaeos: redemtionem illam naturalis etiam mortis destructionem inferre ; *quarto* , illam mortis naturalis destructionem non tantum ad illud spectare , vnde mors *poena* venit nominanda ; sed ad ipsam etiam mortem , siue animae ac corporis dissolutionem pertinere ; huius tamen destructionis conceptum eo vsque restringendum esse : vt ipsa quidem dissolutio *subeunda* sit fidelibus , sed succumbere saltem morti nequeant fideles ; atque adeo illam mortis , quà talis , destructionem, ad *perpetuitatem* tantum mortis spectare; *quinto* , maiorem etiam populi partem praeditam fuisse cognitione harum rerum clara atque distincta.

§. VI.

Nolo quidem ad euoluenda Sadducaeorum placita descendere ; neque instituti mei ratio vel exigit vel permittit, vt ostendam , quanta obscuritate summa haec fidei capita , eo quidem tempore fuerint inuoluta ; cum neminem forte praetereat , vel maximam populi partem, de redemtione & Messiae officiis , perperam

peram plane sensisse, quin erroribus adeo fuisse mersam: vt redemtorem, nisi externa & mundana specie ac maiestate conspicuum, repudiarent, & e medio tollendum pronuntiarent. Quodsi quis reputauerit, quantas istae opiniones in animis etiam doctorum egerint radices; ille profecto miseri ac rudis populi meliorem fuisse conditionem minime crediderit. Eam autem demonstrationem si cum admiratione excepisset multitudo; intellexisset omnino, quae verbis apertissimis dentidem inculcata latuere nihilominus discipulos Christi.

§. VII.

Ea saltem dogmata Sadducaeorum paulisper expendam, de quibus inter omnes constat, vt quale huic explicationi pretium statuendum sit eo facilius intelligatur. Negarunt resurrectionem corporum Actor. XXIII. 8. negarunt Spiritus, & mentes corporibus esse superstites: τὰς ψυχὰς συναφανίζουσι τοῖς σώμασι IOSEPH. Antiquit. XIIX. 2. Id quod clarissimo est documento: de omnibus illis fidei capitibus, quibus admissis nisi a insano homine negari haec nequeunt, non recte sensisse Sadducaeos, vnde iudicatu simul procliue: Neutiquam heic ἀγώνιον, & omni exceptione maius,

habitum fuiſſe ab aduerſariis, quicquid de vera redemtionis ratione & fructu ſupponendum fuiſſet, velut extra litem poſitum & facile concedendum. Mente enim prorſus oportet eſſe captum, & furioſi nomine dignum: qui credere ſe confitetur redemtionem, cuius commoda, maxima quidem & praecipua ex parte, poſt animae demum & corporis diſſolutionem percipienda ſint; redemtionem, inquam, ſe credere: quae mortis inferat deſtructionem, ſiue reſurrectionem mortuorum: vt ſimul tamen & animas poſt iſtam diſſolutionem exiſtere & corpora eſſe reſurrectura neget. Quamuis enim non raro contingat, vt iis qui in inſigni errore verſantur demonſtrari poſſit: negari, conceſſis licet praemiſſis, euidentiſſimas concluſiones; oportet tamen, vt puto, quominus ab omni hominum commercio remoueantur, non adeo manifeſta contradictione ſibi derogare quae propugnant placita. Sadducaeos autem ingenii & eruditionis laude non prorſus indignos fuiſſe, aliunde notum eſt.

§. VIII.

Caeteras explicationes non moramur, vtpote quae vel eo ſunt comparatae, vt animarum ſaltem immortalitatem euincant; vel argumentum, quod *κατ᾽ ἄνθρωπον*

nomi-

nominamus, exhibent, obſcurum nihilominus, multisque difficultatibus obnoxium. Sufficit quod ſingulae ſuis premantur incommodis, atque adeo negari nequeat, vlteriori meditationi hunc locum eſſe ſubiiciendum. Quamobrem operae me pretium facturum eſſe ſperaui, ſi egregium illud & adeo percellens Seruatoris argumentum, populo etiam Judaico luculentum, Christianis tamen Doctoribus etiamnum obſcurum, data opera euoluerem, & natiuam illi perſpicuitatem reſtituerem; & perſuaſum vtique habeo: quae pro fundamento hanc in rem pono, facile largiturum eſſe quemuis ſacrarum rerum peritum; explicationem vero, quam prolaturus eo, inexpugnabilem ſimul ac euidentisſimam ſiſtere reſurrectionis patriarcharum demonſtrationem, quae Sadducaeos ſimul conuincere, & populum in admirationem abripere potuerit.

§. IX.

Primo quidem, nemo facile negauerit: Numeraſſe Sadducaeos conſcriptos a Moſe libros in iis, qui ab inſtinctu instatuque diuino profecti ſint; ac propterea credidiſſe, verba quae Deum protuliſſe auctor eſt Moſes, vere a Deo eſſe facta; quin ex eodem fundamento colligo: credidiſſe ſimul, vere ea Numinis eſſe attributa, quae Moſes vel expresſis

verbis, vel rerum ab orbe condito gestarum historia, nos esse condocet. Idcirco certum est non negasse Sadducaeos, omnipotentem esse Deum, neque quaesiuisse: vtrum fieri possit vt mortui resurgant. Illud itaque in controuersiam vocatum a Sadducaeis: An statuendum sit necessario, futuram esse mortuorum resurrectionem.

§. X.

Deinde concedendum puto: Seruatori non fuisse hoc loco propositum, vt vniuersalem mortuorum resurrectionem probatum iret; disertis namque *verbis* innuit, nihil aliud euincere se velle, quam *Mosem etiam indicasse resurrectionem*, ex cuius nempe scriptis absurditatis hanc thesin conuincere fuerint annisi.

§. XI.

Denique & illud extra omnem dubitationis aleam positum esse confido: Receptissimum, & communi fere Judaeorum calculo probatum genuinae interpretationis principium fuisse: Premenda omnino esse verba scripturae, & non singulas saltem voces sua gaudere emphasi, sed caussas quoque fuisse sacris scriptoribus, cur his prae caeteris vterentur vocibus, eamque casus, modi ac temporis rationem haberent; proinde neque perperam

peram quidquam ſcriptum, neque citra ſingularem rationem eo modo prolatum eſſe.

§. XII.

Et ita profecto rem ſeſe habere; ita omnio ſtatuendum eſſe, nemo vnus, de his litteris earumque auctoritate recte ſentiens, inficiabitur. Ecquid enim Deo obſtiterit? quo minus clare loqueretur; nde autem efficitur: improprias & longe petitas verborum ſignificationes proriis & genuinis non temere praeferendas, ed, vbi diuini ſcriptores animi ſui ſenſa ninus apte videntur expreſſiſſe, cenſenlum potius eſſe: latere nos hactenus artiſſimum, inter res ipſas & verba de iis dhibita, vinculum, quam ad contortas & vel fidiculis expreſſas explicationes onfugiendum. Ad quod accedit, ipſam tiam rationem docere: vbi gratiam & eneuolentiam ſuam, vel teſtatam facit, el promittit Deus, cum omni omnino mphaſi accipienda eſſe verba; quandouidem ne hominem quidem decet, maori amoris abundantia flagrare, & maora promittere, videri velle, quam qua agret, quam quae promittat. Neque nim exiſtimandum, laboraſſe Deum erborum inopia, vt arctiores gratiae uae declarationibus ac promiſſionibus non

potuerit constituere limites: vt v. c. dicere non potuerit: Ego sum Deus *animae* Abrahami; dixit: Ego sum Deus *Abrahami*: ergo quicquid Abrahamus est, & ad personam Abrahami pertinet, intelligendum heic esse, certissimum est. Miror profecto, interpretes Christianos primum hocce principium adeo nonnunquam habere insuper, vt ea in diuinas liberas libertate, qua ne in humanas quidem gaudent, vtantur.

§. XIII.

Quamuis autem non satis plana sint ex parte priscorum Judaeorum placita, manifestum nihilominus esse reor, in eo omnes (Essenorum enim nullam heic habemus rationem) consensisse: A proprio verborum sensu, non citra grauissimam caussam recedendum esse. Quamobrem illa etiam oracula, quae ad Messiam, eiusque regni maiestatem atque perpetuitatem spectant, non nisi sensu quem proprium arbitrabantur, intelligenda credebant, in eo non reprehendendi, nisi quod non aduerterent: Eam demum esse maiestatem tantis promissionibus dignam, quae omnem mortalium maiestatem superaret. Quodsi ad ea argumenta attendimus, quibus Apostoli Judaeos conuincere annisi sunt; vel maximam ea partem

em ita comparata esſe intelligimus, vt
ıullo prorſus negotio eludere illa potuis-
ent Judaei, ſi tanta in explicandis ora-
ulis licentia vti ſuarum duxisſent perti-
ım, quantam hodie non pauci, ex Chri-
ti etiam ſectatoribus, perperam ſibi lar-
;iuntur. Ecquid enim facilius fuisſet, &
noribus noſtris conuenientius? quam ea
ıuae ex Pſalmorum libro, de futura Mes-
ıae reſurrectione, protulit Apoſtolus, de
)auidis ex miſeriis & aerumnis liberatio-
ıe, vel de reſurrectione Dauidis ſpiritu-
li, vel denique de ea corporis illius re-
titutione, quae vltimo demum die futura
it, interpretari? Ecquid quaeſo facilius
uisſet Judaizantibus inter Galatas, quam
ıumeri ſingularis emphaſin, in verbis te-
:amenti diuini presſam, a Paulo explo-
ıere? & profecto, illud ſaltem inter-
ıretationis principium obſtabat: quo mi-
ıus ex ethnicis conuerſos ad ſpiritualium
ıonorum communionem admittendos ar-
ıitrarentur, qui ex Judaeis nomen dede-
ant ſeruatori; propriam enim ſignifica-
ionem verborum teſtamenti diuini, quo
:men Abrahami haeredem nuncupauerat, ſe
etinere exiſtimabant, donec a Paulo
docerentur: Principium illud interpre-
ationis vtique genuinum esſe & minime
eiiciendum, ſed in eius ſaltem applica-

 tione

tione peccari : quod significationis qui-
dem verborum, sed *non aeque numeri* vo-
cis haberetur ratio, cum maior inde pro-
missionum diuinarum emergat abundan-
tia; atque adeo altera, promissiones nem-
pe intelligendi, regula sarta simul ma-
neat atque tecta. Longum foret exem-
pla hanc in rem vndique conquirere, &
nisi fallor superuacaneum: cum neminem
praetereat, ipsos etiam Apostolos, qui
hoc pacto produnt, eam fuisse Judaeo-
rum sententiam, & recte sic sensisse Ju-
daeos, Apostolos, inquam, ex silentio
quoque scripturae typos petiisse; quod
clarissimo est documento: non tantum
statuendum esse, singulas voces & lo-
quendi modos, quamuis incommode no-
bis videantur adhibiti, rationes habuisse
grauissimas; sed caussas quoque non de-
fuisse sacris scriptoribus, cur nonnulla
silentio prorsus inuoluerent. Id, quod
vel typus ex iis desumtus, quae de Mel-
chisedecho in litteras referre non consul-
tum duxit scriptor θεόπνευστος, abunde
perspicuum reddit.

§. XIV.

**Ad ipsam demonstrationis quod at-
tinet rationem, prudentia seruatoris di-
gnum fuisse puto: vt non ad illud tantum
attenderet quod in controuersia versaba-
tur,**

tur, ſed vt ea heic methodo vteretur quae nullis obnoxia foret exceptionibus. Quodſi enim vel luculentisſimo ſcripturae teſtimonio reſurrectionis veritatem iuisſet confirmatum; Sadducaeorum omnino φλυαρίαι denuo fuisſent diluendae. Ea enim oracula ab aliis pridem, ſed incasſum, prolata fuisſe, a fide non abhorret. Quid quod argumenti pretium, ex ſcopo auctoris arcesſendum ſit; quem quidem heic esſe, vt pateret: *Moſen de reſurrectione mortuorum verba feciſſe*, ipſemet indicat ſeruator.

§. XV.

Accedamus ad ipſa ſeruatoris verba, ſenſumque eorum litteralem euoluamus, quem profecto, minime obſcurum, miror adeo implicatum esſe eo interpretum ſtudio, quo perſpicuitatem verbis lucemque conciliare annisi ſunt. Omnis enim eorum obſcuritas inde ſaltem profecta eſt: quod ſimplices ac primas verborum notiones citra necesſitatem reiicere, improprias autem, easque ſaepenumero, quae non aeque eo tempore ac hodie fuerunt receptae, ſurrogare conſueuerunt viri doctisſimi.

§. XVI.

Primo loco ea expendamus verba, quae a ſolo Luca in litteras ſunt relata;

ſolus ille, prolatis & illuſtratis verbis Moſaicis addidiſſe dicit ſeruatorem: πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι. Senſum quidem verborum perſpexerunt quodammodo interpretes, ſed nullam eius dedere rationem. B. OLEARIVS: πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι, *hoc eſt*, inquit, *in ſtatu ſunt, vt ne mors quidem ipſorum ad interitum eorum pertineat, ſed ad vitam potius (vt quamuis mortui ſint, tamen) tempore ſuo plene demum manifeſtandam.* p. 622. Etenim, ſenſum illum in his verbis quaerendum eſſe conſtat inter omnes, de eo ſaltem ſolliciti ſumus: Qua ratione Sadducaei & populus intelligere potuerint, *Deo viuere* idem eſſe ac morti non ſuccumbere, ſed *reſurrecturum*; ad quod accedit, neque Sadducaeos neque populum perſpicere potuiſſe, quomodo haec theſis ex prolatis verbis Moſaicis ſequatur; niſi concedamus, aliud demonſtrationis fundamentum illis ineſſe, quam quod ex *foederis* atque adeo redemtionis ratione reſultat. Cum prorſus ſit extra fidem, vel populum, vel Sadduceos veram foederis & redemtionis rationem edoctos fuiſſe; vtpote qui de reſurrectione dubitare non potuiſſent, ſi redemtionem credidiſſent ad mortis etiam naturalis deſtructionem pertingentem, & mortuorum reſurrectionem efficientem.

§. XVII.

ALEXANDER MORVS (in Notis p. 72) verba haec: πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσι, reddenda putat: *toti enim vivunt Deo*, & paraphrasin subiungit ex qua illud saltem coniicio, docere quidem Christum, sed non demonstrare, videri viro doctissimo. Neque enim ex hactenus a Christo dictis (eo quidem sensu acceptis vocibus, quo intelliguntur a Moro) efficitur, *totos* vivere patriarchas, illud enim idem est, ac viuere quoad vtramque partem; acu rem tetigit, sed nullam dedit explicationis suae probationem. Illud etiam quod addit: *absconditam latere apud Deum vitam illorum*, verum est; sed quomodo ex dictis Christi, ea qua MORVS vtitur methodo, vel exsculpi queat, non intelligo. Tota enim quam instituit ratiocinatio arena est sine calce, & innumeris responsionibus ansam praebuisset, quod facile perspiciet, qui ea, quae MORVS ad hunc locum disseruit, sub examinis limam reuocauerit, & Sadducaeorum tantisper partes susceperit. Quae in POLI Synopsi Criticorum ad haec verba leguntur ad verum eorum sensum omnino accedunt, sed neque ratio redditur explicationis idonea, neque, quo pacto ex verbis Mosaicis illa veritas emergat, recte osten-

ostenditur, id quod inprimis euoluendum. Praeclare namque intelligitur, verba: πάντες αὐτῷ ζῶσι resurrectionem mortuorum inferre; nisi enim illis inesset resurrectionis affirmatio, nihil omnino dixisset Christus. Sed ad huius loci illustrationem requiritur: vt verborum claritas & argumenti euidentia demonstretur.

§. XIIX.

Sunt qui existimant verbo ζῶσι negari heic, patriarchas quoad animam aeque ac corpus exstinctos esse; quippe quibus ζῶσι hoc loco idem est ac *supersunt*. Illud vero est, vnde omnis fere loci abscuritas profecta. Non nego: *viuere* idem nonnunquam significare ac *existere*, simul autem & agere posse & pati; sed, quod vicissim concedendum, non primo ac proprio, improprio potius sensu, ad quem heic vt recurramus nulla nos cogit necessitas. Nunquam enim improprium verborum sensum primario ac genuino praeferendum esse constat, nisi a genuino recedendi summa nobis incumbat necessitas. Ea autem *subiecta* quibus tale praedicatum, quale prima vocis ζῶσι significatio infert, iungi nequeat, hoc certe loco non ostendimus. Loquitur Christus de

e Abrahamo Jsaaco & Jacobo, sed ne-
ue ea nomina proprie significant animas
atriarcharum, neque statuendum est:
um esse patriarcharum conditionem, vt
bsurdum sit de iis, quod viuant, siue
uod *animarum ac corporum gaudeant coniun-
ione*, quae propria vocis est notio, ad-
rere; modo aliud verbum addatur,
uod omnem contradictionis tollat suspi-
onem, id vero *pronomine* αὐτῷ heic fi-
i coniectu non est difficile. *Abrahamus*,
saacus, & *Jacobus* nomina sunt patriar-
harum: PATRIARCHAE propterea
biecti heic loco habendi sunt, NON
NIMAE patriarcharum; ζῶσι significat,
os *viuere* id est: ANIMAS eorum eo
odo CVM CORPORIBVS CONIVN-
TAS ESSE, vt iis, quos propter disso-
tionem animarum ac corporum, mor-
uos nominamus, opponi possint. Quodsi
brahami nomen heic animam, atque
leo alteram Abrahami partem denotaret,
uere autem, eam animarum immorta-
tatem, qua superstites eas dicimus, in-
ueret? nemo vnquam maiori studio ef-
cisset, vt ne intelligeretur. Sed non
ecet disputatorem, candidum & gra-
em, improprias & longe petitas, sin-
ulis quibus vtitur vocabulis, subiicere
otiones. Quid quod contrarium potius

ex

ex ipſa Euangeliſtarum narratione appareat: Sadducaeos enim conuictos esſe, legimus, & populum in admirationem raptum; quod argumento eſt, non eo ſenſu haec verba prolata fuisſe, quo, ſine interprete, intelligi non potuisſent. Ecquis enim quaeſo credat? ſi dicerem: *Viuebat Daniel cum ſolueretur captiuitas Babylonica*; dicere me voluisſe: Mortuum eo tempore Danielem, & *animam Danielis ad beatas ſedes translatam fuisſe*. Quemadmodum itaque nomina patriarcharum proprie non animas, ſed *perſonas* denotant, *quae animabus conſtant & corporibus*, ita etiam vita, quam viuere dicuntur, eam *animarum ac corporum* infert *coniunctionem*, *quam vitam*, non animae ſaltem, ſed *hominis nominamus*; vt ſenſus verborum ſit: *Illi patriarchae, quos Abrahami Iſaaci & Iacobi nominibus a caeteris discernimus, ea corporum ac animarum gaudent coniunctione, qua vita hominis abſoluitur*; quem ſane ſenſum non aptius, non clarius exprimere potuisſet Seruator, quam his ipſis verbis: πάντες ζῶσι.

§. XIX.

Euaneſcet omne dubium ex quo ſignificationem & emphaſin vocis αὐτῷ conſiderauerimus. Etenim, cum manifeſtum ſit, particulam γὰρ heic esſe *illatiuam*

tiuam, ac ipſam proinde theſin probandam, vel *concluſionem*, his verbis ſiſti, πάντες autem ad patriarchas pertinere: Liquet omnino, vocem ἀυτῷ non ad Moſen ſpectare, ſed ad DEVM. Quapropter illud ſaltem reſtat vt oſtendam, primo, ex prolatis verbis Moſaicis, eorumque illuſtratione, a Seruatore data, illud ſequi: *omnes quos nominaui reſurgent*; deinde, planum faciam: haec verba, omnes itaque DEO viuunt, idem ſignificare ac *omnes reſurgent*; eumque verborum ſenſum ex ſola voce ἀυτῷ ſiue Θεῷ reſultare; hanc denique demonſtrationem euidentisſimam fuiſſe, & loquendi hunc modum adeo non obſcurum; vt a multitudine etiam non potuerit non intelligi.

§. XX.

Fundamentum demonſtrationis in eo ponitur a Seruatore: quod tale Deus *praedicatum* tribuat patriarchis mortalium rebus exemtis, quod niſi viuis *ſubiectis* iungi nequeat. Dixit Dominus: *Ego ſum Deus Abrahami & Deus Jſaaci, & Deus Jacobi.* Mutuam haec verba obligationem inferre conſtat; non itaque neceſſum eſt, omnem verborum emphaſin, & foederalem eorum ſignificationem, operoſa demonſtratione confirmatam, in partes heic

heic trahere. Non nego ſenſum verborum, quo inſtructa a Deo quondam prolata ſunt, luculentisſimum esſe, ſuoque loco conſiderata nihil non continere quod ad generis humani redemtionem & ſalutem pertinet: Ego ſaltem ad huius loci illuſtrationem ſufficere affirmo, vt *Sadducaeos* aeque ac populum perſpectum habuisſe ſtatuamus: mutuam haec verba relationem denotare; illud autem vel ex ipſa lege morali, quin aliis bene multis ſcripturae locis, quin addo ex ipſis etiam verbis, quorum ſignificatio nulla foret, niſi id ſibi velle certum ſit, adeo *manifeſtum* eſt, vt populum, quamuis rudem, non potuerit praeterire, neque a Sadducaeis negari.

§. XXI.

Id ipſum inuuit Seruator additis his verbis *Θεὸς δὲ ὐκ ἔςι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων.* Voce enim ΘΕΟΣ non ipſe Deus heic denotatur, quem *κύριον* nominauerat: ſed illud potius Dei *praedicatum*, quo mutuae relationis vinculum inter Deum & patriarchas indicauerat Moſes, vel ipſe potius Deus. Subſtituamus aliam paulisper vocem; dixisſet: ego ſum *Doctor* Abrahami; quodſi itaque colligeret: Doctor autem non eſt mortuorum ſed viuorum; ſatis puto

puto perspicuum foret, non dici: fieri quidem posse vt mortui doceantur, non autem a Deo; sed negari potius, fieri omnino posse vt mortui doceantur; eam itaque enuntiationem aut auribus ac animis hominum absurdam esse Deoque indignam, aut indicare, viuum esse Abrahamum; propterea quod Doctoris denominatio *relationem* inferat, cuius *terminum* oporteat esse viuum. Pari ratione Sadducaeos expendere iubet Seruator: Si mortui credantur patriarchae, verba vtique diuina contradictione laborare manifesta Deoque prorsus indigna: quandoquidem peruulgatum sit, & indoctos etiam latere nequeat, verba: *Ego sum Deus Abrahami*, Deum ab Abrahamo venerandum & colendum, Abrahamum vero beneficiis a Deo ornandum sistere; neutrum vero nisi ad *viuum* relationis *subiectum* aeque ac *terminum* applicari posse. Sensum hunc verborum, satis videlicet planum, non miror a Judaeo MENASSE BEN ISRAEL perspectum fuisse; nouo enim testamento obseruationem suam debere videtur viris doctissimis: *Deus*, inquit, *non est Deus mortuorum, quia mortui non sunt* (vel mortuorum qui non sunt) *sed viuorum, quia viui existunt* (viuorum, vtpote qui existunt) quae vero subiungit: *Itaque per*

triarchas etiamnum respectu animae viuere, *ex eo recte infertur*, ad scopum Christi, & demonstrationis, qua vsus est, euidentiam non accedunt; ipsa Judaei verba, hispanico idiomate exarata, exhibet venerandus WOLFIVS in Curis Philol. & Crit. ad Matth. XXII. 32.

§. XXII.

Reliquum est vt pronomen αὐτῷ euoluamus quod in conclusione addidit Seruator, & ex quo praecipua pars demonstrationis heic pendet. Cum indignum sit Deo atque adeo fieri nequeat, vt, quae sibi repugnant, eloquatur; verba tamen ab eo prolata doceant, patriarchas viuere, vel eo saltem tempore vixisse, id est, animarum ac corporum coniunctione gauisos fuisse, vel etiamnum fortasse gaudere; huic autem adserto refragetur patriarcharum historia: necesse est, alium dari modum, quo vixisse eo tempore, vel hodieque viuere dici possint. Illum itaque modum, addito pronomine, ita exprimit Christus: πάντες γὰρ ΑΥΤΩΙ ζῶσιν, omnes ergo isti patriarchae DEO viuunt; id est: cum *non actu secundo* viuant, vel eo tempore vixerint, *viuunt* certe *actu primo*. Deus enim hoc pacto nos condocuit, in vitam eos iri

reuo-

reuocatum. Ita namque DEO, non praesentia tantum, sed ea etiam quae certo certius futura sunt, velut praesentia intuenti, ea omnia existunt & VIVVNT; quibus tempus, quo existant, quo vivant, praefiniuit. Proinde Deus, quoies de non existentibus, & de non viventibus, ea loquitur, quae nisi ad exstentia & viuentia applicari nequeunt; eo pso simul indicat: fore vt existant, fore t viuant. Quodsi itaque de iis sic loquiur, quae exstiterunt olim & vixerunt; estatum simul facit: tempus iis praefiniım esse, quo *denuo existant*, & *in vitam uocentur*. Ita enim, cum Messiam olim loqueretur Deus, tanquam si praesens set, argumento id erat, certo certius Iessiam adfuturum; & cum Esa. XLV. ad Cyrum, tanquam praesentem, ver faceret: fore omnino vt Cyrus naeretur. *Viuebat* itaque Cyrus, quamuis vitam non introiuerat, ac proinde non tu secundo viuebat; *viuebat* tamen, sed EO. Innumera hanc in rem exempla scriptis propheticis proferre possem; l nolo in re clara & extra dubium poa argumentis vti non necessariis. Idco manifestum est, corpora patriarchan restitutum & *denuo* cum animabus niunctum iri, propterea quod de pa-

triarchis, tanquam ſi viuerent, locutus eſt Deus eo tempore, quo non vixerunt *actu ſecundo*; *viuunt* itaque *actu primo*, VIVVNT DEO, ſeu, quod idem eſt, RESVRGENT. Neque populus neque Sadducaei ignorabant futura hoc pacto ſignificari; illud enim primum eſt promiſſiones diuinas & vaticinia explicandi principium, atque adeo in vulgus etiam notum.

§. XXIII.

VIVERE itaque DEO idem ſignificat ac *viuere actu primo*, vel ex deſtinatione & propoſito diuino poteſtatem habere in vitam redeundi. Theſis autem probanda haec eſt: *Moſes dixit, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum viuere Deo*, viuere actu primo, reſuſcitatum iri. Argumentatur Chriſtus ſequentem in modum: De quibus mortuis ita Deum locutum eſſe ſcripſit Moſes, ac ſi viuerent, eos Deo viuere auctor eſt; Sed de Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, vtpote mortuis, ita Deum locutum eſſe ſcripſit, ac ſi viuerent: Ergo omnes illos mortuos Deo viuere auctor eſt. *Maior* propoſitio probatione non indiget; *minor* autem ex his verbis liquet: *Ego ſum Deus Abrahami* &c. illum enim loquendi modum relationem inferre conſtat, quae ſubiectum aeque ac terminum requirit

viuum,

viuum, siue, vt Christi verbis vtar: ΘΕΟΣ δὲ ἐκ ἔςι νεκρῶν ἀλλὰ ζώντων. Verum itaque est, patriarchas, ex Mosis relatione, VIVERE DEO, viuere ex consilio & proposito diuino, siue RESVRRECTVROS ESSE.

§. XXIV.

Plana est haec demonstratio, clara, omni prorsus exceptione maior, tantoque Doctore digna: non propterea tantum quod nihil in ea desiderare potuerint Sadducaei, sed quod omnem prorsus obiectionem respuat. Cogitaui, profecto, & excogitaui, quaenam heic dubia moveri possent? sed nihil se obtulit, nisi quod illi scripturam interpretandi libertati acceptum sit referendum, qua perperam hodie nonnulli vtuntur, & quam Judaeis incognitam fuisse, & a moribus illorum prorsus abhorruisse, abunde, nisi fallor, demonstratnm est.

Θ. M. Δ.

IV.

Recensiones Librorum.

I.

JOH. BVGENHAGII *POMERANIA, in quatuor libros diuisa, quorum Primus agit de*

Pomeranorum antiquitate, Secundus refert Pomeranorum & Rugianorum conuersionem, Tertius Principum Pomeraniae gesta, veramq; tradit sanguinis propaginem, Quartus continet miscellanea. Ex manuscripto edidit JAC. HENR. BALTHASAR, S. Theol. D. & Prof. Ordinarius, Consistorii Regii Assessor; & ad aedem S. Jacobi Pastor. Gryphiswaldiae, anno MDCCXXVIII. 4to. 1. Alph. 5½. pl.

NOndum obliuioni datum est nomen magni quondam, dum viueret, Theologi, IOHANNIS BVGENHAGII. (1) Cuius vti multa sunt atq; illustria in uniuersam, qua purior est, ecclesiam merita: ita nec fidem & diligentiam patria desiderauit, in conscribenda earum ab vltimis inde temporibus in eadem gestarum historia. Latuit illa diu satis

---

(1) Effigies ipsius aeri incisa praemittitur Parti Primae anni 1727. der fortgesetzten Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen / vbi & p. 16. sq. breuis vitae eius recensio habetur. Nitidior multo atq; elegantior *Bugenhagii* icon sistitur in *Historia Ecclesiae Hamburgensis Diplomatica*, quam Max. Rev. Dn. NICOLAO STAPHORST debemus, & quidem Volumine I. Partis secundae, p. 150.

ſatis paucorum in ſcriniis, manu tantum exarata, nec mediocri quandoq; pretio veniit, fidem faciente apographo, quod ex ditisſimo B. I. F. MAYERI Apparatu librario (1) decem Imperialibus redemtum jam ſeruat inſtructisſima Bibliotheca ZACH. CONR. ab VFFENBACH, Reipublicae Francofurtenſis Conſulis dignisſimi, communisq; literarum Fautoris atq; Statoris. Eo itaq; maiorem omnino gratiam apud doctos patriaeq; hiſtoriae amantes iniit celeberr. Editor (2) qui poſt duorum Seculorum decurſum ex antiquisſimo exemplo *Bugenhagii Pomeraniam* in lucem produxit, publicoq; vſui expoſuit. Quamtumuis enim, quae de geſtis Pomeranorum hoc ſcripto traduntur, plenius multo atque perfectius in Chronicis CRAMERI, FRIEDEBORNII, MICRAELII aliorumq; iam ſint explicata: multa tamen eodem contineri certum eſt, quae aliorum narrationi vel augendae vel illuſtrandae inſeruire queant.

Praefatio Cl. Editoris varia memoratu

1) Vid. Catalogum Bibliothecae Mayerianae, Berolini 1715. 8vo. impresſum p. 730.

2) Idem iam aliquo abhinc tempore de Hiſtoria Eccleſiaſtica Pomeraniae egregie meritus eſt, edita *Collectione* duplici *ſcriptorum ad eandem pertinentium*, Gryphisvv. 1723. & 1725. 4to.

ratu digna affert, tempus atq; occasionem consignatae huius *Pomeraniae*, nec non subsidia, quibus in ista elaboranda Auctor vsus est, concernentia. Vbi istud ante omnia notandum est, *Bugenhagium* librum hunc scripsisse, vix trigesimum aetatis annum egressum, inde ab aestate anni 1517. vsq; ad mensem Maium sequentis anni 1518. Adeoq; eo tempore ipsemet AntiChristi partibus adhuc fuit addictus, nec de LVTHERO quicquam eidem innotuit, cuius quippe fama anno 1520. demum ad eundem peruenit. Quod vel ideo obseruasse è re fuerit, *ne quis* miretur, *Bugenhagium* ea passim ceu vera & pia commendare, quae postea ipsemet saniora edoctus ad corruptelas regni AntiChristiani retulit. Occasionem scribendi dedit Chronicon Saxoniae, quod FRIDERICVS Elector, cui sapientis cognomen adhaesit, *Spalatinum* conficere iusserat. Ad quod cum vicinarum gentium opus esset historia, Elector à Pomeraniae Duce BVGSLAO X. Genealogiam & res gestas Principum Pomeranorum petiit. Itaq; Bugenhagius, *Valentini* inprimis *Stojentini* opera, Principi commendatur, tanquam ad hoc opus perficiendum aptissimus, cui & ipse BVGSLAVS coram mandauit, vt Pomeraniam permeans omnes con-

conquireret libros, antiquitatis memoriam complexos, quo FRIDERICO mos gereretur. Nec ille ſegniter demandato ſibi munere functus eſt, ſed vrbes, monaſteria, curias, aliaq; loca perluſtravit, & quicquid rerum Pomeranicarum occurrit, annotauit, velut materiam in futurum, ſi ita videretur, aedificium, ipſumq; opus alacri animo coeptum feliciter abſoluit. Subſidia, ad quae ſubinde prouocat, ſunt: I. *Antiqua Slauorum Chronica*, HELMOLDI nimirum, quorum exemplar manuſcriptum olim in Stetinenſi Bibliotheca asſeruatum fuisſe, *Bangertus* in praef. dictis Slauorum Chronicis praemisſa teſtatur, quo fortasſis ipſo *Bugenhagius* vſus eſt. II. Collecta ex *Stetinenſi curia*, itemq; ex monaſteriorum & eccleſiarum huius vrbis monumentis. III. *Chronica Polonica*, quorum Auctor eſt VINCENTIVS KADLVBKO, cui tamen ipſe Bugenhagius parum fidei tribuit. IV. *Chronicon* Abbatis Vrſpergenſis, CONRADI à LICHTENAV, quod anno 1515. typis, ſed corruptisſime, fuerat impresſum. Nonnulla quoq; ex *Joh. Kitſeri* Comoedia, ex *Belbuccenſis* monaſterii, & Academiae *Gryphicae* ſcriniis hauſit.

Argumenta librorum ſingulorum, quibus haec *Pomerania* conſtat, in ipſo ti-

tulo exprimuntur ; neq; adeo omnes ordine perſequi neceſſum eſt. *Secundus* tamen prae reliquis expendi meretur , quo Pomeranorum & Rugianorum ad fidem Chriſtianam conuerſio traditur. In ſacceptis illa ferenda eſt Diuo OTHONI, Bambergenſium quondam Epiſcopo , *qui* poſtquam Julinenſes *Bernardum* expulerant , impetrata à Papa Calixto II. licentia anno Domini M C XXIV. iter in Pomeraniam ſuſcepit. Is primum Pomeraniae oppidum *Piriſcum* ingreſſus , cum quatuordecim diebus praedicaſſet , ſeptem millia hominum , vt fertur , bap*tizauit*, ſingulari propter foeminas ritu obſeruato, qui verbis ſequentibus p. 88. exponitur: „Seorſum viri a foeminis baptizabantur, „(oppanſis circa baptiſterium , quod erat „dolium terrae media parte impoſitum, „velis) tanto ſpatio ſemoti , vt ſcandali „occaſio omnis vitaretur. Et patrinis ve-„ſtes baptizandi oculis ſuis objicientibus, „non prius ſacerdos cortinam leuiter amo-„vit , quam in aquis quempiam audiſſet „potius , quam vidiſſet. Tum *Camminum* profectus itidem praedicationi atq; baptismatis collationi operam dedit , non ſine ignominia & damno à *Julinenſibus* ejectus , qui tamen poſtea perductis ad fidem *Stetinenſibus* & ipſi Chriſto nomen

de-

dederunt. Nonnullis deinde aliis ciuitatibus peragratis, *Otho* ad Bambergenſes reuerſus eſt, quo abſente Julina & Stetinum à fide rurſus defecerunt. *Otho* autem poſt tres annos Pomeraniam iterum intrauit, ciuitatesq; *Timinam*, i. e. Demmin, *Vsnoim*, i. e. Vſedom, *Juliam Auguſtam*, i. e. Wolgaſt, *Chozegouiam*, i. e. Guſcow, aliasq; Chriſto conciliauit, nec non Stetinenſes & Julinenſes apoſtatas ad fidem reduxit, reuocatusq; à Rege LOTHARIO apud ſuos placidè obdormiuit. Singularia multa hic immiſcentur, quorum tamen nonnulla ita ſunt comparata, vt prioris temporis, quo *Bugenhagius* in Papatu vixit, indolem referant, qualia ſunt miracula quaedam, dum militis filius lunaticus exhibito reliquiis Sanctorum cultu ſanatus eſt, & ruſtici ob ſpreta Sanctorum feſta poenas dederunt, vti p. 110. traditur: "Othonis Sacerdos increpat" agricolas, die beati LAVRENTII in" agro metentes. Cuius cum contemne-" rent verba, è coelis igne miſſo fruges" abſumtae ſunt. Poſtulant ergo homines" veniam, facti poſteris exemplum, prae-" dictum feſtum minime violandi. Rurſum" in aſſumptione beatae MARIAE Virginis" ruſticus quidam cum vxore apud *Cammi-*" *nenſes* in agro laborans, & ab eodem Sa-" cerdote"

„cerdote increpatus, dixit: *Hodie secunda* „*est feria. Heri à labore abstinui. Non est* „*mihi singulis diebus feriandum.* Hic cum sa-„cerdotis exhortationem non susciperet, „cadens exspirauit, retenta segetis parte „in manu. Quae, quia eripi non potuit, „sepulchro cum exanimi corpore illata „est. Mulier autem beneficio DEI geni-„tricis ab interitu liberata, similiter se-„getem tenuit, quoad Othonem adiens, „delicti confessione facta, & ad diuum „ADALBERTVM missa, liberata fuerit.

Interim nec desunt in hoc scripto indicia, quae *Bugenhagium* testibus veritatis Euangelicae, ex ipso Papatu à *Flacio* aliisq; collectis, iure annumerandum esse comprobent, dum ipse graues passim querelas de corruptissimo aulae Romanae & ecclesiae Pomeranicae statu interspersit. „Ita enim loquitur p. 25. „Festa luce, „quia prohibemur ab operibus manuum, „vt liberius mens DEO vacet, quid quae-„so aliud facimus, quam quod in ethni-„cis damnamus? Dum ortus nostri reco-„litur Saluatoris, quis religiosum se cre-„dit, nisi singulis diebus, postquam vel „semel templum viderit, tota die bonaq; „noctis parte, quam cum sequentis lucis „commutat initio, *Isidis* deuotus sacrifi-„cator, bachantibus admisceatur. Dum

„aduen-

aduentus ſpiritus Paracleti fulgent my-"
ſteria, nos facimus orgia *Bacchi*. — "
Haec ab ineunte aetate diſcimus. Haec"
cum lacte imbibimus. Et mirum videbi-"
tur, ſi a talibus haud facile ſenes abſti-"
nemus? — Ipſi in Chriſto verendi"
Sacerdotes, quorum munus vel primum"
erat iſta prohibere, vtcunq; poſſent,"
ſuae obliti dignitatis, pro virili adiu-"
vant, excuſantes id, vt dicunt, tempus"
poſtulare. P. 55. ſq. Quidam eccleſiaſti-"
ci, non modica laborantes ignorantia,"
dum in quotidiana collocutione leniter"
ſaltem tangi audiunt ſuas fabulas *de Pontio*"
Pilato, *de impiisſimi Judae*, Chriſti pro-"
ditoris, *vita*, *de ortu diuorum*, *Stephani*,"
protomartyris, *& Laurentii*, *diaconi Romani*,"
deq; infinitis prope id genus aliis: mox"
exclamantes, ſeſe bonis ſcripturis, aiunt,"
probaturos. Hic clamat, ſe a quodam"
ſolenni, vt dicit, viro, talia concio-"
nante, audiisſe. Ille quaſi dolendo con-"
queritur, ſacram laedi ſcripturam, dum"
haec fabuloſa taxantur. Quaſi ſacra ſcri-"
ptura hisce ſit fabulis permiſta, & non"
potius adeo vera, vt ne apex quidem,"
aut vnum jota, pereat aut cadat. P. 94."
Noſtro aeuo filias tradunt monaſteriis: "
ſatis optimum factu, nisi quaedam ita"
viuerent, vt Satanae potius atq; mundo,"
quam"

„quam Chriſto traditae viderentur. P. 118.
„Ait quispiam: *Monachus ſum. Exacta in*
„*me non requiritur ſcientia, dum bene vixero.*
„Num ergo adeo ſtupidus eris, cum tibi
„vel cantandum vel ſacrificandum ſit, vt
„ruſtico vel coquinario homine non plus
„ſapias? — Caue, ne ex eorum ſis
„numero, qui cum haec incunctanter
„quaerunt & asſumunt, ne ſacramenti
„quidem vocabulum intelligunt. Vt in-
„terim de doctrina nihil dicam. Plura eiusmodi alia lubentes praetermittimus.

Adiiciuntur ad calcem Supplementa ex compendio huius Pomeraniae ab ignoto auctore concinnato, quod Stetini in bibliotheca *Libeheriana* asſeruatur, ſequente ornatum titulo: *Epitome Chronicorum Pomeraniae, ex contextu* R. P. D. D. *JOHANNIS BVGENHAGII, Pomerani, anno Domini* 1580: *exarata.* Dubium vero nullum eſt, quin opera praeſenti ſcripto à Max. Reu. Dn. Editore impenſa, vna cum *Epitome Annalium Pomeraniae* VAL. *ab* EICKSTET nuper ab eodem in lucem protracta, (1) Hiſtoriae Pomeraniae lumen atq; adiumentum ingens ſit allatura.

II.

(1) Gryphisvv. 1728. 4to 1. Alph. Recenſionem huius libri vid. in denen Hamburgischen Auszügen/ Part. VI. p. 401. ſq.

II.

OTTO. FRID. SCHÜTZII *de vita Dauidis Chytraei commentariorum libri duo vltimi, in supplementum historiae Ecclesiasticae & litterariae saeculi XVI. cum indicibus necessariis in omnes libros. Hamburgi. 1728. 8vo. Lib. III. conſt. Alph. 1. pl. 4. Lib. IV. pl. 18.*

Digni ſunt hi commentarii de vita Dau. Chytraei, quorum initium fecit in noſtra vicinia, dum in oppido *Rhena* verbi diuini Miniſtrum ageret Cl. SCHÜTZIUS (1) νῦν ἐν ἁγίοις, qui iuſta cum laude memorentur. Prodierat Liber primus a. 1720. alter a. 1722. duo tandem poſtremi anno vertente. Non eſt haec ſterilis quaedam & jejuna biographia, ſed res continet ſimul iſtius aeui maxime memorabiles, quarum Chytraeus pars magna fuit. Praeter enim vitam B. viri iuxta ſeriem temporum expoſitam, exhibetur hic hiſtoria librorum ab eodem conditorum, ſupplementa & illuſtra-

(1) Natus erat Svverini A. 1690. die 4. Sept. cumque Miniſterio Rhenenſi per quadriennium fere eſſet functus, Eccleſiaſtes vocatus eſt ad aedem S. Lamberti apud Lüneburgenſes, in quo munere dum magna cum laude verſabatur, praematuro fato obiit Anno 1728. d. 5. Martii.

illuſtrationes hiſtoriae Eccleſiaſticae inprimis Lutheranae integri dimidii ſeculi XVI. poſterioris ; Excerptaque ex incondita farragine Epiſtolarum Chytraei, vt & multa Hiſtoriam ſtatus academiae Roſtochienſis iſtius temporis illuſtrantia.

Initium Libri tertii fit recenſione rerum a. 1581. geſtarum. Enata erat ab anno 1521. in celeberima Antwerpienſium ciuitate Eccleſiola, quae puriori doctrina delectabatur. Huic vero â primis incunabilis multis cum aduerſitatibus colluctandum erat. Editus erat in eiusdem vſus *Catechismus*, ſeu *Breuis inſtructio de praecipuis capitibus Chriſtianae doctrinae*, quem cum turbulentus homo *Petrus Eickardes* ſiue *Eggerdes* mirum quantum arroderet, nouasq; inde animorum diſtractiones excitaret, deligebantur Curatores, qui *Chemnitii*, *Selnecceri*, *Miniſterii pariter vvormatienſis*, *Argentoratenſis*, *huiusq; Academiae* iudicia de hoc libello non ſolum percontarentur, ſed Roſtochienſes quoque in hac controuerſia catechetica conſulerent. Expromit hac occaſione fragmenta quaedam cenſurae Chytraeanae §. IV. p. 24. ſ. cumque Antwerpienſes penuria miniſtrorum verbi laborarent, & Roſtochienſes inprimis de iis aut mittendis aut ad tempus commodandis ſollicitarent, autor ſuaſorque fuit Noſter

ſter aliquibus, quos inter Conradus Schluſſelburgius primis fuit, vt non tantum difficilem ſpartam adirent ſed & in periculoſa iſta ſtatione caute prudenterq; verſarentur. Inter acta Chytraei a. 1583. commercium epiſtolicum numeratur, quod ipſi cum graecis, ciuibus vrbis Conſtantinopoleos interceſſerat. Ex horum numero laudatur inprimis *Meletius* Proto-Syncellus Patriarchae Alexandrini. Curam tradendarum ipſi literarum commiſerat *Petro Monouio* medico vindobonenſi & *Francisco Billerbegio* nobili Pomerano in Ungaria aduerſus Turcas militanti. §. XIII. p. 76. Controuerſia difficilis interceſſit Chytraeo cum *Poſſeuino* & *Nicolao Mylonio*, quo ficto ſub nomine ipſum Poſſeuinum latere plures arbitrantur. Occaſio eius fuerat *oratio de ſtatu Eccleſiarum in graecia.* Primus omnium de fide graecorum hic diſſeruerat Chytraeus. Hunc primum aggrediendum eſſe ſibi perſuaſerat Poſſeuinus, quo ſucceſſu hoc factum ſit & quae ſcripta hae lites protulerint docetur §. XVII. p. 161. Palmarium Chytraei ſcriptum eſt *Chronologia hiſtoriae Herodoti & Thucydidis.* Quamuis enim multa deinceps locupletius in chronologicis & genealogicis expoſita ſint, ea tamen aetate in hoc ſtudiorum genere nemo melius copi-

 oſius-

oſiusque diſſeruit, viam certe in difficili & inculto chronologiae fundo plerisque praeiuit, prodierat liber iam a. 1573. & altera vice 1579. in forma, quam vocant, octaua, ſed poſtremis curis recognitus in 4. prodiit a. 1586. Mentio iam facta eſt *Conradi Schlusſelburgii.* Hic a. 1568. regnante Wittebergae cryptocaluinismo â coetu Academiae, additâ infamiae notâ excluſus erat, agebat anno 1586. miniſtrum verbi apud Wismarienſes, ubi relegatio haec academica â maleferiato quodam cauſae patrono ignominioſe ipſi objiciebatur. Chytraeus vero *intercesſione ſua* id efficiebat vt honorificum reſtitutionis teſtimonium obtineret. Dolet vero B. Schützius libellum relegationis Schlusſelburgianae denuo luci fuiſſe expoſitum *in actis literariis ex MSC. erutis*; teſtimonium contra quod in calce concionis valedictoriae cum Wismariâ ad capesſendum Superintendentis munus Raceburgum adiret, apparet, editum non esſe. §. XXIV. p. 199. *Pancratius Krügerus* qui Scholam Lubecenſem moderabatur, homo erat ingenii nouaturientis & peruicacis. Melanchtonem adeo ſugillarat olim, iam vero inquietus vir anno 1588. moleſtus esſe ceperat ſcholarchis ſuis. Chytraeus vero maximopere ſtuduit vt iras eiusdem frangeret eum-

que

que intra metas vocationis contineret. Occurrit §. XXXII. notitia de commercio epistolico quod ipsi intercessit cum *Henrico Meibomio*, *Jano Grutero*, *Justo Lipsio*, *Jacobo Bongarsio*, *Laurentio Rhodomanno* & aliis. Venerat anno 1595. ex consilio Pouchenii & ministrorum verbi Lubecensium Rostochium Huberus, multae hinc Rostochiensibus cum Hubero controuersiae, quas sub titulo actorum Huberianorum ex scriniis Rostochiensibus collectorum enarrat noster §. XLV. - LI. p. 350. sq. In controuersia Goslariensi quae ad finem properante seculo inter *Henricum Büntingium* & reliquos verbi ministros exoriebatur, iudicium suum nomine Rostochiensium exposuit Chytraeus, quod manu ipsius exaratum in actis academiae conseruatur. Haec anno 1599. contigerunt, annus vero sequens ipsi fuit decretorius, in fine enim diei Iunii XXV. circa horam noctis duodecimam finem viuendi, composito placidissime velut ad somnum corpore, fecit, postquam annos LXX. viuendo superasset & per quinquaginta fere annos Doctorem academiae egisset. Subjicitur denique historia libri, quo praecipue inclaruit Chytraeus qui *Chronicon Saxoniae* inscribitur §. LXII. p. 446. sq. cuius vindiciae contra iniqua *Richard*,

Tompsonii, *Jacobi Bongarsii*, *Antonii VVitteri-heimii*, *Danorum quorundam*, *Gilberti Genebrardi*, *Euerardi Reidani* & *Antonii Varillasii* iudicia occurrunt §. LXV. p. 461. sq. Accuratus denique omnium librorum Chytraei catalogus, quorum lectio in indice librorum prohibitorum *Soto maioris* interdicitur nectitur p. 471. s.

Liber *quartus* vero commentariorum de vita Chytraei criticus est, in quo de ingenio doctrina, moribus aliisque argumenti cognati disquiritur. Ingenium ipsi tribuitur summe excellens & capax disciplinarum, memoria fidelis & singularis iudicii vis. In Theologia simplicitatem commendabat discipulis, quae praecisis cogitationibus scientiae quidem multum, sapientiae autem parum secum vehentibus necessaria & maxime vtilia in deliciis habet. In studio Philosophiae Aristotelem cum Praeceptore Melanchtone sequebatur: cum tamen eo tempore *Petrus Ramus* nouam Philosophiae methodum excogitasset, viri ingenium admiratus non modo literis humanissimis eum compellauit, sed etiam in libellis suis Rami mentionem satis honorificam fecit. Quamuis autem in linguis orientis quae isto aeuo ea cultura destituebantur, qua hodie efflorescunt, vltra grammaticae ebraeae rudi-

rudimenta vix aſcenderit; in graecis tamen adeo verſatus erat, vt in iſtis literis inter Theologos aequalem non haberet. Herodotum enim & Thucydidem ex toties repetita lectione callebat ad vnguem, Philoſophos pariter graecos, Rhetores, Poetas, Patres Eccleſiae ad vnum omnes, quin recentiores graecorum libros aſſidua manu verſabat, & literarum commercium cum graecis colebat. §. V. p 20. De doctrina illius hiſtorica, chronologica & genealogica, cultura hiſtoriae Patriae & Meclenburgenſis, hiſtoriae pariter literariae, reique numariae, Poeticae vt & amore ſtudii iuris ciuilis & Doctrinae medicae agitur §. VI. - IX. p. 25. ſ. De moribus Beati viri exponit §. XI. ſq. p. 39. ſ. quam longe abfuerit â titulomania eruditorum videamus ex verbis Chytraei ad *Caſparum Hoſlerum*, qui in epigrammate effigiei Chytraei editioni chronici Lipſienſis ornatus cauſa praemiſſae, eum Hiſtoricum Philoſophum & Theologum *ſummum* nuncupauerat. Scribit enim: *Nimiae laudes oneri magis ſunt quam honori & tetram illam inuidiam irritant potius, quam bonorum beneuolentiam augent — oro igitur, ſi non prorſus abolere editionem potes, vt cum repetitur expreſſio, talis ſit inſcriptio: Effigies Dauidis Chytraei, Theologi, Hiſtorici & Philoſophi*

losophi inclyti: praetermisso superlatiuo Summi. In duobus primis distichis optarim, Dauidis potius proprium quam Chytraei cognomen exstare, & in postremo disticho Chytraei cum gemma annuli comparatio, qua omnibus in Germania literatis antefertur, nimium inuidiosa est p. 51. De Fuga τῆς Φιλαργυρίας deque ingentibus diuitiis, Chytraeo tribui solitis §. XIV. De Philippismo eiusdem & quid humani passus sit locisque Epistolarum nonnullis parum sibi constantibus §. XVII. de inpacta ipsi cum Caluinianis collusione §. XX. deque suspicionibus Religionem Chytraei concernentibus *Heshusii*, *Ouermanni*, *Hunnii*, *VVinckelmanni*, *Pouchenii*. §. XXI. sq. Tandem vero de criminationibus *G. Arnoldi* quas B. *Fechtius* retudit §. XXIII. p. 92. disseritur. In reliquis paragraphis XXIV. & XXV. de Symbolo Chytraei, de collectione *Chytraeanorum*, de parallelismo Chytraeum inter & reliquos Ecclesiae nostrae Doctores, vt & de Familia & Posteris Chytraei, itemq; aliis, quos sibi habuit cognomines agit, & orationem subnectit hactenus non editam, qua B. J. *Fechtius* Elogium Chytraei velut in nucleo exhibet.

Elegans

Elegans est & curiosa multaque diligentia consignata haec Chytraei vita, vel prima inspectio docet, Historiam Ecclesiasticam istius temporis multum inde lucis accipere, neque exspectatione hae excidere, qui talia in his commentariis quaerunt. Dolemus autem eruditissimum pariter & diligentissimum *Schützium* praematuro obitu impeditum esse, quo minus ea quae meditabatur scripta (1) luci publicae exposuerit.

(1) Inter scripta quae non solum meditabatur, sed etiam multa cum cura consignare coepit numeramus: (1) *Historiam Ecclesiasticam Mecleniburgensem*, iuxta Superintendenturas quas vocant dispositam, & ex actis authenticis, quorum ipsi liberalissime copia fiebat; illustratam. (2) *Fasciculum anecdotorum*, in quem multa ad acta Huberi spectantia inserere promittit. L. III. p. 358 *not:* (e) p. 359 *not:* (g) p. 364 *not:* (g) p. 425 *not:* (f) &c. (3) *Vitam Conradi Schlüsselburgii* vid. p. 197. (4) *Historiam libri, qui vulgo vocatur Interim, s. Certaminis Interemistici & Adiaphoristici, quod sec. XVI. Lutheranum coetum multum vexavit.* Sciagraphiam universi operis exponit L. I. p. 527. *not:* (a). (5) *Annales Academiae Rostochiensis per sec. XVII.* p. 445.

III.

NICOL. STAPHORST,

Past. Joh. Hamb.

Historia Ecclesiae Hamburgensis Diplomatica. Part. I. Vol. III.

PRomissi, pag. 504 dati, memor, continuabo breuem recensionem MSStorum Hamburgensium, quae Bibliotheca Petrina asseruat. Codicum 32 jam facta est mentio: qui supersunt, nunc sequantur.

33. *Liber Domini ARNOLDI de MELDORPE.* Codex est membranaceus, continens meditationes in varia S. Scripturae loca, historice & allegorice tractata, quarum meditationum argumenta p. 363 sq leguntur.

34. Codex hic membranaceus habet (1) *Libellum de Sacramento*, in quo *Sacramentum* sumitur pro *Mysterio*, & incarnationis Christi mysteria exponuntur. Index capitum suppeditatur p. 365 sqq. (2) *Sermonem in Festo Encaeniorum habitum.* (3) *Conciones miscellaneas*, ante quatuor, vel quinque saecula conscriptas.

35. *Sermones de Tempore*, saeculo decimo tertio in membrana scripti, quos a

Du-

Discipulo de Tempore diuersos esse, ostenditur p. 370.

36. Codex chartaceus, in quo sunt (a) *Textus IV Euangelistarum cum Prologis*, & Versione Vulgata. (b) *De AEtatibus Mundi & de Genealogia Christi.* (c) *Tractatus de diuersis rebus*, inde recensitis p. 371 sqq. (d) *Apocalysis Iohannis cum Glossa.* (e) *Expositio Orationis Dominicae.* (f) *Expositio Symboli Apostolorum & Athanasii.* (g) *Speculum Mariae Virginis.*

37. 38. *Missalia*, in charta scripta.

39. *Sermones in Synodis habiti*, variorum manibus consignati.

40. Codex chartaceus, in quo habentur 1) *Expositio Hymnorum & Prosarum.* 2) *Biblia Pauperum*, s. Bibliorum compendium, e quo specimen exhibetur p. 377 sq. 3) M. NICOLAI BRVGMANN *Sermo in verba: Iob sedens in sterquilinio*, an. 1407 recitatus.

41. Codex chartaceus, continens 1) *Expositionem Iuris Canonici.* 2) *Tractatum Philosophico-Theologicum*, cuius initium & finem exhibuit Staphorstius p. 379. 3) *Sermones*, in primis de Christo.

42. 43. 44. 45. 46. *Missalia*, saec. XV. in 8vo. scripta.

47. *Postilla Studentium Sanctae Vniuersitatis Pragensis.* Codex primae magnitudinis char-

chartaceus, cuius auctor vulgo dicitur CONRADVS PRAGENSIS. Vid. supra n. 21. Circa hoc autem exemplar Staphorstius p. 380 obseruat, quod appelletur CONRADVS SOLTOVV.

48. Codici huic insunt 1. BERNHARDVS *super: Stabat iuxta crucem.* 2. *Tractatus deuotus de Corpore & Sanguine Domini.* 3. *Tractatus de Passione Christi.* 4. *Commentarius in VII Epistolas Canonicas.* In hoc Epistola Iacobea praefertur Petrinis, quod *Iacobus prius Jerosolymis cathedrae dignitatem suscepit, vnde prius in Pontificalibus celebrasse dicitur.* Alias, huic non dissimiles, rationes, cur epistola Iacobi praecedat epistolam Petri, e citato Commentario excerpsit Staphorstius p. 381. 5. *Expositio Cantici Canticorum*, crassam Μαριολατρείαν sapiens. 6. *Expositio Salutationis Angelicae: Aue Maria.*

49. *Sermones diuersi de Sanctis ac de Tempore.* Codex chartaceus.

50. Codex chartaceus, constans 1) *Collectione Sermonum* IACOBI *de* VORAGINE, AVGVSTINI, BERNARDI, & aliorum. 2) *Collectis venerabilis Magistri, nec non Doctoris* GOTZVVICI *super Epistolas & Euangelia.* 3) *Sermonibus de Dedicatione Ecclesiae:* vt & in verba: *Benedicat nos Deus, Deus noster:* Rerum,

rum, quae ad inaugurationem templi in Papatu adhibentur, deſcriptionem, affi-ctamq; iis ſignificationem, excerpſit Staphorſtius p. 384 ſq.

51. Codex membranaceus, ante quinque ſaecula exaratus, in quo ſunt (1) *Sermones*. (2) *Tractatus de Meteoris, Planetis, Stellis*, &c. ad res ſacras accommodatis. (3) *Sermones de Tempore*. (4) *Soliloquium de Arrha Animae*, quod HVGONI de S. VICTORE vulgo tribuitur. (5) *AVGVSTINI Liber de Spiritu & Anima*. (6) *Magiſter HVGO de Medicina Animae*. (7) *Magiſtri VVILHELMI tractatus in Philoſophiam*. (8) *Sermones* in varia Scripturae loca. (9) *De Theologiae ortu, progreſſu, ſtatu*. (10) *Index Alphabeticus in Librum Decretorum*, cuius auctor cum ſit *MARTINVS POLONVS*, celebris ſuae aetatis vir, de eius vita & ſcriptis erudite agit Staphorſtius p. 386 ſqq. (11) *Statuta GVIDONIS in Concilio Bremenſi An. 1266. menſ. Novembr. ſancita*, quorum MStum Hamburgenſe quomodo differat ab editione Lünigiana, p. 389 ſq demonſtratur.

52. Codex membranaceus, ante an. 1460 ſcriptus, in quo extant (a) *Rubricae totius Iuris Ciuilis*. (b) *Nonnulla PROCOPII, Curiae Epiſcopalis Munenſis Commiſſarii, & SIGISMVNDI, Imp. Romani, Diplo-*

mata.

mata ,quae integra sistuntur p. 390 - 397. (c) *Consolationes festorum anni* ,recensitae, p. 397 sqq. (d) *Receptio Kalendarii Anno* 1454. (e) *IOHANNIS Presbyteri Appellatio a diuina iustitia ad Dei misericordiam.*

53. Codex membranaceus, continens 1. *Expositionem super Cantica Canticorum.* 2. *Sex Sermones de Dedicatione Ecclesiae.* 3. *HVGONIS de S. VICTORE Libellum de Arrha Animae.* 4. *Summam de Origine Peccatorum mortalium, & eorum remediis obuiantibus.*

54. *HOLTNICKERI Sermones de Sanctis.* Codex auctoris ignoti membranaceus.

55. Codex in membrana ante quatuor saecula consignatus, cui insunt 1) *Fr. AEGYDIVS de Praescientia & Praedestinatione diuina.* 2) *Breviloquium super libros Sententiarum.* 3) *Fr. AEGYDII Quaestiones de Resurrectione Mortuorum.* 4) *Ei. liber de Peccato Originali.* 5) *ALBERTI Coloniensis Episcopi Quaestiones* , quarum, de rebus physicis agentium, index legitur p. 406 sq. 6) *Quaestiones Physicales* , *quae AVREA DONA appellantur ab ALBERTO editore Coloniensi, Episcopo.* 7) Scriptum *de Homine* , *eiusq; Sanguine* , cui adhaerent *SECVNDI Philosophi Philosophata.* 8) *Quaestiones de quolibet.*

56. *Quadragesimale.* Sic inscriptus est codex membranaceus, Sermones sacros continens.

57. *Lexi-*

57. *Lexicon Morale*, cuius tituli 133 exhibentur pag. 408 ſqq. Codex eſt membranaceus.

58. *Excerpta Summae de Vitiis*, quorum titulos 225 vide p. 411 ſqq. Codex itidem eſt membranaceus, nitide, ante quinque fere ſaecula, ſcriptus.

59. *Moralis Expoſitio Epiſtolarum & Euangeliorum Dominicalium per totum annum Domini PETRI de Laude Domini.* Speciminis loco expoſitio Euangelii de Phariſaeo & Publicano Luc. XVIII excerpta eſt p. 417 ſq. Annexam huic Expoſitioni breuem *Eccleſiae Hamburgenſis ab an. 751 ad an. 1262 Hiſtoriam* edidit Staphorſtius p. 418 ſqq.

60. Codex membranaceus in 8vo., complectens 1. *Compendium Theologicum*, e dictis Patrum collectum. 2. *Excerpta de Epiſtolis SENECAE ad Lucillum.* 3. *Librum de Pomo & Morte ARISTOTELIS.* 4. *Figuram* ſingularem, p. 424 a Staphorſtio exhibitam, quae continet conuenientiam elementorum, plagarum mundi, ventorum, duodecim ſignorum Zodiaci, planetarum, &c.

Atque haec eſt MSStorum Bibliothecae Petrinae Hamburgenſis notitia, qua accurate & diligenter conſignata, variisq; eruditis locupletata obſeruationibus, celeberrimus Staphorſtius exantlauit laborem, gratum ſine dubio omnibus iis, qui hiſtoriam medii aeui literariam cupiunt cognoſcere, deq; eius incrementis ſunt ſoliciti.

V.

NOVA LITERARIA.

WISMARIAE.

M. JOH. FRID. SCHOMERVS Rector, orationibus tribus ex Legato Peterſeniano die 18 Nou. habendis praemiſit Programma *De nimia Pontificiorum erga ſanctos eorumque reliquias gratia.* conſt: pl. 1.

SWERINI.

Triga virorum de Eccleſia noſtra hactenus egregiè meritorum MARTINVS JOACHIMVS SCHVMAN, GEORGIVS WESTPHAL, JOH. DAN. SVKOW, breui temporis ſpatio deceſſit & Eccleſia adeo noſtra ſingulari fato veluti vidua facta atq; Paſtoribus ſuis ſimul omnibus orbata fuit. Nomen ſibi famamque inprimis peperit JOHAN. DAN. SVKOW, vir illuſtri ſtirpe ex matre prognatus. Per varios ille caſus iactatus militaria aeque ac ciuilia officia magna cum dexteritate geſſit; ſed non minore dexteritate quam fide ſacro munere primum apud Ruſſouienſes deinde apud Swerinenſes functus eſt. Huic muneri admotus fuit anno 1709. ſed interveniente beata morte valedixit, anno aetatis 63. Praeter vero curam animarum, quam fideliter pieque geſſit, in euoluendis

eru-

eruendisque antiquitatibus inprimis Patriis multum diligentiae posuit. Enata sunt inde MSCa quae oleum redolent & industriam, inq; scrinis B. viri reperta sunt. Dum in vitis fuit praeter sermones & inscriptiones funebres quasdam nihil edidit, inter ea autem scripta quae lucem merentur sunt sequentia:

1.) *Taurus Sacer*, recondita eruditione & antiquitatibus Megapolitanis tam sacris quam profanis refertus, nec sine laude à clarissimis viris, quibus eum videre & perlustrare datum fuit, citatus.

2.) *Antiquitates Mecklenburgenses sacrae & ciuiles.*

3.) *Heraldica Mecklenburgica.*

4.) *Curieuse* und *politische* Fragen aus der Mecklenburgischen *historie*, *geographie* &c.

5.) *MSCum Etymologicum* von den Rostockischen Waaren.

6.) *Apparatus Collectaneorum exquisitissimorum in omni genere scientiarum.*

7.) *Spectrologia Mecklenburgica.*

8.) Gründliche Wiederlegung des Sturmischen Beweises vom Heil. Abendmahl. rc.

ROSTOCHII.

Prodiit nuper Informat, so von der Hoch-Ehrwürdigen *Theologischen Facultaet* zu *Rostock* auff drey abgelassene Fragen ertheilet

theilet und mit einer Vorrede des Anfragers begleitet worden. pl. 6.

Der Theologischen Facultaet zu Rostock Redlich und Deutliche Entdeckung derer offenkündigen Unwahrheiten welche M. Ludwig Gerhard in seinem Systemate *ἀποκαταστάσεως* wieder dieselbe auszusprechen kein bedencken genommen. Constat pl. 13½.

D. JOHAN. JOACHIM WEIDENER Disputationibus aliquot publicis discussit & luci publicae exposuit Quaestionem Theologicam *An Regenitus iam inde á Regenerationis tempore, vsque ad beatam mortem sese ab omni proaeretico peccato semper continere possit; & an eiusmodi perseuerantiae exempla ê S. riptura S. produci queant.* Additus est Syllabus rerum praecipuarum. constat Alph. II. pl. 8. 4to.

D. DAV. HENR. KOEPKENIVS edidit Commentationem Historico-Theologicam *de Fabulosa variisque Fraudibus quondam obnoxia & delusa Megapoli*, inaugurali discursu primum propositam, nunc vero prolixius significatis argumenti circumstantiis, editam. Alph. I. pl. 2. 4to. Liber hic est fructus amoris & studii, quod plurimum reuerendus Autor in eruendis antiquitatibus Meklenburgensibus ponit. Merito dolet, praeter *Albertum Cranzium & Nico-*

Nicolaum Marechallum Thurium paulo ante reformationem & sub illius ingressum haud repertum esse, qui pleniorem rerum Meklenburgicarum notitiam suppeditaret; post illius vero ingressum oppido paucos res in his Terris gestas memoriae prodidisse. Quoties igitur pro concione dicendi necessitas Ipsi fuit imposita, toties ex historia Meklenburgica dicendi materiam petere solet. Rogamusque S. R. Autorem publico nomine, vt reliqua laudandi huius laboris specimina pariter luci publicae exponat.

D. FRANC. ALB. AEPINVS mense Octobr. habuit Disputationem Theologicam *De Pietatis ad Christianumum habitudine atque necessitate*, Resp. *Augusto Höuet*, Gustrouiensi. pl. 5½.

D. JOH. CHRISTIAN BVRGMANN d. XX. Octob. aphorismos Theologicos publica disputatione exhibuit *de oeconomia Principiorum Salutis generatim considerata*, Resp. *Georg. Casp. Ohmsen*, Wismar. pl. 4.

D. JAC. CARMON Academiae Rector Programmate Pentecostali *De Processione Spiritus Sancti à Patre atque Filio contra Alexandrum Helladium* disseruit. pl. 1½. 4to.

D. ERN. JOH. FRID. MANZEL in Programmate ad Disputationes Justitutionales X in priuato Lectorio Mense

Junio & sq. ventilandas egit *de Pseudo-Jure consultis* von Juristischen Böhn-Hasen pl. 1. 4to.

M. JOH. HERM. BECKER, Respondente *Carolo Henrico Möller*, *Rostoch*, mense Augusto Philosophica Disputatione disseruit *De Hostilitate naturali Bonitati diuinae non contraria*, constat Dissertatio pl. 6.

Addimus Responso supra exhibito in causa *ἀποκαταστάσεως*, scripta alia, quae in vicinia elaborata sunt aut prodierunt.

JOH. SEB. GEVDERS Past. ad Div. Mar. Minist. Sen. & Scholarchae HIRTENBRIEF an seine Gemeinde und gesamte Einwohner der Stadt Parchim, um selbige vor der von Hr. M. Ludouico Gerhard neu auffgewärmten höchst-schädlichen und Seelen-verderblichen Lehre der Wiederbringung aller Dinge zu warnen. — Wobey zugleich ein Versuch gethan wird, ob dieser Verführte wieder auff den rechten Weg zu bringen. Hamburg 1728. const. pl. 6.

JOH. FRID. JAENICKEN Past. zu Gischow bey Parchim gründlicher Beweiß, daß der Spruch Rom. V. 19. nicht von der Rechtfertigung durch den Glauben an Christum handele, und die Wiederbringung aller Dinge, oder endliche Befreyung aller verdamten aus der Höllen mit dem allergeringsten Tittel nicht daraus zu beweisen stehe. ꝛc.

nebst

nebst Vorrede / worin die Unendlichkeit der Quaal der Verdamten erwiesen und M. Ludwig Gerhards herbeygebrachten Argumenta wieder Matth. XXV. 46. Es. LXVI. 24. Matth. XII. 32. &c. beantwortet worden. Auch angehängter anzeige / daß Krafft des umgestoßenen Haupt-Spruchs Rom. V. 19. sein gantzes Systema ἀποκαταστάσεως übern Hauffen falle. Leipzig und Parchim 1728. Alph. 1. pl. 9. 4to.

Prodiit quoque *Memoria virorum in Suecia eruditissimorum rediuiua, seu Semi-Decas prima orationum Funebrium* I. in Memoriam B. Archiep. OLAVI SWEBILII. II. in obitum B. LAVRENTII NORRMANNI. III. — ERICI AVRIVILLII ICti. IV. — B. PETRI LAGERFVII Historiographi Regii. V. In funus B. ANDREAE SPOLII, mathematici celeberrimi, cum *praefatiuncula* Editoris C. N. B. D. Syrach. XLIV. 1. const. pl. 17. in 8vo.

GVSTROVIAE.

Natalem semisecularem a. 1728. d. XXVI. Nou. serenissimi Principis solennioribus festisque orationibus celebraturus M. DAVID RICHTER Rector, Programmate huic solennitati praemisso contemplatus est Alexandri M. Bucephalam. pl. 1.

STRALSVNDII.

D. XXVI. Julii M. CHRISTOPHO-

RVS PYLIVS Gymnaſii Rector, ſolenni actu oratorio celebrabat *Jubilaeum ſundenſe, ſolutae feliciter ante centum annos obſidionis wallenſteinianae.* Agit cl. Auctor de communi perantiquae vrbis nomine, aliisque nominibus quibus in antiquis monumentis inſignitur, breuemque wallenſteinianae obſidionis hiſtoriam ſubnectit, conſt. pl. 6. in 4to.

GRYPHISWALDIAE.

D. BRANDANVS HENR. GEBHARDVS *Enarrationem cantici Deborae ac Baraci cap. V. Judicum deſcripti* emiſit in publicum Roſtoch. pl. 8½. in 4to.

GEDANI.

D. JOH. GEORG ABICHTIVS d. V. Febr. Diſp. Theol. egit *de confesſione priuata* Reſp. *Joh. Joach. Sauſe, Colberg. Pom.* pl. 5.

Idem d. XXIX. Jul. Reſp. Joa. Gottlieb Pfennigk diſputauit *de veritatibus Chriſtianae religionis fundamentalibus* pl. 4.

Anni elapſi d. 10. Julii, CAROLVS LVD. HOHEISEL Graecae & O. O. L. L. P. O. diſputatione philologica exhibuit *Chriſtum Regnum ſuum ingredientem*, occaſione loci vexacti Matth. XVI. 28. Reſp. Jac. Gottlieb Meyer. Belg. Pomer. pl. 3.

Idem anni currentis d. 14. Oct. pereleganten diſputationem ventilauit de

רחים

רחיים של יד seu *molis manualibus veterum, ad illustranda varia cum profanorum tum sacrorum scriptorum loca*, Respondentis partes tuitus est *Joa.* Gottlieb Fischer Gedan. const. pl. 6.

M. MICH. CHRISTOPH. HANOVIVS P. P. Philos. & Bibliothecarius disputauit *de Silicernio* (vulgo Seelen-Speise) *maximè veterum curonum.* Resp. *Ferd. Frid. Reichard* Curon. const. pl. 5.

ELBINGAE.

CHRISTIANVS JACOBVS KOITSCH, Rector, ad solennia Encaeniorum Gymnasii Elbingensis IV. cal. Decembr. A. 1726. celebranda Programmate inuitatorio dedit *CHristum, ceruum aurorae ex Aegypto vocatum* ex Matth. II. 15. Hos. XI. 1. Ps. XXII. 1. const. pl. 2.

REGIOMONTI.

Regia autoritate jussum est, vt Nouum Testamentum lingua Lithuanica ederetur. Sudat id iam sub prelo maximamque partem est absolutum. Aliquanto diutius quam sperabatur editio haec protracta est, singulae enim plagulae, vt eo correctius & melius prodiret, in Lithuaniam ad eruditos, linguaeque Patriae peritos transmissae sunt. Vidimus sub finem anni exemplar plane absolutum, titulo tamen & praefatione hactenus desti-

tutum. Prima huius operis cura incumbit viro maxime venerando D. JOH. JAC. QVANDT.

Finis tandem quoque impositus est operi, quod applausum quoque exterorum promeruit, anni praesentis die primo Julii & prodiit titulo. Erleutertes Preußen/ oder auserlesene Anmerckungen über verschiedene zur Preußischen Kirchen- civil- und gelehrten- Historie gehörige besondere Dinge/ woraus die bißherigen Historien-Schreiber theils ergäntzet/ theils verbessert/ auch viele unbekante Historische Warheiten ans Licht gebracht werden. Tom: I. prodiit A. 1724. Alph. II. pl. 12. T: II. 1725. Alph. II. pl. 12. T: III. 1726. Alph. II. pl. 12. Tom: IV. 1728. Alph. II. pl. 11. in 8vo.

Continuatio huius operis velut sistitur sub titulo Preußischer Todes Tempel/ worin verstorbene Personen allerhand Standes von den auserlesensten Sachen der Preußischen/ Pohlnischen/ Schwedischen und Brandenburgischen/ Geistlich/ Weltlich- und Gelehrten Historie, Geographie und Staats-Rechts/ wie auch neuen gelehrten Schrifften in Preussen und Pohlen/ mit einander redende vorgestellet werden. Tres iam continuationes liberiori stilo conscriptae prodiere, Constantinopel in der neu angelegten Buchdruckerey. Absoluuntur tres hi discursus Alph: I. pl. 3. in 4to.

D.

D. JOH. BEHM ad diem XIV. Julii dissertatione Theologica disseruit de χειροτονία, *siue electione ministri Ecclesiae ductu* I. *Cor.* VIII. 18. 19. A. & R. *Joh. Georg. Segers* R. B. pl. 3½.

M. JO. GODOFREDVS TESKE Respondente *Godof. Bernh. Cassebur* Reg. Bor. dissertationem metaphysicam inauguralem habuit *de intellectu diuino, pro loco inter Professores Philosophiae extraordinario obtinendo*, const. pl. 4.

Programma natalitium anni 1727. egit ex I. Joh. V. 20. *de Filio Dei, qui in salutem hominum in mundum venit*, Paschale anni praesentis exhibuit *Demonstrationem Maiestatis Jesu Christi per Resurrectionem eius à mortuis factam*, ex Rom: I. 3. 4. Pentecostale studiosorum animos *à Peccato in spiritum sanctum revocare* studuit, annexa sunt cuiuis Programmati elegantissima carmina Cl. JOH. VALENTINI PIETSCH.

PETROPOLITANA noua iam satis aliunde innotuerunt.

ABOAE.

Amisimus hoc anno d. 5. Aprilis Procancellarium Academiae & Ecclesiae Episcopum longe celeberrimam HERMANNVM WITTE, Rigâ natum, Pastoremque & Professorem quondam apud Sedinenses Primarium. Praeterea quoque

LAVRENTIVS ALSTRIN Profesſor Eloquentiae meritisſimus vitam cum morte commutuait. M. ANDREAS BERGIVS, qui diuerſis eruditionis ſuae ſpeciminibusRoſtochii editis inclaruit, tertium inter Profesſores Theologiae locum obtinuit. Series Profesſorum, qui hoc anno *Academiam Aboenſem* ornant.

JONAS FAHLENIVS. S. Th. Profesſor primarius & h. t. Academiae Rector.

DANIEL JVSLENIVS. S. Th. Prof. ſecundus.

ANDREAS BERGIVS. S. Th. Prof. tertius.

SAMVEL SCHVLTEN. Juris Prof. ordin.

D. SPOERINGIVS. nuper vocatus Medicinam profitebitur.

ANDREAS PRYSZ. Poeſ. Prof. ordin.

JOHANNES JOH. THORWOESTE Prof. Phyſ. ordin.

ALGOTHVS A. SCARIN. Hiſt. & Phil. ciu. Prof.

JOHANNES HAARTMANN. Prof. Phil. Theor. ord.

NICOLAVS HASSELBOHM Math. Prof. Profesſio linguarum orientalium Promotione. DAN. JVSLENII, & Eloquentiae, morte laudati iam ALSTRIN vacat.

Cata-

Catalogum Dissertationum Aboensium ab anno 1723 ad praesens vsque tempus habitarum vide Biblioth. Suecicae P. I. p. 236. s.

HOLMIAE.

Lucem aspexit St. Clarae Minne eller Berättelse om det gamla S. Clarae Kloster/ så wål som den nu warande Kyrkian med alla des tilbehörigheter / jämwål om S. Olofs Capell som der under lyder. Autor est Jöran A. Nordberg, templi huius Pastor 1727. Fol. Alph. II. pl. 6.

Schwedische *Bibliothec.* andres Stück. Vt titulus habet 1728. Stockholm und Leipzig. Praeclari huius operis Partem primam Hamburgi primum editam laudauimus p. 200. prodiit deinde auctior prima Pars, quam iam excipit altera. P. I. continet Alph. I. pl. 9. P. II. Alph. I. pl. 17. Quam insigni apparatu rerum Suecicarum instructus sit consultiss. autor, singula operis capita docent. Inprimis curiosis dissertationum titulis ornatur Num: III. p. 48. s. vbi exhibetur *Conspectus Collectionis Disputationum Philosophicarum à Suecis habitarum, atque titulo Fragmentorum Historiae Philosophicae edendarum.*

VPSALIAE.

Celeb. OLAVO CELSO ad docendum Theologiam vocato in Professione LL.

OO. Successor datus est M. ANDREAS BOBERG.

D. GEORGIVS WALLIN, Fil. & Reg. Acad. Vpsal. Bibliothecarius, Resp. *Israel D. Stecksenio* Westrobothniensi d. XIII. Aprilis a. 1728. dissertationem habuit historico-literariam *de arte Tritemiana scribendi per ignem* Cap. I. & II. pl. 6.

Altera de *eadem materia* quae C. III. & IV. complectitur, habita est d. XV. Jun. R. *Petro D. Stecksenio VVestrobothniensi* pl. 6.

M. FABIANVS TOERNER Eloqu. Prof. dissertationem habuit *de Origine ac Religione Fennonum*, Respondente *Gabriel. Arctopolitano, Gregorii Filio, Ostrobothniensi* d. 3 April. 1728. pl. 9.

FLENSBVRGI.

HENRICVS BRAKLRVS Pastor Nicol. longe meritissimus, cuius aliquoties in hac Bibliotheca mentio perhonorifica facta est, anni praesentis die 1. Decembr. ex hac vita ad coelestem transiit. Eius memoria sit in benedictione.

SLESWICI.

In fundando ornandoque orphanotrophio occupatus PAVLVS MERCATOR Ecclesiastes Cathedralis, *quartam* iam *continuationem* historiae eiusdem dedit in 8vo. pl. 2½.

GEORGIVS CLASSEN Eccles. Borbyensis

ensis edidit concionem sub titulo, die wahre Klugheit der Kinder des Lichtes / aus Hiob. XXIIX. v. 28. pl. 5.

KILONII.

Praeside PHILIPPO FRIDERICO HANE Dissertationem inauguralem pro impetrandis Philosophicis honoribus habuit d. XV. Sept. a. 1728. auctor *Christianus Kortholtus*, Kiloniensis Holsatus pl. 8.

Praeside D. WILHELMO HVLDERICO WALDSCHMIDT pro Doctoris Gradu auctor disputauit GEORGIVS KRYSINGIVS, *Flenopoleo-Cimber*, in Patria Practicus Medicus, *de vulneribus arteriarum in artubus saepe funestis, raro lethalibus*, pl. 4.

VTINI.

JOACHIMVS KVSTERBECKIVS Pastor huius loci Primarius, Episcopo Lubecensi à Consiliis Sacris & Episcopatus Superintendens, qui octogesimum secundum aetatis annum viuendo pene expleuit, inque ministerio verbi annum quinquagesimum, nuper obiit. Memoriam Beate defuncti Programmate consignauit Rector F. GV. CLEFFELIVS in Fol. pl. 1.

RACEBVRGI.

L. GOTTFRIDVS KOHLREIFF edidit drey Christliche Stand-Reden / sub titulis

lus. Der redliche Tausch / der Tod zu seiner Zeit / und Hiobs Blatter-Cur. 4to. pl. 5.

Idem Hamburgi curauit inprimi *Defensionem Restitutae antiquitatis temporum Religosam & Euangelicam* &c. *Accedit vis ingens Testimoniorum ex monumentis vetustissimis , vt & Defensio contra* Mr. DES-VIGNOLES, *intercedit quoque Dissertatio contra* THEOPHILVM ALETHAEVM *de Nuptiis incestis* A. C. 1728. *mundi* 6237. 8vo. pl. 13½.

GVSTAVVS CHRISTOPHORVS HOSMANNVS V. D. M. pariter edidit *Annotationes ad hypotyposin quam edidit Chronologiae*, Hamburgi 1729. in 8vo. pl. 8.

LVBECAE.

Ipso viridium die, qui antiquis Natalis calicis dictus fuit, quoniam eo venerabile Eucharistiae Sacramentum initium & quasi vitam coepit, vitam meliorem, quae verè vita est, ingrediebatur, & natalitia sua, prout veteres eos dies nuncupabant, quibus pii sanctique viri decedebant, celebrabat summe reuerendus noster Praesul D. GEORGIVS HENRICVS GOETZIVS, magni nominis Theologus, eruditione, pietate, industria, purioris doctrinae studio, facundia & reliquis, quae magnum Ecclesiae Doctorem egregie ornant dotibus percelebris. Multa nobis dicenda forent de Fatis, laboribus,

meritis

meritis Beati viri, nisi hanc spartam praeoccupassent multi, qui Eius memoriam iustis encomiis celebrauerunt. En catalogum eorum, qui peculiaribus scriptis memoriam GOETZIANAM consignarunt.

Iohannes Henricus à Seelen SS. Theol. Lic. & Gymn. Rector publico nomine Programma consignauit, die Aprilis octavo, quo funus publice efferebatur constans pl. 2.

Vernaculo idiomate simul vitam B. Parentis enarrauit Filius maximo moerore afflictus M. *Gottfried Christian Goetzius*, *Past. Primar. Adiunct. Peinensis*, constat scriptum hoc pl. 6.

Cum deinceps laudato iam *Seelenio* nostro munus imponeretur, solenni oratione laudes beate Defuncti celebrandi, praestitit id eleganti orratione solenni ritu habita in auditorio Cathariniano D. XII. Jul. Typis haec exscripta prostat titulo, *Elogii Goetziani*, constatque pl. 6. Idem in Programmate, quo ad audiendam hanc orationem eruditi inuitabantur, disserebat *de honorifico Theologi elogio, quo appellatur ORTHODOXVS*, const. pl. 2.

Eundem honorem praestiterunt Beato GOETZIO exteri. Celeberrimi autores der auserlesenen Bibliotheque. P. XXX. p. 585.

585. f. der Hamburgischen Auszüge P. IV. p. 429. f. der fortgesetzten Samlungen 1728. Sechsten Beytrag p. 975. sq.

Wittebergae quoque M. *Adam. Christoph. Hoeferus* solenni ritu habuit orationem funebrem in memoriam & honorem Beati Superintendentis, quam XVIII. Cal. Sept. triduo post natalem beati diem recitavit, & deinceps typis euulgauit, pl. 4. Huic Programma praemisit *Jo. Matthias Hasius* in quo B. GOETZIVM cum CYRILLO Alexandrino comparat. pl. 1.

L. IO. HENR. à SEELEN edidit Dissertationem Epistolicam *de Salute Sacerdotibus à Deo Psalm. CXXXII. 16. promissa*, qua Dn. *Io. VVesselhöfft* Scholae Buxtehudensis hactenus Rectorem meritissimum, iam Ecclesiae Hechthusensis in Ducatu Bremensi Pastorem constitutum alloquitur, pl. 1.

Idem *de gaudio diuino quod Ecclesia excitat, cum gaudio coniugali Ies. LXII. 5. comparato*, occasione nuptiarum à viro reuerendo *Ernesto Leopoldo Friderico Behmio* celebratarum dissertatione epistolica egit, pl. 1.

De fortitudine in Domino ad Ephes. VI. 10. commentatus est, cum Virum admodum reuer. & inopinato obitu carissimae coniugis valde afflictum *Casparem Henricum Starckium*, saepius alias nobis laudatum, consolaretur, pl. 1.

Cum

Cum ipsis calendis Nouemb. V. Cl. M. *Carolus Henricus Langius*, *Julioburgo-Silesius* solenni actu Subrectoris adiunctus inaugurandus esset, *selectas* edidit *obseruationes de Poetis*, *eorundemq; dictis in nouo Testamento citatis*, *ad illustranda Act. XVII. 28. I. Cor. XV. 33. Tit. I. 12.* quibus indicebat orationem *de genuina Poetas tractandi ratione*, qua *Cl. Langius* nouum munus auspicabatur, const. pl. 2.

M. MATTHIAS LOBETANTZ Pastor Sandsnebensis, sermonem funebrem in honorem B. *Mariae Magdalenae* natae *Kochiae*, viri plurimum Reuerendi C. H. STARCKII vxoris dilectissimae habitum euulgauit sub titulo: das siegende Sterben der guten Streiter JEsu Christi / über die Worte des heiligen Propheten Jesaiä cap. LVII. v. 2. am 14. Sept. a. 1728. gezeiget/ constat annexa Parentatione *Jo. Joach. Grot*, Pastoris Bargteheilensis & epicediis pl. 13.

Sub finem anni 1728. die 29. Decembr. finem praesentis vitae fecit, vir experientissimus, Dominus MENO PAVLVS HANNEKENIVS Medicinae Doctor & Practicus celeberrimus, qui Paternam Auitamq; *Hannekeniorum* gloriam magna cum laude sustinuit. Celebrauit eius memoriam iubente muneris ratione L. *I. H.*

à Seelen

á Seelen programmate vnius plag. in Folio. Museum reliquit instructissimum, quod non solum conquisitis vndique & multo aere redemtis naturae thesauris *locupletauit*, sed & integris *Stolterfothii*, *Rhodii*, *Rangonii* museis coemtis auxit.

Inter ciues nostros qui apud Exteros eruditionis & diligentiae suae specimina ediderunt praecellet HERMANNUS GEORGIVS KROHN / qui post lustratam Germaniam, Belgium, Galliam & Helvetiam, Basileae pro Licentia summos in vtroque Jure honores consequendi dissertationem habuit *de concursu nouercae cum priuignis* d. 14. Mai. 1728. pl. 5.

CHRISTIANVS GODOFREDVS FORTSCH Judicii superioris Lubecensis Procurator a. 1728. d. 21. Mai. *Harderoui* disputationem inauguralem habuit *de iure singulari foeminarum Lubecensium*, ex autoritate Magnifici Rectoris J. F. W. PAGENSTECHERI. pl. 4.

HENR. BROKES Praeside Jo. Balth. Wernhero Wittebergae dissertationem iuridicam habuit d. 29. Jun. *de conditione indebiti, iniqua iudicis sententia absoluto & soluenti haud competente*, pl. 6.

INDEX

I.

INDEX VIRORVM ET SCRIPTORVM Vol. V — VIII.

II.
INDEX
Locorum Biblicorum.

29,

III.
INDEX
Auctorum, Rerum & Verborum.

A.

Academia

בדברים

Ἐργάζεσθαι

Garti-

Iohn-